l'autore

PRAELECTIONES
IURIS CANONICI

QUAS

IN SCHOLA INSTITUTIONUM CANONICARUM

HABEBAT

P. MARIANUS DE-LUCA S. I.

NUNC TEXTUS DECRETALIUM

PROFESSOR IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

ET S. CONGREG. CONCILII CONSULTOR

LIBER DE REBUS ECCLESIASTICIS

ALMA COLLEGE
348.7
LIBRARY
L963
Alma, California

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE.

M DCCC XCVIII.

3917

LIBER SECUNDUS

SEU

DE REBUS ECCLESIASTICIS

PRAENOTANDUM

1. *Ratio transitus.* Diximus in partitione iuris publici a privato, quod si illa triplex potestas legifera, iudiciaria, coactiva, quae Ecclesiae competit, in actus erumpat, habentur triplicis speciei actus, qui canones audiunt, quique iurisprudentiae obiectum constituunt, prout haec a nobis supra definita est systema legum etc.: unde patet totam materiam iuris canonici seu totam collectionem legum, quibus ius canonicum coalescit, distribui debere, uti vidimus, tres in partes: quarum altera contineat leges, quae pertinent ad potestatem legiferam, altera eas tradat, quae ad potestatem iudiciariam referuntur, tertia denique eas omnes attingat, quibus potestatis coactivae exercitium evolvitur. Nimirum cum tota Ecclesiae potestas in triplicem partem distribuatur i. e. in *legiferam,* cuius est proponere praeceptive media ad finem assequendum idonea, in *iudiciariam,* cuius est practica dubia dirimere circa praedictorum mediorum usum, ut recte et ordine fiat, et in *coactivam,* cuius est pervicaciam recusantium et malitiam impedientium eorumdem mediorum usum (inter quae est ordo ipse Societatis, et iurium uniuscuiusque tuitio) poenis coercere; inde sequitur tres etiam in partes leges omnes ad totum ius canonicum distribui oportere, nimirum in eas, quae ad potestatem coactivam adeoque ad rem criminalem pertineat; in eas, quae de potestate iudiciaria adeoque de iudiciis agunt; in eas, quae circa potestatem legiferam versantur.

Porro actus, quibus continetur exercitium potestatis legiferae nonnisi media socialia sunt obligatorio modo proposita, quibus Ecclesia uti debet, ut finem suum, qui est salus et

sanctificatio animarum, plene assequatur. Media autem ad Ecclesiae finem consequendum instituta vel mediate vel immediate necessaria sunt: *immediate* ut gratia sanctificans, recta fides.., *mediate* uti ea sunt, quibus recta fides et bona vita dirigitur, fovetur atque defenditur, vel quibus gratia sanctificans gignitur.

Unde haec media ceu instrumenta constituta sunt vel Dei, vel Ecclesiae ipsius voluntate ac providentia sive ad gratiam sanctificantem rite conferendam, sive ad bonam vitam rectamque fidem fovendam, tuendamque. Tum eiusmodi instrumenta duplicem in classem distributa rite sunt, in personas scilicet et res; quandoquidem etiam personae instrumenta sunt in Ecclesia Christi ad aliorum sanctificationem et salutem curandam, quatenus in exercenda potestate tum Ordinis, tum iurisdictionis servent, atque sanctificationi animarum adhibeant canones ad eiusmodi mediorum usum atque aptam applicationem, sive Dei sive Ecclesiae auctoritate immediate conditos. Aliunde vero patet ad eumdem finem Ecclesiam praeter personas, res aliquas proprias habere oportere. Quemadmodum in artibus non tantum artifices, sed etiam instrumenta necessaria sunt ad opus, ita in Ecclesia non tantum *personae,* sed etiam res, quae ministerio personarum coniungantur cum anima nostra, requiruntur, ut earum ope elevari ipsa ad finem possit, et cum eo coniungi. Iamvero cum libro superiore actum iam sit de personis, quibus a Christo commissa est cura finis Ecclesiae, consideratis in Hierarchia Ordinis, scilicet ad efficienda sacramenta, et iurisdictionis, scilicet ad fideles recte et quantum fieri potest efficaciter dirigendos tum quoad intellectum, tum quoad voluntatem; *de rebus* nunc est agendum, atque ita circa canones concludendum, qui ad potestatem legiferam referuntur.

2. *Rerum nomine* heic intelliguntur omnia media ab Ecclesia proposita, quae non sunt personae. Quapropter res intelliguntur *lato sensu* ita, ut complectantur non modo res materiales, verum etiam *actiones,* quae praecipiuntur ab Ecclesia ad vitam aeternam obtinendam: atque proinde sermo instituendus non modo de rebus proprie dictis sive spiritualibus, sive temporalibus; verum etiam de recitatione divini officii, de ieiuniis, de celebratione festorum, de indulgentiis, et si

quid aliud huiusmodi in Ecclesia institutum est. Sed cum nos Institutionum angustiae vehementer premant, pro dignitate omnia et singula persequi non datur, et tot tantarumque rerum Ilias in nuce potius compingenda nobis est, quam enucleanda: contenti ergo erimus titt. seqq. et absque mora ab accurata rerum ecclesiasticarum divisione continuo incipiamus.

TITULUS I.

DE RERUM ECCLESIASTICARUM DIVISIONE.

Summarium. — Licet rerum ecclesiasticarum divisio 1) in sacras, sanctas et religiosas probabilis sit, et civili iuri conformior, tamen 2) aptior videtur summa divisio in res spirituales et temporales.

3. *Declaratur et prob. 1^m^.* Praemittendum est principium generale, qua ratione res ecclesiasticae fiant. Res omnis ecclesiastica talis fit aut natura aut facto hominis. *Natura sunt ecclesiasticae,* quae non ita institutae sunt, ut indifferentes sint ad finem profanum et ad finem ecclesiasticum h. e. ad salutem animarum determinatae sunt. Huiusmodi sunt sacramenta, sacrificia, preces, ritus sacri etc. *Factum* vero *hominis,* quo res aliqua, quae natura sua est indifferens, fieri potest ecclesiastica, *duplex* esse potest. Potest enim esse 1° factum Ecclesiae; 2° factum alicuius tertii. *Facto Ecclesiae,* si Ecclesiae auctoritate saltem *suprema* seu auctoritate eius, qui in Ecclesia supremum gradum habet, ecclesiastica fiat. Ut enim in iure publico ecclesiastico demonstratur, Ecclesia auctoritatem habet constituendi quidquid necessarium est ad finem suum consequendum. Hinc e. g. decimae imperatae sunt fidelibus ad Dei ministros sustentandos, atque ita inter res ecclesiasticas computatae sunt. *Facto* autem *hominis* tertii res ecclesiastica fieri potest eius donatione, quae ab Ecclesia acceptata sit. Hisce positis, non una apud omnes divisio obtinet: aliis aliam proponentibus, duae enunciatae divisiones nobis probabiles sunt. De variis rerum speciebus habemus divisionem ab ipso iure romano profectam, quam ideo plures usurpant, quia dicunt eam esse,

cui omnium mentes iam assueverunt, adeoque eiusmodi, ut non sine aliqua confusione discedatur, praesertim cum divisio illa et intuitu religionis maxime facta fuerit, et contineat nihil, quod sanctissimae religioni nostrae rectissime non accommodetur. Res autem intuitu religionis tres in species dividit Ius Romanum, nimirum in *sacras,* in *sanctas,* et in *religiosas: sacras* dixerunt, quae Deo divinoque cultui dicatae sunt; *sanctas,* quae divino quidem cultui dicatae non sunt, sed religiosa aliqua sanctione adversus quamlibet violationem muniuntur, cuiusmodi esse aiebant portas et muros civitatis; *religiosas,* quae pio hominum usui, intuitu religionis, sunt destinatae. At huius divisionis 2^{m}. membrum admitti nequit cum neque ad nos, neque ad ipsam Religionem nostram pertineat. Quo 2° membro omisso, divisio iuxta ius romanum probabilis est, si eius subdivisiones rite sumantur. Summa divisio est in sacras et religiosas. Porro quidquid sacrum est, *ait Glos. 2. in can. 14. ca. XIII. q. III.*, religiosum dici potest: quia nimirum res quoque sacrae piis hominum usibus sunt destinatae, sed propositio non est convertibilis; neque dici proprie loquendo potest, quidquid religiosum est esse *sacrum;* quia ad pios hominum usus pertinent coemeteria, hospitalia indigentium, coenobia religiosorum; ita ut hae proprie dicantur res religiosae cum distinguuntur a *sacris:* neque sane hae possunt *sacrae* esse, quia eiusmodi res homini potius, quam Deo dicatae esse dicantur, licet hominibus ad pium usum et intuitu Dei tribuantur. Itaque longe amplior est materia rerum sacrarum, quam religiosarum. *Res sacrae* alias subeunt subdivisiones nimirum in duas classes subdividuntur, unaquaeque vero classis in alias duas.

Et 1°. quidem res sacrae aliae sunt *spirituales,* aliae *materiales. Spirituales sunt actiones, quibus cultus divinus constituitur, ita ut ipsius cultus divini partes sint, non instrumenta; materiales* (quas alii temporales appellant) sunt instrumenta et quidem materialia, quae Deo dicata sunt ad eius cultus exercitium peragendum. Porro rerum spiritualium duplex classis est, *sacramenta:* quorum quaedam habent etiam materiam aliquam sensibilem, sed actione maxime perficiuntur: imo quaedam ne habent quidem materiam proprie dictam: sed actionem ali-

quam, quae pro materia est, unde eam appellant quasi materiam: et *Res simpliciter spirituales* sine addito, scilicet qualitatis sacramenti. Sacramenta quid sint notum est: ad caeteras pertinent reliquae omnes actiones in Ecclesia receptae atque institutae ad cultum divinum exercendum et ad vitam aeternam comparandam.

Res autem materiales in duas item classes distinguuntur, in eas, quae Deo dicatae sunt, ut eius cultus sint instrumenta immediata; cuiusmodi sunt Ecclesia, Altaria, vestes et vasa sacra, imagines sacrae; 2°. in eas, quae Deo dicatae sunt, ut per eas sustententur ministri, atque ipsa instrumenta eius cultus comparentur et conserventur, cuiusmodi sunt oblationes, exactiones, beneficia, pensiones, denique bona omnia temporalia, quae honestae tuitioni sive ministrorum, sive instrumentorum sacrorum, Deo donata sunt. Ex quibus patet bona temporalia Ecclesiae iure ac merito *res sacras* appellari. Ut enim sciatur an aliquid *sacrum* sit vel non, videndum est in cuius dominio sit, *Dei* an *hominum*. Iamvero bona omnia temporalia Deo donata sunt, licet ad sustentationem ministrorum eius sint destinata; quemadmodum pertinet ad patrimonium reipublicae quidquid impenditur pro alimonia ministrorum publicorum. Quapropter Paulus aiebat, Dei ministros de *ipso altari* vivere (Qui serviunt altari etc.), et Canones ecclesiastici bona quaevis temporalia Ecclesiae sive illa sint ad Clerum sustentandum destinata, sive ad ecclesias et ornatum ecclesiarum reparandum et augendum, Res Dei, Res Deo sacratas, Res Dei proprias semper appellant. Quibus profecto agnoscitur dominium Dei in res; et obeditur Deo, qui cum velit cultum externum, et ministros, vult consequenter quae necessaria sunt. Quare coetus Episcoporum Galliarum coactus Parisiis an. 1646, in oratione, quam habuit ad Reginam Regni habenas regentem, inter alia praeclarissima id quoque expresse professus est « *impium esse inter res sacras, bona Ecclesiae temporalia non recensere* ». Quid igitur mirum, quod Ecclesiae Deique hostes dicantur, qui Ecclesiae patrimonium diripiunt, reique sacrilegii, divino Tribunali, divinaeque irae addicantur? Neque valet obiicere id tantum *sacrum* a Iustiniano in authenticis dici, quod ritu aliquo Deo sacratum sit. Ut enim omittam vanam esse Imperatoris aucto-

ritatem in iure ecclesiastico, hoc certe animadvertendum est, illud a Iustiniano dici non de toto genere *rerum sacrarum*, sed de Ecclesiis et instrumentis sacris, quae sane non ipsa aedificatione, sed ritu aliquo sacra fiunt. At quod pertinet ad bona temporalia ea numquam Iustinianus negavit esse sacra, licet nullo ritu consecrentur. Itaque etiam ea, quae Deo donata sunt, ut pecunia ipsa, sacra appellantur in Collectione Iustinianea *ad L. Iuliam peculatus.*

Et haec sufficiant ut probanda pateat divisio dicta.

4. *Declaratur* 2^m^. Penes alios praesertim recentiores, quos inter Iosephus Ferrari *summa canonum l. 2. tit. 1.* divisio habetur simplicior et aptior pro rebus ecclesiasticis in res scilicet *spirituales* et *temporales.* Generatim dicendum est, quidquid est extra iudicia et personas, ambitu rerum contineri. Iamvero totum hoc erit res vel *spiritualis,* vel *temporalis. Spirituales* res sunt, quibus spiritualis animae vita fovetur, uti sacramenta, preces, ritus, quibus accedunt ex communi sententia, Ecclesiae, Altaria etc. *Temporales* vero illae dicuntur, quibus corporalis tum clericorum, tum pauperum vita sustinetur, et divini externi cultus expensae fiunt, uti sunt praedia, domus, beneficiorum fructus, ecclesiarum redditus..... Tota ergo ratio oppositionis membrorum est ex diversitate vitae, quae fovetur; et quoniam vita spiritualis animae differt a vita temporali atque externa, differunt etiam res, quibus corpus eiusque sensus ad vitam foventur. Adaequata porro erit haec summa divisio, si το *in spirituales et temporales* sic intelligatur, ut 1^a^. classis eas omnes res complectatur, quae ad sanctificationem quacumque ratione ordinantur vel ex se, vel ex positiva Christi voluntate: quatenus sanctificationem vel gignunt, vel iuvant, vel significant; et quae sancta dicuntur vel formaliter, vel causaliter, vel effective. Hinc patet speciem rerum, quae a quibusdam Auctoribus e. g. Ferrante (heic) vocantur, *spirituales, incorporeae, insensibiles,* e. g. gratia sanctificans, virtutes theologicae, dona Spiritus Sancti, quaeque a nonnullis omitti solent, non absurde inter res ecclesiasticas adnumerari. Pertinent enim ad patrimonium Ecclesiae, et sunt praecipua media ad finem, quae licet a Deo infundantur, nihilominus alicui Ecclesiae actioni subiiciuntur. Nam *gratia sanctificans* producitur tamquam ex

causa instrumentali a sacramentis, quae ab hominibus perficiuntur, administrantur, suscipiuntur. *Virtutes theologicae* quoad exercitium subiiciuntur directioni Ecclesiae, et praesertim quod pertinet ad fidem, cuius custos Ecclesia est, eiusdemque vindex adversus haeresim. Dona etiam Spiritus Sancti iudicio Ecclesiae item subsunt, ut vera a falsis dignoscantur et adversus impostores aut illusos vindicentur. Sed haec Theologis explicanda deferimus: et *de gratia sanctificante* si quid in iure canonico, de ea agitur, cum res est de sacramentis. *De virtutibus theologicis* ac praesertim *de fide, deque donis Spiritus Sancti*, nonnihil delibatur cum res est de delictis Religioni oppositis etc. Secunda porro Classis divisionis eas omnes res includit, quae temporales sunt, et ex persona potissimum clericorum, ad quos pertinent et ab usu ecclesiastico, ad quem destinantur, Religionisque intuitu, quo offeruntur et dedicantur, ecclesiasticae et ipsae dici debent.

Dices: quomodo ad animarum sanctificationem pertineat exercitium divini cultus, atque omnis actus totius religionis? *Resp.* Cum ad fovendam exercendamque sanctificationem animarum maxime pertineat adimpletio legis atque omnium virtutum praesertim charitatis exercitium; ad res ecclesiasticas pertinent leges, quae versantur circa charitatis et religionis exercitium. Porro quoad exercitium virtutis religionis et praesertim charitatis in Deum spectanda veniunt 1. loca cultui destinata; 2. obiecta cultui proposita; 3. utensilia ad cultum; 4. caeremoniae, quae cultum dirigunt; 5. tempora cultui destinata; 6. officia seu ministeria pro cultu.

PARS PRIMA

DE REBUS ECCLESIAE SPIRITUALIBUS

Iam igitur a Spiritualibus rebus incipiendum est, et inter res sacras a prima nobilissimaque earum classe i. e. a sacramentis: quam tamen materiam, cum propter complementum doctrinae penitus omittere non possumus, cursim saltem attingemus, ne tertio repetatur quod iam in Theologia morali vel dogmatica egistis vel acturi estis.

TITULUS II.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Prop. — Nomine 1) et definitione prolatis Sacramentorum, distinguuntur tria essentialia sacramentis in se spectatis i. e. signum visibile; 2) quod duplex est materia et forma; 3) res invisibilis a signo visibili significata, quae in omnibus est *a*) gratia sanctificans, *b*) gratia sacramentalis, *c*) in tribus autem h. e. Baptismo, Confirmatione et Ordine etiam character. 4) Institutio divina, qua scilicet materia et forma determinata est, ut per illarum legitimam applicationem, qua sacramentum ipsum conficitur, gratia conferatur.

5. *Declaratur et prob. 1. p.* Vocis sacramenti significationes sunt variae; quia, ut pauca dumtaxat attingam, significat *a*) *pecuniam* a duobus litigantibus in loco sacro ita depositam, ut qui causam suam vicisset, reciperet, aut amitteret, si ipse esset victus: *b*) *iusiurandum, c*) vel id quod respondet vocabulo μυστηριον, vel *d*) *sacra arcana* et per translationem, symbola seu signa eorum: *e*) vel *obiecta fidei,* quatenus haec sola revelatione divina innotescunt fidelibus vel generatim, quia iuxta Aug. ordinantur in signa rerum aliarum sacrarum, quo sensu idem Aug. l. c. epist. 138 *signa cum ad res divinas pertinent sacramenta nominantur.*

Porro inter varias sacramenti significationes iam a saec. XII constans usus loquendi obtinuit, ut sacramenta in primis vocentur « *certa quaedam signa practica seu ritus a Christo Domino*

ad hominum sanctificationem constituta ». Hoc sensu sumit Catechismus Conc. Trid. cum ex Augustino definit « *Sacramentum est rei sacrae signum* » vel aliis verbis, « Sacramentum est invisibilis gratiae visibile signum ad nostram iustificationem institutum » heic n. 5–13. Unde sacramenti ratio exigit, ut sit 1. in genere *signi* seu earum rerum, quae significandi causa institutae sunt, hinc dicitur ritus aliquis externus. Et quoniam signa alia naturalia sunt, alia voluntaria, alia prognostica, alia practica, hic per sacramentum intelligimus rem sensibus subiectam, quae ex Dei institutione sanctitatis et iustitiae tum significandae tum efficiendae vim habet: atque adeo signum debet esse *sensibile,* quia sacramenta propter homines, *sacrum* tam ex parte rei significantis, seu ritus non profanus sed sacer, quam ex parte rei significatae sanctitatis, scilicet seu gratia, qua anima sanctificatur. Constat id ex omnibus TT. definitionibus sacramenti invisibilis gratiae visibilis forma: ex PP. quoad sacramenta distinguentibus inter elementum visibile et elementum invisibile; scilicet Spiritus S. gratiam, quae intus latet, ex *decretis* Eugenii IV. pro Armenis, et *Trid. Sess. 7.* docentibus et sacramenta gratiam significare, quam conferunt, et ipsa applicatione gratiam seu sanctitatem conferre, quam significant; atque ideo signum tandem sit non *speculativum* sed *practicum*, *ritus* non *sterilis* sed *efficax sanctitatis: sanctitatis* quidem, quae gratia sanctificante continetur; non vero quae imperfecta dicitur seu legalis, V. T. propria, in quadam consecratione ad cultum divinum, vel singulari coniunctione cum Deo consistens.

6. *Declaratur et prob. 2. p.* Materia sacramenti dicitur res vel actio, qua ex Christi institutione Ecclesia utitur in sacramentis conficiendis, e. g. impositio manuum in ordine. Omnia sacramenta constant materia et forma, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma. Nam cum ad sacramentum seu signum unum constituendum concurrant res vel actus, et verba; atque haec inter, res vel actus quid ceu magis indifferens atque minus determinatum; verba autem ut quid magis determinans ad unam eamdemque componendam significationem sese habeant; verba considerantur uti forma, res vel actus uti materia, quibus sacramenta N. Legis perficiuntur. Hic porro loquendi modus

iam a saec. XII. communiter usurpatur penes omnes TT. et confirmatur Trid. *Sess. 14. c. 2. et 3.* et ab Eugenio IV. qui *Instruct. pro Armenis* ait: « Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma et persona ministri conferentis sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum » *Cf. Catech. Rom. 15, 16.* Sic in sacramento baptismi materia est aqua, forma autem sunt verba *Ego te baptizo* i. e. abluo quibus accedentibus, aqua, quae abluendi aeque ac refrigerandi vim habet, ad interiorem animae mundationem significandam determinatur.

Porro *materia* distinguitur in *remotam* et *proximam:* remota est *res ipsa* (in actione haec distinctio cessat) e. g. aqua, *proxima* est huius rei usus e. g. ablutio. Quoties autem materiam simpliciter nominamus, remotam intelligimus.

7. *Probatur 3. p.* Ita autem significant sacramenta gratiam, ut efficiant ipsam, eamque producant tamquam causae instrumentales in hominibus non ponentibus obicem, vi nempe ipsius sacri ritus externi. Constat 1. *ex Trid. Sess. 7.* « Si quis dixerit non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, A. S. ». Mitto Theologis caetera argumenta deducta ex symbolo *Credo unum baptisma in remissionem peccatorum,* ex traditione tam *practica,* qualis est e. g. constans in Ecclesia baptismi infantibus collatio ideo, quia infantes quoque mundentur baptismo, quam *theoretica* qualis est unanimis et perpetua PP. doctrina, atque tandem ex consensu Ecclesiae Graecae Schismaticae.

Nominatim significant et efficiunt I. gratiam sanctificantem, ut habet communis TT. sententia, et finis ipse sacramentorum ostendit: nam « per sacramenta, docet *Trid. prooem. Sess. 7.,* omnis vera iustitia vel *incipit,* vel coepta *augetur,* vel amissa *reparatur* » atqui hoc non fit citra gratiae sanctificantis infusionem: ergo. Dixit ibid. Trid. *incipit,* vel *augetur...* quia licet sacramenta omnia conferant habitualem gratiam; aliqua tamen sunt instituta per se ad delenda peccata, atque ideo ad infundendam gratiam iustificantem primam, uti baptismus et poenitentia: quae idcirco *sacramenta mortuorum* nominantur; reliqua

vero ad augendam hanc gratiam, i. e. ad conferendam gratiam secundam instituta sunt, ideoque *vivorum sacramenta* dicuntur.

Et cum sacramenta semper conferunt gratiam non ponentibus obicem propterea sacramenta mortuorum, iis, qui iam gratia fruentes ea suscipiunt, possunt subinde conferre gratiae augmentum. Probabile etiam est aliquot sacramenta vivorum saltem per accidens conferre posse *gratiam primam.*

Producunt II. gratiam aliam peculiarem, quae sacramentalis dicitur, quia ordinantur ad varios fines, quibus alius atque alius respondet effectus, propter quos varios fines distincti variique externi ritus sunt instituti. *Cf. S. Th. 3. p. q. 62. a. 2 ; Cf. Cathec. Rom. heic n. 27, 28.* Haec autem gratia sacramenti est quoddam gratiae auxilium ad consequendum sacramenti finem, quae plene et adaequate spectata communiter Theologis est ipsamet gratia sanctificans, quatenus per tale sacramentum datur et ordinatur ad finem sacramenti, et quatenus sub ea ratione illi respondent ac debentur ex divina institutione specialia quaedam auxilia suo tempore conferenda. *Cf. Hurter heic n. 281.*

III. In tribus tandem sacramentis i. e. Baptismo, Confirmatione, et Ordine imprimitur character, i. e. signum quoddam spirituale et indelebile, uti definit *Trid. Sess. 7. can. 9.* et iam tradiderat Eugen. IV. Instruct. pro Armenis. Insuper ad characteris existentiam, quidquid de essentia dissident Theologi, cf. penes probatos scriptores. *Cf. Catech. rom. 30, 31.*

8. *Declaratur et prob. 4. p.* Tertium in sacramento necessarium est divina institutio. *a*) Solus enim Deus confert gratiam : ergo ex sola Dei institutione fieri potest, ut res sensibilis gratiae efficiendae vim habeat in eo, cui ipsa applicatur. *b*) Est Christus Dominus institutor non mediate solum sed et immediate : nam *Trid. Sess. 7. can. 1.* « Si quis dixerit Sacramenta N. Legis non fuisse omnia a Iesu Christo D. N. instituta A. S. » atqui sensus *obvius* can. exigit institutionem immediatam. Insuper causa seu occasio definiendi non fuit dubitatio de *mediata,* sed controversia existens inter TT. de institutione immediata. Immediatam institutionem caeremoniarum adscribit Ecclesiae, dum denegat huic omne ius circa sacramenti substantiam *Sess. 21. c. 2 ;* atqui si mediatam sacram institutionem Christo dumtaxat tribuit, tribuisset Christo etiam mediatam

caeremoniarum institutionem. Tandem idem *Trid. Sess. 14. can. 1.* Christo diserte asserit Extremae Unctionis immediatam institutionem, de qua sola dubitatur: ergo a fortiori caetera Sacramenta a Christo Domino immediate sunt constituta.

9. **Corollarium I.** Hinc sequitur « *Christum Dominum immediatum Sacramentorum auctorem determinasse materiam et formam ipsorum in specie infima quoad aliquot* e. g. baptismum et eucharistiam, vel *saltem in genere,* remittendo arbitrio Ecclesiae accuratiorem constitutionem, uti forte quoad Sacramentum Ordinis et quoad formam Sacramenti poenitentiae ». Scilicet quamvis in omnibus Sacramentis materia et forma sit determinata a Christo Domino, tamen in aliquibus determinationem ultimam seu in ultima specie eumdem Christum Dominum dicimus Ecclesiae permisisse: idque animadvertisse confert plurimum ad difficultates multas enodandas. Itaque de forma exemplum poni potest in Sacramento Extremae Unctionis, cuius forma in ss. Litteris generice proposita est. Pro ea namque dicitur quod Sacerdos orare debet super infirmum. De materia exemplum ponimus in matrimonio, cuius materia est certe contractus, quo vir et mulier suam obligant fidem ad perpetuam vitae consuetudinem coeundam, tradito in sua corpora sibi invicem iure; sed quibus legibus subiectus esse debeat hic contractus, ut sit materia idonea ad Sacramentum, id Christus Dominus Ecclesiae determinandum reliquit. Dixi (matrimonii) *materia est certe contractus.....* qui ut rite adstruit P. Palmieri (de matrim. thes. XI) prout est traditio mutua potestatis, haberi potest ut materia proxima, prout est acceptatio eiusdem mutua, ut forma sacramenti. Atque adeo recte dicunt TT. materiam huius Sacramenti non esse contractum civilem. Christus enim auctoritati civili numquam permisit facultatem determinandi materiam Sacramentorum: imo eam omnino exclusit a quavis administratione rerum ecclesiasticarum et multo magis Sacramentorum; adeoque recte ut dixi loquuntur TT. cum negant etc.; sed minus caute (nisi totus erro) aliqui eorum loquuntur, cum in *contractu naturali* materiam huius Sacramenti absolute et simpliciter ponunt, cum potius dici debeat eam esse *contractum iuxta naturae et Ecclesiae leges valide initum:* alioquin intelligi non posset quomodo

Ecclesia instituere potuerit impedimenta dirimentia et praesertim illud clandestinitatis; quae causa fuit acerrimae disputationis in Conc. Trid. utrum Ecclesia posset impedimentum clandestinitatis statuere. Cum enim plures, qui eo convenerant, TT. tenerent ipsum *contractum naturalem* simpliciter et absolute esse a Christo assumptum ut esset materia Sacramenti matrimonialis; aiebant, *Ecclesiam nihil posse addere institutioni Christi,* neque proinde posse imperare sub poena invaliditatis adeoque amissionis qualitatis Sacramenti, ut praedictus contractus fieri debeat coram parocho et duobus testibus; id enim esset contradicere institutioni Christi, eamque intervertere. Quod exemplo illustrari potest Sacramenti Eucharistiae. In eo quippe Sacramento Christus simpliciter et absolute determinavit materiam et formam: Materiam in pane triticeo, et vino ex uvis seu ex fructu vitis confecto, et Formam in verbis, quae ipse protulit; ita ut quotiescumque minister idoneus talem materiam talemque formam adhibeat, in quocumque loco et tempore certe Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi conficiat. Iamvero si Ecclesia considerans horribiles profanationes, quae aliquando a scelestis sacerdotibus in secretis factiosorum conventiculis perpetratae sunt, ut etiam Diabolo Corpus et Sanguinem Christi litarint, aut in usum magiae adtribuerint, si, inquam ad eas cavendas horribiles profanationes, statuere vellet ut iam nullum Sacramentum Eucharistiae sit, nisi in templo coram fidelibus peragatur, numquid posset? Certe non posset. A pari igitur aiebant illi, cum Christus contractum ipsum naturalem in matrimonio Sacramentum fecerit, non potest Ecclesia a Sacramenti dignitate eum deiicere nisi certis solemnitatibus a se inventis celebretur. Haec illi. Nihilominus Concilium Trid. impedimentum clandestinitatis statuit. Qua de ratione? Quia nimirum Christus non simpliciter et absolute naturalem contractum matrimonii Sacramentum fecit, *sed contractum qui sit iuxta leges et naturae simul et Ecclesiae validas,* permissa scilicet Ecclesiae facultate determinandi in specie materiam. Unde plane corruit exemplum Eucharistiae. In ea enim Christus in sua ultima specie et materiam et formam absolute et simpliciter determinavit,

adeoque nullam facultatem in eius materiam et formam reliquit Ecclesiae.

Eadem porro ratione, quod scilicet in aliquibus Sacramentis Christus Ecclesiae eam determinationem permiserit, dissolvi etiam fortasse possunt complures aliae complexae quaestiones de materia et forma, quae oriuntur ex dissensu inter Orient. et Occident. Ecclesiam, et etiam ex dissensu DD. Sed haec TT.

10. Corollarium II. Ex 4ª. p. etiam sequitur *ut nullum sit Sacramentum mutata ea re sensibili, cui nempe Christus virtutem producendi gratiam attribuit,* sive mutatio cadat in formam sive in materiam, dummodo mutatio sit essentialis non accidentalis. Porro essentialis censetur mutatio 1) in materia, quando re et nomine haec differt a materia, quam Christus instituit; e. g. si pro aqua naturali aqua rosacea in baptismo, vel panis alius, quam triticeus in Eucharistia adhiberetur: 2) in forma, quando ob diversitatem verborum non perseveraret idem sensus formae a Christo designatae. *Cf. S. Thom. 3. p. q. 60. a. 7. ad 3m. et Can. Retulerunt Dist. 4. de Consecr.* Quae ut melius intelligantur animadvertenda sunt iuxta *d'Annib. v. 3. n. 92: a) quoad materiam,* quia de mutatione moraliter non physice aestimandum est, hinc substantialiter immutata censebitur cum opinione hominum alia esse intelligitur: cuius rei in primis indicium erit, si alio ac antea nomine nuncupetur. Adde insuper quod alia esse videbitur, si 1°. vel nondum ita perfecta sit, ut usui naturali suo deservire possit; e. g. panis crudus, vel omphacium: vel 2°. contra ita corrupta, ut pristinam naturam perdidisse videatur, e. g. panis mucidus vel acetum. Cf. penes eumdem A. *n. 93.* quid si materia extranea Sacramento admisceatur; praesertim si alterius speciem solvat, aut usum depravet.

b) Quoad formam: cum omnis vis formae aestimetur ex significatione verborum, recte dicitur manere eadem forma, si maneat idem sensus seu significatio verborum. Significatio autem aestimari debet 1°. ex *verbis* ipsis, 2°. ex earum *syntaxi* et 3°. *pronuntiatione.* Ergo I. utendum est *his verbis prorsus,* quibus scilicet 1°. Ecclesia catholica utitur,..... 2°. his solis: 3°. his omnibus. II. *Eadem syntaxi,* quia etsi utaris *eisdem plane*

verbis, tamen eorum sensus transpositione quandoque manet, quandoque intercipitur, quandoque anceps fit. III. tandem *pronuntianda* sunt verba modo consecratorio, adeoque praesentis temporis seu indicativo ut in Baptismo, sive imperativo ut in S. Ordinatione, sive deprecatorio, ut in Extrema Unctione. Proferenda autem sunt verba continuo, non cum interruptione longa, quae obest formae.

11. Prop. 2. Sacramentorum novae Legis divisio est 1. **ratione subiecti seu necessitatis, quae ad ea suscipienda urget, alia necessaria singulis, alia necessaria non quidem singulis sed corpori Ecclesiae sunt.**

Quae vero necessaria singulis alia sunt necessaria necessitate medii, quia nimirum sunt medium necessarium ad vitam aeternam consequendam, eaque sunt baptismus omnibus; poenitentia iis, qui post baptismum in peccatum lapsi sunt; necessaria sunt necessitate praecepti, quae nimirum obligationem ea suscipiendi habent non ex sua natura quemadmodum ea, quae instituta sunt tamquam medium necessarium ad salutem; sed ex praecepto, eaque sunt Confirmatio, Eucharistia omnibus adultis seu iis, qui ad sufficientem rationis usum pervenerunt, et Extrema Unctio omnibus periculose aegrotantibus. Necessaria autem non singulis (prae quibus voluntaria seu libera dicuntur), sed corpori Ecclesiae, quia in Ecclesia, ne eius ministri aut subditi deficiant, esse omnino debent, quamvis nemo ex fidelibus singillatim sumptus ad ea suscipienda cogatur; sunt Ordo et Matrimonium.

2. **Ratione effectus, quem producunt, α) Sacramenta distinguuntur in mortuorum, quae primam gratiam producunt, quae a peccatis abluit, et vivorum, quae gratiam conferunt et sanctitatem adaugent, β) deinde in ea, quae praeter gratiam imprimunt characterem, quaeque sunt Baptisma, Confirmatio et Ordo, et in ea, quae characterem non imprimunt, cuiusmodi sunt cetera.**

12. Sacramenta, quae characterem non imprimunt iterari possunt i. e. pluries suscipi; quae imprimunt iterari nequeunt, h. e. quae suscipi pluries nequeunt. Ratio est, quia per ea Sa-

cramenta anima induitur habitu quodam qui permanet, quique vel est ipse character, vel in charactere signum sui ac testem habet, ita ut qui huiusmodi Sacramenta iteraret, in pari stultitia esset ac ille, qui vestem suam iam indutam haberet, et nihilominus aliunde eam quaereret.

Sed circa iterationem Sacramentorum, de qua est tit. XVI. l. 1. Decretalium, notiones quaedam generales sunt tradendae, ut canones recte intelligantur. Occurrunt enim circa ipsam in Sacris canonibus locutiones variae: communius quidem locutiones, seu loquendi modi ordinarii atque usitati, aliquando loquendi modi extraordinarii. Itaque 1°. dicendum est de sensu verborum 2°. de regulis, quae circa iterationem Sacramentorum generaliter statuta sunt.

Iuxta usitatum loquendi modum iteratio alia est proprie dicta, alia improprie dicta. *Iteratio proprie dicta* est repetita administratio, atque susceptio eiusdem Sacramenti, et quidem absoluto modo: e. g. cum quis hodie Eucharistiam sumit et sequenti die *iterum*. Eucharistia quippe recipitur semper absoluto modo, quia non est capax modi conditionati, quia in se et in re ipsa est Sacramentum: vel qui posteaquam cum aliqua matrimonium iniit, ea mortua, aliud absoluto modo vel sub conditione verificata, quae recidit in modum absolutum, contrahit.

Iteratio improprie dicta est conditionata repetitio totius ritus, vel saltem ritus essentialis sacramenti; conditionata inquam, non sub quavis conditione, sed sub ea conditione, si prima collatio invalida fuit: e. g. si quis dubitat de priori baptismo iterum sub praedicta conditione illum suscipiat. Haec iteratio est improprie dicta, quia in ea nihil vere iteratur. Aut enim prima collatio valida fuit et tunc in 2ª. *nihil agitur;* adeoque nihil iteratur; aut 1ª. illa fuit *invalida* et tunc, cum in illa nihil actum fuerit, in 2ª. *prima vice Sacramentum* perficitur, adeoque nulla iteratio fit.

Iterationi Sacramenti opponitur *supplementum,* quo nomine iuxta usitatum loquendi *modum* intelligitur actus, quo super eum, qui sacramentum suscepit, omissis quibusdam ritibus accidentalibus seu ad essentiam non pertinentibus, ii tantum

ritus perficiuntur, absque ulla repetitione actuum, qui constituunt essentiam Sacramenti.

13. Hi quidem sunt usitati modi loquendi: sed praeter hos occurrit aliquando in ss. canonibus modus aliquis extraordinarius, isque praesertim in celebri *cap. Presbyter de Sacramentis non iterandis,* ubi agitur de impositione manuum in presbytero et diacono. In eius omissione, si verba intelligas iuxta usitatum modum loquendi, tenere deberes in hoc praecipi non habere locum iterationem, conditionatam scilicet, sed supplementum, quod in ritibus accidentalibus locum habet; quae res maxime controversum hunc canonem facit. Unde verba *iterare,* et *supplere* significatione non usitata videntur usurpari.

Ratio, cur in hisce Institutionum angustiis in eius capitis expositione breviter immoramur, est quod eiusmodi cap. saepe citari solet etiam in casibus practicis: ex quo putamus recte esse intelligendum ne perperam citetur.

Fagnanus et Gonzalez haud recte intelligere illud nobis videntur.

Verba cap. « Presbyter et Diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto), recipiunt; quod si fuerit omissum, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi ordines conferendos caute supplendum, quod per errorem extitit praetermissum ».

Diximus in eius expositione errare Fagnanum, qui verbum supplere ait usitato modo esse intelligendum, quia ipse putat impositionem manuum in dictis ordinationibus non esse essentialem, adeoque si omissa fuerit, opus non esse iteratione aliqua ordinationis licet conditionata, sed solummodo supplendum esse actum illum impositionis manuum, quemadmodum fit circa ritus non essentiales. Errat, inquam, quia sententia est plane communis impositionem manuum in illis ordinibus vere esse essentialem, aut saltem habendam esse pro essentiali, cum pars maxima TT. talem eam dicant. Verba ipsa canonis id indicant, cum monent supplementum illud esse faciendum *tempore statuto ad conferendos ordines;* quod vero non esset, si ageretur, non de ordinatione, sed de mero supplemento ritus non essentialis.

Diximus etiam errare Gonzalez, qui licet fateatur imposi-

tionem manuum ad essentiam pertinere, nihilominus praestituta opinione, quae duplicem materiam, utramque essentialem ponit in dictis ordinibus, impositionem manuum et traditionem instrumentorum; ait verbum *supplere* posse usitato modo intelligi, ita ut omissa *impositione manuum,* debeat haec tantum suppleri, cum alia materia posita iam fuerit: et ponit exemplum in Eucharistia, in qua, cum duplex adsit materia panis triticeus et vinum ex vite, si alterutra in Missa deprehensa fuerit inepta; non debet iterum utraque materia consecrari, sed ea tantum, quae defuit. Sed *errat:* quia ubi duplex materia in sacramentis sit, distinguendum est inter ea, quae ita habent duplicem materiam, ut in unaquaque earum, etiam sine concursu alterius sacramentum perficiatur; et inter ea, quae ita duplicem materiam dicuntur habere, ut utriusque coniuncta applicatio necessaria sit ad sacramentum perficiendum. Iamvero Eucharistia pertinet ad 1^m. modum: in ea enim ita habetur duplex materia, ut etiam seorsim in unaquaque earum fiat sacramentum, et quidem in re ipsa permanens. Hinc mirum non est, quod si una tantum defuerit, una tantum suppleatur. Sed Presbyteratus et Diaconatus, in eorum sententia qui duplicem materiam iisdem adsignant, pertinent ad alterum modum: nimirum utraque illa materia coniuncta esse debet, ut sacramentum perficiatur, sive ordo ipse reapse conferatur. Quare si alterutra omissa fuerit, non poterit deinceps defectus emendari per merum supplementum alterius. Ita enim nihil unquam ageretur: non 1^a. vice, quia defuit una materia; non 2^a. quia defuit altera.

Itaque utraque opinio tum Fagnani, tum Gonzalezii contradicit praxi, quam in hisce casibus Ecclesia adhibet. In iis enim tota ordinatio iteratione conditionata solet iterari.

Quid ergo dicendum? Dicendum, aiebat Tarquini ad suos auditores, dicendum, meo iudicio est, verba *iterare* et *supplere* non usitato modo esse heic intelligenda: nimirum verbo *iterare* non intelligendam esse quamlibet operationem, sed iterationem proprie dictam h. e. absolutam et sine conditione: verbo autem *supplere* intell gendam esse iterationem conditionatam: ita ut verus capitis sensus hic sit: Si impositio manuum in presbyteratu vel diaconatu fuerit omissa, nullatenus

facienda est iteratio proprie dicta, ita ut verba: *non est aliquatenus iterandum,* sit passivum impersonale, et intelligatur non de quacumque iteratione, sed de iteratione absoluta, quae est iteratio proprie dicta; sed caute facienda est iteratio ordinationis non absolute, sed sub conditione: quae iteratio conditionata, locutione extraordinaria, vocatur *supplementum eius, quod praetermissum est,* **vel** quia *directe* id quod praetermissum est, agitur; caetera autem aguntur per modum complementi; **vel** potius (quod interpretationem faciliorem reddit), quia Gregorius voluit, ut *essentialia tantum* in iteratione conditionata ponerentur, omissis ritibus accidentalibus, qui prius positi fuerant quemadmodum e. g. fit in missa, in qua, si post consecrationem deprehendatur materiam fuisse ineptam, non tota missa repetitur, sed omissis ritibus accidentalibus, qui praecedunt consecrationem; et facta saltem mentaliter oblatione, si panis ineptus fuerit, incipit a verbis *Qui pridie quam pateretur;* si vinum, incipit a verbis *Simili modo.* Potuit enim aetate Gregorii esse alia praxis, quam quae hodie est. Nam hodie in iterarione conditionata ordinis tota prorsus ordinatio repetitur.

Hac facta interpretatione omnia plane sanae doctrinae cohaerent, et obiectio Gonzalezii dissolvitur, qui dicit repugnare sensum verbi *supplere.* Non enim repugnat, ut dicatur fieri supplementum tum cum non omnia repetuntur, sed essentialia tantum, quae defectiva fuerunt, ceteris omnibus, quae sunt accidentalia, quaeque iam posita fuerunt, omnino praetermissis.

Instabit tamen aliquis et dicet: in hac interpretatione ponitur esse repetendam etiam traditionem instrumentorum, quippe quae essentialis saltem practice reputatur, cum tamen pretermissa non fuerit. Atqui hoc est contra verba canonis in quibus id tantum supplendum esse dicitur, quod fuit praetermissum.

Respondeo, recte dici potuisse praetermissam fuisse etiam traditionem instrumentorum, cum impositio manuum omissa est, licet illa materialiter posita fuerit. Etenim in presbyteratu et diaconatu non qualiscumque instrumentorum traditio, neque quocumque modo facienda est, sed ita ut coniuncta sit etiam impositio manuum. Cum enim nondum definitum esset,

utrum sola traditio instrumentorum, an sola manuum impositio sit materia essentialis, practice teneri debuit opinio Bellarmini, qui utramque simul materiam essentialem dicit: unde sequitur quod, omissa impositione manuum, ipsa quoque instrumentorum traditio *sacramentaliter* omissa fuisse dicenda sit, licet *materialiter* fuerit posita; quemadmodum omissa materia suppleri debet etiam forma, licet omissa non fuisset; atque ita sufficienter et in vero suo sensu videtur expositum caput *Presbyter de sac. non iter.*

14. Hisce de significatione verborum animadversis, dicendum breviter est, quae sint regulae generales de iteratione sacramentorum.

I. Doctrina de iteratione sacramentorum praecipue pertinet ad tria, quae characterem imprimunt, sed non unice.

II. Unum idemque numero sacramentum iterari non potest etiamsi characterem non imprimat: e. g. in una eademque Missa bis consecrare: quod contingere potest in aliquo scrupulis perturbato. Ita etiam explicatur titulus, in quo non dicitur de iis Sacramentis, quae iteranda non sunt; sed in genere de Sacramentis non iterandis.

III. In eadem specie, quae characterem non imprimunt, generatim loquendo iterantur. Dixi *generatim loquendo* ob triplicem exceptionem scilicet 1ª. quoad Eucharistiam, quae eadem die iterari nequit, praeter diem Nativitatis Domini, excepto casu necessitatis quoad parochos, qui duplicem habent Ecclesiam et plebem, si nimirum nullus alius adsit sacerdos; hisque sub conditionibus; *a*) ut agatur de diebus festis, in quibus urget praeceptum audiendi Missam: *b*) ut adsit licentia episcopi: *c*) ut nulla pro 2ª. Missa admittatur eleemosyna, Bened. XIV. Constit. *Declarasti* 16 Martii 1746.

2ª. Quoad Extremam Unctionem, quae eodem morbo durante, non iteratur. *Conc. Trid. Sess. XIV. c. 3.*

3ª. Quoad matrimonium, quod non modo iterari nequit cum alia persona, vivente adhuc 1º. coniuge, sed ne cum ipso quidem coniuge, cum semel initum fuit, iterari nequit solemniter: nam privatim nihil obstat si renovare velint consensum. Itaque cum deficiente parocho initum est absque bene-

dictione, debet quidem benedictio suppleri, sed consensus renovari non debet.

IV. Quoad sacramenta, quae imprimunt characterem, non modo unum idemque numero, sed unum idemque specie iterari nequit, iteratione proprie dicta h. e. absoluta.

V. In iisdem sacramentis si quando dubium oriatur, invalide susceptum fuisse; vel dubium sit utrum reapse susceptum fuerit; adhibenda est iteratio improprie dicta h. e. conditionata.

VI. Haec iteratio secreto facienda est.

VII. Si certum sit valide suscepta fuisse, sed simul certum sit ritus accidentales omissos fuisse; supplenda tantum sunt quae fuerunt omissa: quod tamen fieri solet tantum in baptismo, ordine et matrimonio.

VIII. Si circa accidentalia nulla sit certitudo omissionis, sed tantum dubium occurrat, nihil amplius faciendum est.

15. Cum vero in applicanda regula V.ª anxietates saepe oriri soleant; hinc aliae regulae circa eam habendae sunt.

I. Attendendum est ad tria: 1. ad qualitatem dubii; 2. ad qualitatem sacramenti; 3. ad qualitatem fori: seu distinguendum inter dubium et dubium, inter sacramentum et sacramentum, inter forum et forum.

II. Quod attinet ad dubium, in genere debet esse prudens; adeoque futile et levissimum spernitur. Si dubium sit facti, iuris et facti, iteratur sacramentum.

III. Quod si attinet ad Sacramentum necessarium necessitate medii h. e. *a*) Baptismus, a quo alia Sacramenta pendent; *b*) tum Ordo, quoad Presbyteratum et Episcopatum, facilius iteranda sunt, sive iuris sive facti sit dubium, et licet non ita grave videatur, quoad 1ᵐ. fit iniuria gravissima, cum dubie baptizatus salutis aeternae amittendae periculo exponatur; quoad 2ᵐ. quia exponuntur invaliditati sacramenta, quae administranda sunt: unde valet pro hoc casu propositio damnata.

IV. Quod attinet ad forum: in externo, nisi ratio scandali vetat, vel nisi multorum conscientiae sint inquietandae, etiam confirmatio, subdiaconatus, diaconatus, iterari possunt, modo prudens adsit dubium. In interno foro licite iterantur.

Prop. 3. De valida sacramentorum collatione, seu de iis, quae praeter elementa eorum essentialia, de quibus supra dictum est, necessaria sunt ad ea valide conferenda: quatuor recensenda sunt i. e. 1. Minister idoneus; 2. Subiectum capax; 3. Debita intentio; 4. Legitimae formae ac materiae applicatio.

I MINISTER IDONEUS

16. I. De Ministro attendi debet 1. Quis valide conferre possit; 2. Quis valide simul et licite; 3. Quis sit effectus si illicite? Resp. ad 1^{m}. In genere qui a Christo Domino vel constitutus vel certe permissus est.

17. Ad 2^{m}. qui servatis legibus, quae ad decentem sacramenti collationem (sive ex natura sacramenti proprie deputatus ipse sit, sive cui ab Ecclesia reservatum id est) servandae sunt a ministro ex voluntate Christi aut Ecclesiae praecepto.

18. Ad 3^{m}. scilicet effectus, praeter peccatum, quandoque sunt censurae, praesertim excommunicatio ob implicitam adnexionem haeresis: quandoque alia poena e. g. privatio executionis ordinis suscepti, irregularitas....

Interim cf. *c. debitum de baptismo:* ibi Judaeus in periculo mortis se immersit in aquam dicens: *Ego me baptizo;* tum teneatur sequens:

Prop. 4. Ministri porro non Angeli sed homines sunt per quos Christus Dominus sacramenta sua dispensanda esse voluit, unde sequitur: ut 1) ii homines in illis administrandis personam Christi gerant: ut 2) is solus possit esse publicus eorum minister, qui a Domino constitutus est; 3) a cuius ministri probitate non pendeat sacramentorum validitas; 4) et si ab ipso vel haeretico aut schismatico aut excommunicato ea rite conferantur, valeant adhuc; dum 5) sacramenti minister modo sibi convenienti i. e. humano operetur, habens scilicet voluntatem seu intentionem illud sacramentum vere et serio conficiendi.

19. *Declaratur.* Passim patet in Evang. Christum Dominum hominibus commisisse administrationem sacramentorum: *Docete omnes gentes baptizantes eos....* Matth. 28. *Quorum remiseritis*

peccata remittuntur eis. Io. 21. *Pro Christo legatione fungimur. 2. Cor. 5. 20.* Porro ex his et similibus arguitur I. Ex ipsa enim natura *a*) ministerii Ecclesiae commissi non modo ad docendum et regendum, sed etiam ad sanctificandum; et in sanctificando quoque pro Christo legatione homo fungitur; *a*) unde ministri Ecclesiae non nomine suo sacramenta administrant: sed nomine et auctoritate a Christo accepta, quod liquet maxime in Eucharistiae consecratione. *b*) Id confirmat traditio PP. ex quibus Augustinum contra *liter. Petiliani l. 3. c. 49.* citasse sufficiat. « Hic Christus est qui baptizat, in Spiritu S. nec sicut Petilianus dicit iam baptizare cessavit, sed adhuc id agit non ministerio corporis, sed invisibili opera maiestatis ». *c*) Patet quoque ex rei natura, quia non potest homo sua auctoritate et virtute alios sanctificare. Ergo id agit quâ Christi gerit personam.

Inde patet et II^{m}. Cum enim sacramenta sint actiones Christi vicariae ad effectus supernaturales producendos, nonnisi is poterit esse minister, quem Dominus determinavit. Ad rem Franzelin heic: « Minister potestatem habet remittendi peccata gratiamque conferendi non immediate et absolute, sed quatenus habet potestatem tamquam Dei legatus ponendi actiones sacramentales, quae, eo ipso quod fiunt a ministro tamquam legato, actiones sunt Christi et Dei, et ideo efficaces gratiae et remissionis peccatorum ».

Unde patet III^{m}. et IV^{m}. *a*) Ipsi enim operi operato seu signo sacramentali inest virtus conferendi gratiam: unde cum sacramenta per homines sint ministranda, per eos scilicet qui pro Christo legatione funguntur, potestas vicaria ministri immediate pertinet ad ponendum ipsum signum, quâ est sacramentale et efficax gratiae, atque *mediate,* per ipsam scilicet actionem sacramentalem, pertingit ad gratiae collationem: ideoque minister eatenus tantum causa est gratiae, quatenus potestate sibi a Christo collata sibique inhaerente utitur ad ponendum signum efficax gratiae. Item haec est Traditio PP., qui ex principio « sacramenta sua propria constare sanctitate » inferunt eorum valorem independentem esse a ministri sanctitate. Nominatim, quod ministri fides non requiratur, est dogma fidei ut patet ex controv. cum Donatistis et ex *Trid. Sess. 7. can. 4.*

Patet et V^m. Ex *Trid. Sess. 14. c. 6. et can. 9. et Sess. 7. c. 11.* Insuper necesse est in sacramentorum confectione ut is, qui eadem administrat, agat tamquam legatus et minister Christi, ideoque actionem ponat non nomine suo proprio, ceu actionem suam, quia tunc profecto non est sacramentalis, sed nomine Christi auctoritate ab eo accepta, actionem ministerialem. Sed ministerium, i. e. administratio potestatis commissae et rationabiliter commissae, concipi nequit sine voluntatis rationalis deliberatione, seu intentione, qua homo velit se exhibere ministrum Christi: potest enim minister ponere actionem nomine suo et nomine Christi, quae indifferentia non tollitur nisi voluntatis nutu.

II. SUBIECTUM CAPAX SACRAMENTORUM.

Propositio 5. Exhibetur Subiectum capax recipiendi Sacramenta horumque effectus, scilicet vel gratiam primam vel secundam, et in aliquibus etiam characterem generatim varium ex varia sacramentorum specie.

20. Universim inquiri potest quoad singula sacramenta. 1. Quis sit ad validitatem proprie capax. 2. Quis legitimus. 3. Quid iuris si illegitimus. Post baptisma e. g. ad omnia alia Sacramenta subiectum capax debet esse baptizatus; quoad ordines debet esse etiam masculus; quoad matrimonium debet esse immunis ab impedimentis dirimentibus; quoad adultos hi debent habere intentionem recipiendi Sacramentum, scilicet id de quo agitur suscipiendi, *c. 3. de Bapt.:* quae legitima intentio *in infante* et amente est in voluntate Christi et Ecclesiae; *in eo, qui incidit* in amentiam aut morbum gravissimum, sufficit ut expressa fuerit intentio ante eas calamitates; in adultis et mentis integris sufficit habitualis. *Conc. Chartag. III. c. 34. et Araus. c. 11.*

Ad honestatem ut capax sit subiectum requiritur ad gratiam recipiendam morum integritas. *Trid. Sess. 7. can. 6. de Sacramentis.*

III. INTENTIO NECESSARIA IN DISPENSANTE.

21. Si in subiecto saltem habitualis intentio requiritur: *quaer.* quaenam intentio necessaria est in dispensante seu ministro?

Resp. Minister ut rite perficiat sacramentum, ad *validitatem* eius opus habet *a*) *legitima potestate. Conc. Trid. Sess. 7. can. 11. de Sacramentis; b*) *legitima voluntate* seu intentione faciendi id quod facit Ecclesia. *Concil. Trid. Sess. 6. can. 11. de Sacramentis.*

Sed cum haec intentio triplicis generis sit, actualis, virtualis et habitualis; prima et altera efficaces, tertia inefficax est.

Propositio 6. — Intentio necessaria et sufficiens in dispensante virtualis esse debet.

22. *Declaratur.* Asserimus quod habitualis non sufficit, actualis non requiritur; ergo necessaria est et sufficit virtualis. *Habitualis* dicitur intentio semel actu elicita alicuius rei peragendae, quae licet non fuerit unquam revocata, tamen omnino deserta fuit, interpositis actionibus alterius generis: dixi *deserta;* scilicet in intentione habituali deseritur ipsa intentio actualis. Cum vero diuturno tempore intercedente videatur deserta, hinc dicitur deserta interpositis... *Actualis* intentio est, qua quis vult efficere id, quod agit. *Virtualis* dicitur, qua quis, praevia actuali voluntate non retractata, multa agit, quae ad rem efficiendam conducunt; quamvis dum sacramentum conficit, alio distractus id quod agit, non advertat: seu ut ait Bened. XIV., quae intermissa non est diuturno temporis tractu, nec revocata contraria intentione, post habitam actualem: quae actualis intentio, ut dixi, deseritur in intentione habituali, in virtuali autem servatur per coniunctionem moralem mediorum. Iamvero actualis intentio est omnium praestantissima tum in dispensante, tum in suscipiente sacramentum.

Dixi *non sufficit habitualis,* qualis etiam potest esse in ebrio, vel dormiente; cum actus ab eo procedens non sit humanus nec deliberatus. Actualis non requiritur, qua scilicet actu intendis et vis hoc facere, etsi melior sit et insinuanda: quia

ea non est in nostra potestate, et homo facile distrahitur: nimis autem durum et plenum scrupulis fuisset, si Christus Dominus hanc requisivisset. Ergo sufficit *virtualis,* quae, ut diximus, ex actuali praecedente relicta durat in aliqua actione vi illius incaepta et continuata, ut si ex intentione baptizandi vel celebrandi pergas ad Ecclesiam, sacras vestes induas, ad altare vel baptisterium accedas, etsi interim omnia alia cogites. Hoc enim sufficit ut actio illa sit humana et moralis.

Porro Martin. V. art. 22 ex 39. de quibus erroribus Wicleff et Huss suspecti interrogandi sunt, *Eugen. IV. Instr. pro Armenis et Concil. Trid. Sess. 7. can. 11,* statuunt ut sit saltem *intentio faciendi quod facit Ecclesia.* Iamvero hac formula significatur 1. non requiri intentionem *explicitam* agendi nomine Dei et Christi et conferendi sacramentum formaliter qua efficax gratiae; sed 2. sufficere intentionem implicitam in altera, qua quis velit sese in illo actu exhibere Ecclesiae ministrum: 3. hanc ipsam sufficere si sit concepta *in confuso et generatim* faciendi quod Ecclesia sive christiani in huiusmodi ritu facere consueverunt.

Tandem Minister ut rite perficiat Sacramentum, *ad honestatem,* morum integritate ornari debet. *C. 98. can. 1. q. 1.*

IV. APPLICATIO IUSTA MATERIAE AC FORMAE.

23. Restat 4^m^. quod est applicatio iusta materiae et formae, de qua nobis dixisse sufficiat: 1°. ut utraque ab eodem ministro applicetur: 2°. coniuncta sit simultaneitate saltem morali: 3°. ut fiat praescripto modo e. g. tactu corporali et physico in Baptismate, Confirmatione, Extrema unctione: *absque dubio.* In *Ordine* disputatur.

DE NUMERO SACRAMENTORUM.

24. Propositio 7. — Ad numerum quod spectat Sacramentorum, septem esse novae Legis Sacramenta secundum septem diversitates personarum in Ecclesia ex Concil. Florent. et Trid. Sess. 7. can. 1.... omnino patet. Primum est intrantium ut baptismus: 2. est pugnantium ut confirmatio: 3. est vires resumentium ut Eucharistia: 4. est resurgentium ut poenitentia: 5. est exeuntium ut extrema unctio: 6. est ministrantium ut ordo: 7. novos milites introducentium ut matrimonium.

Prob. *Cf. Bellarm. l. 2. c. 23.* Praeter allatas definitiones ad id comprobandum; 1. sunt Christiani omnes a saec. XII. ad saec. XVI. conspirantes in hanc fidem et quidem professione unanimi (cum theologorum nullus hac de re dubitaverit) non solum theoretica et privata, sed practica, solemni et quotidiana. 2. In hanc fidem conspirarunt cum Latinis ipsi Graeci etiam seiuncti ab unitate romana, ut in saec. IX. 3. Quin imo fidem hanc profitentur sectae Orientis ab Ecclesia Latina seiunctae iam a saec. V.

DE RITIBUS SERVANDIS.

25. Propositio 8. — Ex principio, quod ministri in Sacramentis dispensandis, praeter nudum ministerium nihil prorsus vindicare valeant, atque adeo non propriam sed Christi personam referant, sequitur, quod ut valide ac licite agant, regulas ab ipso Christo et ab Ecclesia praescriptas in illorum administratione accurate servare et custodire teneantur. Ad ritus quod spectat circa accidentalia, qui in sacramentis administrandis vel conficiendis servantur, ii ab Ecclesia partim per Apostolos, partim per eorum successores instituti sunt: qui plurimum commendantur tum ob antiquitatem, tum ob utilitatem, utpote quibus fideles vel edocentur vim sacramentorum, vel confirmantur in fide mysteriorum, vel magis reverenter et devote ad ea recipienda accedunt. Hinc horum omissio absque necessitate, etsi culpa non vacet, sacramentum haud facit invalidum.

Cf. prob. prop. penes TTh. praesertim Bellarm. l. c. Interim tria adnotamus: 1. est quod minister non curet tantum

quae ad substantiam sacramenti sunt necessaria, sed etiam quae ad decorem sive ex natura rei, sive ex praecepto Ecclesiae spectant. Secus sacramenta dehonestat et tractat indigne: sacramenta porro sancte sunt tractanda; praecepta Ecclesiae de iis obligant in conscientia, atque adeo ritus ab Ecclesia instituti licet sacramentum non irritant, omitti tamen absque piaculo nequeunt. *Conc. Trid. Sess. 7. can. 13. de Sacram.*

2. Alterum quod notamus est, ne quidquam exigatur, sed tantum sacramento iam peracto, eleemosynae nomine posset aliquid sponte oblatum recipi.

3. Tandem advertimus linguam liturgicam h. e. latinam servandam esse, nec quidpiam eidem in administratione sacramenti admiscendum, licet fortasse alicubi nonnihil tale fuerit toleratum. Ad obiectionem quod secus suscipientes nihil intelligunt, respondendum est debere Parochos saepe populum instruere.

TITULUS III.

DE BAPTISMO.

Summarium. — Ut summatim de singulis ita et de baptismo dicendum nobis est: tamen hoc ordine ut distributo titulo in quinque partes, tradatur 1. de natura, effectibus et institutione; 2. de materia, forma et ministro; 3. de legibus disciplinaribus; 4. de subiecto; 5. de patrinis.

I. NATURA SEU DEFINITIO, EFFECTUS, INSTITUTIO.

26. I. **Definitio:** *Sacramentum regenerationis hominis peccato originali, vel etiam actuali spiritualiter mortui* (can. 136. dist. 4. de consecr.) *per aquam in verbo.* Catech. Rom. par. 2. c. 2. n. 5.

Baptismus solet etiam definiri: Sacramentum novae legis, quo per exteriorem corporis ablutionem, adiecta verborum formula, interior animae ablutio significatur, atque producitur, ablutusque in Ecclesia constituitur.

Hinc licet baptismus triplex dicatur h. e. *fluminis,* qui ex ablutione, *flaminis* qui ex desiderio, *sanguinis* qui ex martyrio; nihilominus prima tantum species est sacramentum, reliquae

vicem praestant illius; at non imprimunt characterem: quoad ceteros effectus, de quibus mox, omisso baptismo sanguinis, qui ita baptizatum transfert ex hac vita temporali, Deoque perfecte coniungit in aeterna; baptismus flaminis internam tantum coniunctionem cum Deo praestat, et effectus ab eo immediate dependentes, qui ad externam cum Deo, eiusque Ecclesiae coniunctionem pertinent, non producit ut infra patebit.

Dixi, licet triplex dicatur sacramentum, h. e. quia ferme apud omnes DD. triplex species distinguitur penes *Gloss. 1. in Sum. D. 4. de Consecr.* scilicet 1°. fluminis seu aquae *c. 1. D. 4. de Cons. c. 5. de Baptismo,* qui vere sacramentum est *can. 54. cau. 1. q. 1.* 2°. Flaminis seu desiderii *c. 2. de Presbyt. non baptizato* et 3°. Sanguinis seu martyrii *c. 34. D. 4. de Consecr.* qui proprie vicem baptismi praestant. *Gloss. in c. 34. Dist. 4. de Consecr.*

27. II. **Effectus baptismi** sunt 1. Characteris impressio, 2. Gratia habitualis seu sanctificans, quae id proprium habet, ut hominem in Christo regeneret ac deleat omnem culpam tam originalem, quam actualem, omnemque poenam tam aeternam quam temporalem in altero saeculo persolvendam; ac insuper det auxilia quaedam specialia novae spirituali nativitati respondentia, ut homo in Christo regeneratus ita se conformet in vita spirituali, et alia sacramenta rite suscipiat.

3. Effectus est, ut Baptizatus cum Christum habeat in patrem, habeat eius sponsam Ecclesiam nempe in matrem. Baptizatus igitur statim subiicitur potestati spirituali, quam Christus Ecclesiae dedit, simulque ius acquirit ad universa bona spiritualia, eiusdem Ecclesiae dispensationi ab eius sponso commissa, quibus spiritualibus bonis filios suos degeneres Ecclesia aliquando in totum, aliquando in partem privat, ut resipiscant; unde natae sunt diversae poenarum spiritualium species. Seu ut enucleatius efferam: tertius effectus est ut introducat baptizatum in Ecclesiam, unde *Ianua* appellatur; atque ita introductum filium Dei adoptivum faciat. Ex qua adoptione sequitur quoad internam coniunctionem (quae datur et in baptismo flaminis) cum Deo, ut gratus Deo fiat, et ius acquirat ad haereditatem Dei. Quoad externam coniunctionem cum Deo in hac eius Ecclesia, sequitur *quoad ipsum* 1. ut fiat capax

sacramentorum, aliorumque bonorum spiritualium; 2. ut ius ad eadem acquirat; *quoad Ecclesiam* vero *eum suscipientem,* ut ea acquirat iurisdictionem in ipsum, iure seu potius officio ab ipso Christo sibi pluries delato, qui scilicet praecepit ut baptizatos pascat et regat.

Iamvero quod capacitas sacramentorum pendeat ex coniunctione externa, adeoque tantum ex baptismo fluminis acquiratur, inde dimanat, quod collatio ceterorum sacramentorum irrita sit, baptismo non praemisso. De qua re habemus tit. 43. l. 3. Decretal. *De Presbyt. non baptiz.,* ibiq. *c. veniens* seu ultimum, quo ea, quae diximus, illustrantur. Ibi Innoc. III. noluit rem dirimere, sed tamen quoad praxim recte respondit.

Quod ius acquirat ad bona spiritualia inde est 1°. quia pertinent ad haereditatem patris; 2°. quia sunt instar alimentorum: filii autem habent ius ad alimenta.

Quod *Ecclesia acquirat iurisdictionem...* patet, quia iure a Patre sibi delato non modo Mater est, sed etiam vicem patris praestat.

Inde sequitur *a*) quod Ecclesia iis privare potest filios degeneres. Neque obstat ea, quibus privat, esse alimenta. Nam 1°. desinunt esse alimenta, excepto sacramento Poenitentiae, quod numquam negatur; 2°. medicinales poenae sunt etiam imminutus usus alimentorum.

b) Sequitur inde quoque ut haeretici et schismatici sint in potestate Ecclesiae iure divino.

28. III. **Institutio Christi** cf. penes probatos TTh. nominatim Bellarm. Qua in re duo diversa tempora baptismi notanda esse monet Catech. rom. *part. 2. de bapt. n. 20.*: alterum cum Salvator eum instituit; alterum cum lex de eo suscipiendo sancita est. Ac quoad 1^m. attinet, tunc a Domino hoc sacramentum institutum esse perspicitur, cum ipse a Ioanne baptizatus sanctificandi virtutem aquae tribuit. *Matth. 3. 16.* Testantur enim Sancti Gregor. Nazianz. et August. eo tempore aquae vim generandi in spiritualem scilicet vitam datam esse... Atque ad eam rem illud maxime argumento esse potuit, quod tunc SS. Trinitas, in cuius nomine baptismus conficitur, numen suum praesens declaravit. Vox enim Patris audita est, Filii persona aderat, et Spiritus S. in columbae specie descen-

dit; praeterea caeli aperti sunt quo nobis iam per baptismum licet adscendere.

Et n. 21. ad quaes. quo tempore lex de baptismo lata fuerit; respondet: inter sacros scriptores convenit post Domini resurrectionem, cum Apostolis praecepit « *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus S.,* ex eo tempore omnes homines qui salutem aeternam consecuturi erant, lege de baptismo teneri coepisse ».

II. DE MATERIA, FORMA ET MINISTRO.

29. I. **Materia** duplex est: *remota* quae est aqua ipsa, qua baptizandus abluitur, quae naturalis audit, quaeque opponitur artificiali e. g. aquae rosaceae, qua ne in casu quidem necessitatis extremae quisquam uti potest: et materia *proxima* quae est ipsa ablutio, cuius numerus vel unicus vel trinus esse potest *can. 80. Dist. 4. de Consecr.;* servato tamen uniuscuiusque Ecclesiae usu *Catech. Rom. p. 2. c. 2. n. 18. Modus ablutionis* triplex est: per immersionem, per infusionem, per aspersionem, ita ut fluere aqua debeat. Ritum immersionis constanter retinuit Ecclesia tum Graeca tum Latina per 12 priora saecula: deinde infusio usu recepta est in Ecclesia Latina ob vitae periculum in infantibus, et ob vitandam nuditatem in adultis. Quovis autem modo baptismus conferatur, sedulo cavendum est ut baptizandus vere abluatur in praecipua corporis parte: non autem in capillis *cf. De Lugo resp. moral. l. 1. c. 1.* qui validitatem tuetur, licet sic baptizatum rebaptizandum sub conditione dicat.

30. II. **Forma baptismi** apud Latinos est « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spir. S. » *c. 1. de bapt.;* apud Graecos: « Baptizetur servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spir. S.» Catech. Rom. *part. 2. c. 2. n. 14.* Unde patet irritum esse baptismum si omitteretur « Ego te baptizo », oppositamque opinionem damnavit Alex. VIII.

Baptismus distinguitur in *solemnem* et *privatum:* in solemni omnes adhibentur caeremoniae, quae omittuntur in baptismo privato. Alii distinguunt solemnem a publico: 1^m. ab

Episcopo tempore Paschatis et Pentecostes confertur: 2^m. a parocho per annum in sua Ecclesia.

31. III. **De ministro baptismi** quaeritur: 1. quis valide; 2. quis licite baptizet; 3. quis extraordinario valeat baptizare.

Resp. ad 1^m. *Valide* quivis, dummodo habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, etiamsi censeat Ecclesiam falso putare ex illa actione nasci posse effectus illos supernaturales, quos credit e baptismo prodire. Atque haec radix est unde prodiit quaestio de intentione interna et externa; quae sane quaestio, si ad eam radicem revocetur, fortasse componi posset. *Cf. prob. Auct.*

Resp. ad 2^m. *quis licite* scilicet: quidam licite possunt ordinario, quidam ex delegatione, quidam tantum extraordinario conferre baptismum. *a*) *Ordinario quidem* Episcopus, non quilibet sacerdos, sed parochus qui sit sacerdos, ita ut parochus diaconus ordinario non possit; *b*) *ex delegatione* sive Episcopi sive parochi quilibet sacerdos: et diaconus cum sacerdos impeditus est; *c*) *extraordinario* quicumque alius debitis servatis conditionibus.

Resp. ad 3^m. *extraordinarius* minister quibus legibus? scilicet 1. ut tantum privatim; 2. omissis caeremoniis necessariis; 3. debito ordine servato, habita nimirum ratione dignitatis christianae seu catholicae, clericalis, virilis. *Catech. Rom. par. 2. c. 2. n. 25.* Unde in necessitate quivis alius etiam haereticus et infidelis baptizare valet *de Catech. Rom. p. 2. n. 24.*

Quaer. 1°. *Quid de sacerdote suspenso aut interdicto?*

Resp. Potest baptizare in necessitate, privatim, numquam solemniter *S. C. de P. F. ad Vicarium Apost. Tunkini occidentalis 21. Ian. 1789. ad 2^m. dub.*

Quaer. 2°. Si adsit vir laicus aut foemina an praeferri debet sacerdos huiusmodi?

Resp. Tuto affirmative: quia suspensio et interdictum arcent ab exercitio actuum, qui sint omnino proprii ordinis. Talis cum non sit baptismus privatus, quia confertur etiam a laico, hinc puto hunc sacerdotem praeferri laico deberi ratione dignitatis, quae est ex charactere.

Obiic. Praedicta responsio tantum valet necessitate urgente: cum autem alius est, licet laicus, non urget necessitas.

Resp. S. C. loqui de necessitate relate ad actum ponendum, non relate ad personam. Secus censendum de excommunicato licet tolerato, nisi excommunicatio occulta esset.

III. DE LEGIBUS DISCIPLINARIBUS.

32. 1. *Ut nemo baptizari queat in privatis domibus,* exceptis liberis principum aut regum, vel constitutis in gravi necessitate *Clem. un. de baptis.* Locus enim solemnis baptismi conferendi est Ecclesia parochialis baptisterium habens, in quo servatur aqua certis quibusdam ritibus benedicta ad hoc sacramentum conferendum: ergo praeter duos casus exceptos, illicite conferetur in domibus privatis. Dixi constitutis in gravi necessitate, ob quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo accessus haberi.

33. 2. *Tempus baptismum conferendi* antiquitus erat Pascha et Pentecoste nisi necessitas aliqua postulasset, quod nunc etiam servandum est, ut praescribit Rituale Rom. quoad fieri potest circa adultos, eosque infantes, qui prope illud tempus nascuntur, dummodo iis baptismus non differatur ultra diem nonum a nativitate ob maxima vitae pericula, quae iis impendent.

34. 3. Ex antiqua praesertim baptizandi disciplina *usus Patrinorum profluxit.* Baptizandi enim, qui hinc maiori ex parte erant adulti, instrui debebant et baptismo offerri: demum e sacro fonte, quem nudi omnino ingrediebantur, erant suscipiendi. Unde qui haec munia obibant *patrini* dicti sunt, quasi parentes essent baptizatorum in nova eorum spirituali generatione.

Porro de Patrinis statuit Trid. Synod. *Sess. 24. c. 2. de R.* ut unus tantum seu vir seu mulier, vel ad summum *unus* et *una* baptizatum de baptismo suscipiant. Pro his ergo Patrinis requisita sunt *a*) positiva: scilicet ut sint insigniti sacramento confirmationis et pubertate; ut sint imbuti sana et catholica doctrina atque fidei rudimentis. Ut praediti sint sana mente bonisque moribus. *Cf. Ritual. Rom. de Sacram. Baptis. cap. de Patrinis; b*) negativa nimirum, ut non sint ratione muneris quod iis committitur, censuris illigati neque infames; *ratione cogna-*

tionis ut non sint parentes suorum filiorum, aliter usu matrimonii interdicuntur; ratione status ut non sint Abbates, neque Monachi, neque Clerici saeculares absque Episcopi venia *c. 103. dist. 4. de Conf.*

Munera praecipua a Patrinis praestanda, sunt *a*) in baptismi actu, *duo* scilicet 1. baptizandos e s. fonte suscipere; 2. pro infantibus aut adultis mutis respondere. *Rit. Rom. Ord. bapt.* *b*) Post baptismum susceptus in re christiana edocere. Cat. Rom. *Part. 2. c. 2. n. 26. et 28.*

IV. DE SUBIECTO BAPTISMI.

I. Subiectum baptismi sunt tam infantes quam adulti.

De Infantibus distinguatur 1. inter natos e fidelibus; 2. inter natos ex infidelibus; 3. inter ignotos.

35. *a*) *Si nati sint ex fidelibus,* baptizandi omnino sunt; *b*) Si autem *ex infidelibus* orti sunt, videndum 1. est quando et quibus sub conditionibus baptizare eos liceat; 2. quid agendum, quando utcumque etiam contra regulam baptizati sunt.

Quoad 1^m^. Quaestionem praemonendum est hac de re duas extare constitutiones Bened. XIV. quae omnino prae oculis habendae sunt, alteram, quae incipit *Postremo mense* atque edita est die 28 Febr. 1747; alteram, quae incipit *Probe nosti* atque edita est die 15 Nov. 1751, iuxta quas imo et iuxta praecedentes canones distinguendum est inter casus ordinarios et inter casus extraordinarios. Quoad casus ordinarios, cum *quaer.* quando et sub quibus conditionibus baptizari possint: respondendum est generatim, quando uterque parens patriam amiserit potestatem: vel quando *offeruntur a parentibus* vel ab eo, qui loco parentum est, ad effectum ut in christiana religione edoceantur, atque educentur.

Dixi 1°. a parentibus, non a patre tantum. Licet enim patria potestas sit Patris, nihilominus in materia fidei et favore fidei etiam mater patri aequiparatur, etiamsi id faciat, patre reclamante h. e. marito suo. Dixi 2°. vel ab eo, qui loco parentum est. Unde sequitur 1. ab avo paterno. Et quidem si pater infantis maneat adhuc in eius potestate nullum dubium est. Sed etiamsi emancipatus fuerit, avus paternus pot-

erit saltem favore fidei; 2. a tutore, vel, si plures sint, ab aliquo eorum; 3. a dominis relate ad filios servorum non quidem mercenariorum, sed qui iure gentium tales sunt. Dixi 3°. qui loco parentum est in materia fidei. In materia enim fidei et eius favore aliqui existimantur esse loco parentum, qui in aliis materiis tales dici nequeunt. Itaque si pater et avus paternus mortui sint, sat est ut praesententur ad baptismum ab avia paterna, licet mater superstes sit et reluctetur, uti respondit Bened. XIV. in dicta Const. *Probe nosti.* Imo si ambo parentes, una cum avo paterno mortui fuerint nil dubitandum quin refragantibus etiam tutoribus, praesentari ad baptismum possint a proximis agnatis vel cognatis. Cum enim agitur de favore fidei et salutis spiritualis infantis non est dubitandum plus posse vinculum naturale, quod est in agnatis et cognatis, quam auctoritas mere civilis, quae est in tutoribus. Dixi 4°. quod praesentari debent ad effectum ut in christiana religione educentur. Unde sequitur 1. quod si praesententur ob alium finem non sint recipiendi. De Agarenis narrat Bened. XIV. *l. c.* 2. si praesententur etiam ob finem ut christiani fiant, sed exploratum sit eos deinceps in christiana non fore educandos, non posse recipi; 3. si praesententur ab haereticis, quia ministellus abest, ea scilicet mente ut deinceps in haeresi educentur, non posse recipi.

Quid vero si praesentatus fuerit, et deinceps eum, qui praesentavit poeniteat, et eum repetat, cum nondum baptismus collatus sit? *Resp.* Donatus Christo, non potest repeti adeoque non est restituendus. Haec de casibus ordinariis.

Quoad casus extraordinarios excipiendus est casus 1. mortis impendentis, in quo duo animadvertenda sunt: *a*) posse adhiberi etiam materiam (sive proximam sive remotam), quae dubia sit; *b*) in casu quod convalescat, iterandae seu supplendae sunt ceraemoniae... 2. Alter casus extraordinarius est, si agatur de infantibus derelictis, qui cum possint ab omnibus in domum propriam adduci, ut corporaliter alantur, multo magis possunt ad baptismum deferri ut spiritualiter salvi fiant.

36. Restat 3ª. classis infantium h. e. eorum qui ignoti sunt. Sunt autem expositi. Hi baptizandi sunt sub conditione, licet habeant schedulam ignoto auctore scriptam, quod baptizati

iam fuerint. Potest enim pertinere ad infidelem qui fraudis schedam reliquerit... Denique non est fidendum genitoribus, qui prolem suam abiecerunt. Si tamen aliqua ratione deprehendi posset a quo scripta fuerit, vel ad quem infans pertineat antequam baptizetur, necesse est ut congruae inquisitiones praemittantur.

Dixi autem *sub conditione* quatenus nempe agatur de expositis in terris christianorum, aut saltem mixtis, in quibus infantes baptizari solent. Si enim de expositis ageretur in terris infidelium baptizandi essent absolute. Tandem notamus supradictos infantes posse baptizari modo aliqua saltem ex parte e matris utero prodierint, quae pars si fuerit caput, nullo modo baptismus iteratur: si quaevis alia, iteratur sub conditione.

Ad alteram quaestionem quod spectat scilicet:

37. *Quoad adultos* quaer. a) *quis talis dicatur;* b) *quae sint regulae circa infideles;* c) *quae circa haereticos de quorum baptismo dubitatur.*

Quis talis dicatur: patet quod adultus dicatur septemnio maior: Porro de adultis regula generalis est, quod non debeant ante baptizari, nisi 1. consentiant; 2. instructi sint; 3. experimento probati; 4. dispositi proxime ad ritus etc. — Neque debent ante baptizari quam Trinitatis et Incarnationis mysteria fuerint edocti, vitamque veterem detestantes novam inchoare promittant servando divina mandata. Haec adultorum instructio iam a priscis temporibus *catechumenatus* audit, cuius tempus antiquitus regulariter erat triennium; at modo relinquitur sacerdotum arbitrio definiendum pro maiori vel minori catechumenorum docilitate et pietate.

Quoad haereticos, de quorum baptismo dubitatur, regula 1ª. sit ea, quae a Bened. XIV. de Synod. l. 7. c. 6. traditur in fine « Quod si denique diligenti praemissa perquisitione, rei veritatem certo assequi (Episcopus) nequiverit, et dubia sibi atque incerta remaneat validitas baptismatis illud utique erit sub conditione repetendum, quod in cit. nostra Instit. 84. declaratum dicimus a S. Cong. Conc., quae interrogata an et in quibus casibus haeretici debeant sub conditione rebaptizari, si ad fidem catholicam convertantur: die 27 Mart. 1682 re-

spondit non esse rebaptizandos, nisi dubium adsit probabile invaliditatis baptismi ».

Et n. IX. Bened. XIV. addit « Caveat tamen Episcopus ne incertam et dubiam pronuntiet baptismi validitatem hoc tantum nomine, quod haereticus minister a quo fuit collatus, cum non credat per regenerationis lavacrum deleri peccata, illud non contulerit in remissione peccatorum atque ideo non habuerit intentionem illud conficiendi, prout a Christo Domino est institutum.... sacramenti enim validitati non officit privatus ministri error, cui praevalet generalis eiusdem ministri intentio faciendi, quod Christus instituit, seu quod fit in vera Christi Ecclesia ».

S. C. S. Off. 20 Nov. 1878 « Utrum conferri debeat baptismus sub conditione haereticis, qui ad catholicam fidem convertuntur e quocumque loco proveniant et ad quamcumque sectam pertineant.

« *Resp.* Negative; sed in conversione haereticorum, a quocumque loco vel a quacumque secta venerint, inquirendum est de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro temporum et locorum ratione investigatione peracta nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem seu professionem fidei ».

Regula 2ª. patet ex dictis quod baptizandi, uti dictum est volentes, non autem inviti sint: hinc debent consentire, etsi dubium sit baptisma susceptum, etsi in 1ª. collatione voluntatem habuerint baptizandi.

Regula 3ª. ut sint experimento probati, dispositi et praesertim instructi. Adulti enim (secluso mortis periculo...) non debent ante baptizari, quam Trinitatis et Incarnationis mysteria fuerint edocti, vitamque veterem detestantes, novam inchoare promittant, servando divina mandata.

Haec adultorum instructio dicitur *catechumenatus*, cuius tempus antiquitus erat triennium: at modo relinquitur sacer-

dotum arbitrio definiendum pro maiori vel minori cathecumenorum docilitate ac pietate (1).

Duo denique addenda sunt circa subiectum baptismi: 1°. ut baptizandi fidei professionem emittant et satanae abrenuncient. *Rit. Rom. Ord. Bapt.* — 2°. Ut baptizando nomen imponatur quod neque obscoenum, neque ridiculum, neque ethnicum, quoad fieri potest, sit. *Rit. Rom. de Bapt.*

(1) Generatim omnes acatholici toti sunt in arguendo de iniustitia parentes et patrinos baptizatorum eo quod obligationes pro his susceperint; atque adeo baptizatos postea factos adultos *solvunt* ab obligationibus susceptis per patrinos, qui e sacro fonte eos levarunt, si interrogati « an ratam habere velint quod patrini eorum nomine dum baptizarentur sunt polliciti » ipsi nolint.

Resp. cum P. Hurter de bapt. n. 332 « revera infantes hac teneri sponsione probatur 1. *ex iure naturae*. Parentes enim tenentur vel iure naturae infantibus consulere, quamdiu sibipsi providere nequeunt, ea quae necessaria sunt ad salutem tum corporis tum animae. Atqui ad salutem animae absolute necessarius est baptismus..... Sed sicut iure naturae tenentur parvuli, cum adoleverint ea pacta servare et solvere debita quae in utilitatem temporalem pro ipsis inierunt parentes, neque interrogandi sunt utrum ea rata habere velint, ita etiam iis obstringuntur obligationibus, quas baptismus ad salutem prorsus necessarius secum fert. – Probatur 2. *ex iure civili*. Nam ex iure civili (imo et naturali) tenentur pupilli iis stare pactis, quae in eorum utilitatem inierunt tutores. Atqui tutores infantium sunt parentes, patrini, Ecclesia: quae vero hi spondent in summam, in aeternam eorum cedunt salutem et commodum..... Ad haec vi iuris civilis tenentur infantes, quin adulti interrogentur, propter solam nativitatem ad leges patriae subinde duras subinde inutiles servandas... Probatur 3. *ex iure mosaico*. Infantes enim Iudaeorum vi circumcisionis obnoxii reddebantur universae legi mosaicae. Quapropter contra iustitiam non erit si parvuli quin interrogentur vi circumcisionis spiritualis i. e. baptismi ad legem christianam servandam obligentur. Probatur denique 4. *ex iure divino:* nam circumcisionis lex institutionis erat *divinae* ergo secundum ius divinum est, ut quis quin interrogetur vel consentiat, obstrictus sit legi divinae servandae. Praeterea omnis homo vi *nativitatis* velit, nolit, tenetur ad legis naturalis observantiam: proinde non erit contra ius divinum ut infans vi *regenerationis* quo fit membrum ordinis supernaturalis obnoxius reddatur huius ordinis legibus.

TITULUS IV.

DE CONFIRMATIONE.

Summarium. — Notio, Institutio, Materia et Forma exponitur.

38. I. **Notio.** Confirmatio a materia remota dicitur *chrisma;* a materia proxima sive ritu *impositio manuum* seu chrismatis sacramentum; ab effectu *confirmatio, sigillum...* Definiri solet: Sacramentum infusionis roboris per chrisma in verbo ad fidem virtutesque christianas firmiter retinendas augendasque. *Catech. Rom. p. 2. c. 3. n. 20. et 21.* Alii aliis verbis.

Confirmatio est *novae legis sacramentum quo baptizatis per Sacri Chrismatis unctionem et manus impositionem utramque ab Episcopo factam vel a Presbytero, cui R. Pontifex privilegium dederit, confertur augmentum gratiae, quae fidelem inclinat ad Fidem constanter tenendam et profitendam, nec non datur auxilium speciale ad illos actus, et character imprimitur.*

Quod sit *novae Legis* sacramentum probant TT. Dogmatici ex Trid. Sess. 7. can. 1. ex Act. Apost. c. 8. 14.–19 — ex S. Aug. de Trin. l. 15. n. 46. et aliorum Patrum traditione.

In quibus locis praesertim Sacrae Scripturae, etsi totidem verbis formaliter non exprimatur, tamen satis certe colligitur.

39. II. **Institutio Christi Domini**: cum enim Christus Apostolis promisisset se daturum Spiritum S., cumque ii per manuum impositionem Spiritum S. dederint baptizatis; dicendum sane est eos a Christo accepisse tunc morem, quo Spiritus S. gratia conferretur.

40. III. **Materia remota** est chrisma ex oleo et balsamo *Concil. Flor. in decr. de un. Armen.* quibus Graeci addunt alia 35 aromata *Euchol. Graecor. apud Goarium pag. 637; ed. Paris 1647.*

Quod materia remota essentialis sit chrisma confectum *ex balsamo* et *oleo olivarum,* benedictum ab Episcopo patet vel ex solis Eugenii verbis dicto decreto pro Armen. « Secundum sacramentum est confirmatio: cuius materia est chrisma

confectum ex oleo quod nitorem significat, et balsamo quod odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto » *cf. c. un. § 6. de Sacr. Unct.* Bellarm. *de Confirmat. c. 8:* et generatim eaedem auctoritates, quae exigunt oleum, exigunt quoque balsamum vel expressis verbis, ut Eugenius; vel aequivalentibus, cum nempe *chrisma* dicunt materiam sacramenti. Porro chrisma continuo usu ecclesiastico significat non unguentum ex simplici oleo, sed ex mixto, oleo scilicet et balsamo. Sufficit autem balsamum cuiusque regionis; Bened. XIV. *Constit. Ex quo primum § 52.*

Sunt qui balsamum requirunt ex necessitate praecepti Ecclesiae non vero sacramenti, arguentes ex Innoc. III. *c. Pastoralis, de sacr. non iterand.* Quaesitum nempe fuerat an confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate sed oleo delinitus, Pontifex respondet « non est aliquid iterandum, sed caute supplendum quod incaute fuerat praetermissum ». Ergo Innoc. III. putare videtur unctionem balsami esse accidentalem atque adeo solo oleo sacramentum confici: secus illud iterandum esset.

Resp. Ut solet in similibus Ecclesia Romana, Romanus Pontifex praescindens a quaestione quinam sint ritus essentiales aut accidentales considerat integritatem ritus, et negat totum ritum esse iterandum sed supplendum dicit omissum: quod autem heic suppletur constat esse ritum essentialem sacramenti. Huc facit responsum Suaretii in *q. 72. disp. 33. sect. 1. n. 13.* « Certum est ex illa responsione Innocentii supplendam esse in eo casu eam unctionem ex balsamo, quae facta non erat. Non potest autem supplere ungendo cum solo balsamo sine oleo, tum quia talis unctio numquam fuit adhibenda, et ideo nec praetermissa dici potest, nec supplenda, tum etiam quia suppleri debet unctio ex balsamo benedicto, balsamum autem numquam per se benedicitur separatum ab oleo. Erit ergo supplenda unctio ex solo chrismate, talisque qualis praetermissa fuerat. Non est autem supplenda sine forma, tum quia illi unctioni debita erat, ut sic dicam, illa informatio et haec etiam fuerat praetermissa, tum etiam quia prior forma caruerat veritate; quia non accidit in verum chrisma ut per illam significatur ».

Etiam benedictio episcopalis est de essentia, ut habet communis sententia contra Caiet., ideoque nulla delegatione sive Episcopi sive Papae simplex sacerdos potest conficere chrisma. *S. C. S. Off. die 13. Ian. 1655 et 14 Sept. 1842. Bened. XIV. de Synod. l. 8. c. 1. n. 4.* Unde saltem temeraria et errori proxima est affirmatio, quod sacramentum confirmationis possit valide ministrari chrismate ab Episcopo non benedicto.

At potest ne Romanus Pontifex hanc potestatem benedicendi oleum facere presbytero ?

Resp. Controvertitur.

Quoad substantiam eadem est materia sive novum sive vetus oleum sit, nec consecratio amittitur perseverante re consecrata sub eadem forma. Ex necessitate vero praecepti chrismate novo utendum est, nisi hoc desit et differri nequeat sacramentum *c. s. quis 122 de consecr. dist. 4.*

IV. **Materia proxima** est *unctio Chrismatis in fronte confirmandi,* Conc. Flor. *l. c.*, quae a Graecis extenditur ad aures, nares, pectus, oculos et pedes. *Euchol. Graec. l. c. p. 356.*

Quaer. an impositio manuum sit necessaria sacramento?

Resp. Controversia est, quam clare exponit Bened. XIV. *Const. Ex quo primum* § *51.* qui postea concludit « Hae sunt controversiae de quibus TTh. nostri disputant, et circa quas unicuique licet, eam sequi partem, quae magis ipsi placuerit ». Subdit tamen: « At nemini fas est asserere in Ecclesia graeca non adesse sacramentum Confirmationis. Si quis enim hanc opinionem tueretur, huic manifeste obstaret vetus orientalis disciplina, quam Apostolica Sedes optime perspectam habuit, nec unquam damnavit aut improbavit: iuxta quam in Graecorum Ritualibus nulla fit mentio de manuum impositione tamquam materia adaequata aut inadaequata sacramenti Confirmationis ». Ex quibus patet si qua admitti debeat, non aliam admitti posse manuum impositionem, quam omnes agnoscere debent in ipso inungendi actu, quo Episcopus signat frontem illius quem confirmat. Nam quamcumque aliam manuum impositionem Graeci non habent, et tamen verum sacramentum habent; illam autem quam diximus omnes agnoscere debere, etsi distincte non memorent, certe habent, cum habeant unctionem in fronte, quae fieri nequit, quin manus

confirmando imponatur. Porro ecclesiastica traditio et impositionis manus, et chrismatis mentionem facit: ergo utrumque requiritur, utrumque in eo ritu reperitur. Hinc proposito dubio: *an praetermissa ab Episcopo prima manuum impositione super confirmandis, repetendum esset sacramentum sub conditione; S. C. P. F. die 6. Aug. 1840* non esse repetendam, ait, confirmationem sub conditione.

Dictam unctionem faciendam esse in formam crucis patet ex ipsa forma latina: Signo te *signo crucis.* Nimirum in Ecclesia latina, ait Bened. XIV. § *52,* Confirmationis sacramentum conferri, adhibito s. chrismate seu oleo olivarum, balsamo commixto et ab Episcopo benedicto, *ductoque signo Crucis* per sacramenti ministrum in fronte suscipientis dum idem minister formae verba pronuntiet.

41. V. **Forma** patet ex dictis scil. verba sunt, quae in unctione adhibet minister *signo te signo Crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Concil. Flor. *l. c.* et Catech. Rom. *l. c. n. 11.* Apud Graecos forma continetur verbis *signaculum doni Spiritus Sancti.* Utrâque forma latina et graeca significatur 1. signatio confirmandi et 2. collatio gratiae roborantis seu Spiritus S.

Summarium. — Minister, ritus, subiectum, Patrini.

42. I. **Minister sacramenti Confirmationis** est *a) iure proprio* Episcopus *c. un. de sacros. unct., Conc. Trid. sess. 7. c. 3. de Conf. b) Iure delegato* a Romano Pontifice est simplex sacerdos *c. 1. D. 95.* Ita apud Graecos extra tamen Italiam insulasque adiacentes Bened. XIV. *Const. Etsi pastoralis.*

Si episcopus confirmet in aliena dioecesi absque licentia expressa Ordinarii loci, illicite agit; et si confirmet in propria, subditum confirmare debet: quamvis si confirmet extraneos, licite agit, quod consuetudine et tacita episcoporum consensione est introductum.

Relate ad sacerdotem delegatum a Papa notamus 1. simplicem sacerdotem remote esse idoneum huius sacramenti ministrum, atque proxime accedente commissione Papae, supponere institutionem Christi, qui id voluerit: 2. Romanum Pon-

tificem, quamvis existente charactere sacerdotali et commissione Pontificis habeatur iam minister idoneus ex Christi institutione, supplere tamen aliquid per suam delegationem, hoc autem non esse iurisdictionem, quia iurisdictio in hoc sacramento pro liceitate non pro valore requiritur; sed esse extensionem et applicationem characteris episcopalis. Scil. character non est potentia quaedam physica, sed habet rationem potentiae moralis: atqui ipsa, accedente Christi institutione, ampliari potest a competente auctoritate. Cf. penes Hurter *Theol. Dogm. comp. v. 3. de S. Conf. n. 372. in nota* « auctores modernos, qui praecise advertunt per characterem sacerdotalem aut episcopalem conferri non physicam potestatem, sed dignitatem moralem, qua homo fiat idoneus ad sacramentum conficere: aientes in casu nostro per concessionem Papae quamdam eminentiam seu dignitatem tribui presbytero ut idoneus existat minister ».

43. II. **Ritus**. Feria V. in Coena Domini novum chrisma consecratur et vetus comburitur.

Etsi quovis tempore hoc sacramentum possit conferri, tamen decet eo potissimum tempore administrari, quo antiquitus una cum baptismo conferebatur sc. in Paschate et Pentecoste.

Insuper si sacerdos est a Papa delegatus, advertat 1. sibi charactere episcopali non insignito, vel cui alias usus pontificalium ex vero legitimoque privilegio non competit, haud licere in collatione chrismatis adhibere rocchettum, mitram, baculum pastoralem, anulum, vel crucem pectoralem; 2. sibi procurandum chrisma per catholicum Antistitem cum Sancta Sede communionem habentem confectum: 3. advertat an in facultate sibi ab Apostolica Sede impertita alia etiam expressa facultas legatur utendi scilicet chrismate ante annum benedictum.

Tandem adhuc tres praecipui ritus notentur 1. Praesentia patrini; 2. Impositio manuum; 3. impactio alapae per ministrum in Confirmatum. Conc. Trid. *De Ref. matr. sess. 24. c. 2. in fin.;* Pontificale Rom. *P. 1. de Confir.;* Catech. Rom. *P. 2. c. 3. n. 26.*

44. III. **Subiectum**. Valide confirmantur omnes et soli

baptizati nondum confirmati ex Act. II. *Replevit totam domum:* ex usu et traditione Eccl.; ex eo quod omnes indigent eius effectu et sunt capaces.

De aetate confirmandorum certum est 1. hoc sacramentum valide conferri omnibus baptizatis absque ulla aetatis differentia: 2. non esse reprehendendos Graecos, qui veterem morem retinent confirmandi pueros statim post baptisma: 3. in Ecclesia Latina, quia baptisma a confirmatione disiungitur, minus expedire, ut pueri confirmentur ante usum rationis, ut habet Catech. Rom.: 4. Possunt ii tamen confirmari ante septemnium ex causa, quae iusta videatur episcopo, e. g. si diutina futura sit illius absentia, aut illi versentur in vitae discrimine, aut alia urgeat causa.

Confirmandi, qui usum rationis habent, sacramentalem confessionem confirmationi praemittant, diligenter erudiantur circa doctrinam catech. Rom. de natura, dignitate, effectibus ac dispositionibus ad hoc sacramentum digne recipiendum requisitis. Unde instruantur circa fidei rudimenta, Decalogi et Eccl. praecepta, circa actus virtutum theologalium, orationem dominicam, apostolorum symbolum...

Qui est confirmatus non potest ad hoc iterum recipiendum accedere; sicut non potest accedere excommunicatus, interdictus, communicans cum haereticis aut schismaticis, qui praeceptum paschale non adimplevit, vel quovis alio modo publice peccat.

45. IV. **Patrini** quoque adhibentur in hoc sacramento, a quo munere excluduntur iidem, qui in baptismo esse prohibentur; tum debent esse iam confirmati et unus tantum admittitur mas pro mare, foemina pro foemina. — Inter caetera, post collatum sacramentum, monendi sunt de cognatione quam ex confirmatione contraxerunt.

Quoad necessitatem huius sacramenti et caetera praetermissa cf. probatos AA.

TITULUS V.

DE SS. EUCHARISTIA.

Praen. I. Postquam fideles sunt renati cum Christo per baptismum ac roborati in fide per confirmationem, ad illud caeleste convivium admittuntur, quod veluti mirabilium suorum omnium memoriam fecit Dominus, in eoque divitias Cordis sui superabundanter effudit: Eucharistiam dico, quod sacramentum dicitur omnium maximum. In ipso enim corpus et sanguis Iesu Christi Dei hominis sub speciebus panis et vini, uti cibus animarum vere, realiter, substantialiter continetur per mirabilem et singularem totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Domini conversionem, quae ita instituta est ut dum sacramentum conficitur, Iesus Christus simul in verum et proprium licet incruentum sacrificium offeratur. Et haec est ratio cur omnium maximum et nobilissimum habendum sit sacramentum, quia non solum superabundantem continet gratiam, sed ipsum gratiae auctorem, a quo immediate miris modis divina gratia reficimur et augemur.

II. Huius admirabilis sacramenti excellentiam demonstrant vel plura, eaque varia nomina, quibus illud exprimitur. Modo a causis, modo ab effectibus, a materia, a loco, a praeparatione suscipientium appellatur saepe Corpus, Caro, Sanguis Christi, Sanctum Domini, Panis substantialis, panis vitae,... sacramentum pacis et charitatis — *Communio* quia, ut habet Damascen. *l. 4. orth. fid. c. 4, hoc sacramentum Christo nos copulat, atque eius carnis et deitatis participes efficit, nosque inter nos in eodem Christo conciliat ac coniungit, et veluti unum corpus coagmentat.* Praesertim Eucharistiam ipsum compellant: « quod verbum vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem latine reddere possumus. Ac recte quidem bona gratia dicendum est: tum quia vitam aeternam... praesignificat; tum quia Christum Dominum qui vera gratia, atque omnium charismatum fons est, in se continet ». Catech. Rom. *De sacram. Euch. c. 4. n. 2.*

III. Unde Eucharistiae duplex respectus est attendendus

1. qua consideratur ut sacramentum, Conc. Trid. *Sess. 13 de Euch. per tot.*; 2. qua consideratur uti sacrificium, Concil. Trid. *Sess. 22. de Sacrif. Missae per tot.*

§ 1. DE EUCHARISTIA UTI EST SACRAMENTUM

Summarium. — Definitio, Materia, Forma.

46. I. **Definitio**. Eucharistia est « sacramentum Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini ad spiritualem animarum refectionem divinitus institutum ». Ita omnes Catholici.

Dixi *sacramentum...* quod duobus constare dicit, Aug. *de catech. rud. l. 5. c. 16,* visibili scilicet elementorum specie et invisibili carne et sanguine ipsius Domini nostri I. Christi... « Ipsae autem panis et vini species veram et absolutam huius nominis rationem habent ». Catech. Rom. *l. c. n. 8.*

47. II. *Species panis et vini* sunt **materia proxima** huius sacramenti: **materia** autem **remota** est duplex scilicet *panis triticeus* et *vinum de vite,* nempe ex uvis confectum, Catech. Rom. *l. c. n. 12 et 15,* Conc. Flor. *in Decret. Eug.,* et traditio perpetua Ecclesiae tum Latinae tum Graecae.

Panis iste convenientius ex mente Ecclesiae latinae debet esse azymus, quam ex Graecae fermentatus. Ratio petitur ex S. Th. *in 4. dist. 2. q. 2. a. 2.* quae desumpta est *ex Matth. 26. et Marc. 14.* Attamen nulli liceat a suae Ecclesiae usu discedere. Conc. Flor. *in decr. union.*

Vino autem ob sacramenti significationem vi praecepti paululum aquae admiscetur *c. 1. et 2. Dist. 2. de Cons.* quam proinde si quis omitteret, valide sed illicite consecraret.

Ex eo quod materia huius Sacramenti sit panis triticeus et vinum de vite, sequitur: 1. esse materiam panem ex siligine vel alica; ineptam vero ex hordeo, farre, aut avena confectum aut panem corruptum. Sequitur: 2. ineptam materiam esse liquorem ex malogranatis pomis, vel moris expressum, omphacium i. e. liquorem ex uvis nondum maturis, acetum: non tamen vinum quod coeperit acescere, tunc enim valida sed illicita erit consecratio, excepto necessitatis casu, puta ne po-

pulus missa careat die festo; sequitur: 3. ineptam esse materiam succum intra uvas maturas adhuc contentum, vinum aromatibus ita conditum ut morali aestimatione vini speciem amiserit, secus si alteratio sit exigua, quamvis sine necessitate illicite consecraretur. Item valide sed illicite potest consecrari mustum, seu vinum recens ex uvis expressum.

48. III. **Forma** ad valorem sacramenti necessaria et sufficiens est « *Hoc est corpus meum* » qua consecratur panis. « *Hic est calix sanguinis mei* » seu *hic est sanguis meus* » qua consecratur vinum: quia his verbis usus est Christus *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.*

Prolatis his verbis a sacerdote super enuntiata materia fit sacramentum augustissimum Eucharistiae, in quo vere, realiter ac substantialiter fit praesens corpus et sanguis Christi; quod probant et explicant TTh. Nobis sufficit praecipua indicasse argumenta. Scilicet id patet *a*) *ex promissione* Christi *Io. 6: caro mea vere* (N. B. vere) *est cibus, et sanguis meus vere* (N.B. vere) est *potus,* ergo non figurate; *b*) ex institutione *hoc est corpus meum,* ergo non figura corporis: *c*) ex PP. quorum plures videre est penes Bellarm.

Summarium II. — De ministro, Subiecto et Custodia Sacramenti Eucharistiae.

49. I. **Minister** Sacramenti Eucharistiae *quoad confectionem* est solus sacerdos, quia Christus solis sacerdotibus hanc potestatem concessit *Luc. 22.*

Minister *quoad dispensationem* Ordinarius est 1) parochus *quoad communionem* paschalem, Eug. IV. *Const. 20. Tom. 1. Bull.:* et quoad Viaticum *Clemen. un. de privileg.* cui quoad viaticum nec contraria consuetudine, nec Concilio Tridentino derogatum est. 2) Quilibet alius sacerdos ceteris temporibus *arg. ex Trid. sess. 22. c. 6. de Sacrif. Missae.* Extraordinarius tandem atque ex necessitate Diaconus est *can. 18. Dist. 93.*

50. II. **Subiectum**. Baptizati omnes capaces sunt Eucharistiam recipiendi. Olim dabatur infantibus post baptismum et confirmationem, quae disciplina retinetur adhuc a Graecis: sed in Latina Ecclesia iustis de causis immutata est: et im-

mutari merito potuit, quia parvuli nulla obligantur necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem.

Subiectum igitur Eucharistiae est quilibet fidelis, qui sufficientem rationis usum habeat. Attamen ex regulis nunc vigentibus et communi praxi docemur ad eucharisticam mensam eos pueros admitti non debere, qui nondum huius sacramenti cognitionem habent; e contra admittendos, qui satis divinam Eucharistiam a communi pane discernunt, quique ipsi satis intelligunt, quid sit apud Christianos sacra communio et quî peragi debeat. Et cum huiusmodi cognitio intra 10.^{m} et 14.^{m} aetatis annum haberi soleat, regula sat communis ac generalis est, ut generatim nemo ante 10^{m}. aetatis annum divini huius cibi particeps fiat. Bened. XIV. *De Synod. l. 7. c. 12.*

Fideles *adulti* ad Eucharistiae perceptionem obligantur divino praecepto, cui progressu temporis addita etiam fuit Ecclesiae lex praeceptum divinum declarans eiusque tempus determinans. Nam temporibus Apostolorum et inde per plura saecula, omnes fideles Missae celebrationi praesentes S. Communionem sumebant. Sed labentibus in peius saeculis, necesse fuit quosdam desidiosos fideles ad S. Communionem aliquoties in annum sumendam per Ecclesiae praeceptum compellere, quod Fabianus R. Pontifex praestitit praecipiens ut, si non frequentius, saltem ter in anno fideles non impediti communicarent: scilicet in Paschate, in Pentecoste et in Natale Domini *can. 16. dist. 2. de Cons.* Denique imminuta etiam magis Fidelium devotione, statutum est, ut saltem semel in anno Fideles Eucharistiam sumerent in Paschate a proprio sacerdote i. e. Parocho; hoc autem tempus incipit a dominica Palmarum ad Dominicam usque in Albis; Innoc. III in Conc. Lat. IV. *Omnis utriusque sexus;* ita ut relate ad aliquam personam dicti 15 dies ampliari possint a parocho vel a superiore ipsius.

Cum subiectum in genere sit christianus adultus in communione Ecclesiae existens, Conc Trid. *Sess. 21. de comm. sub utraq. c. 4. et can. 4,* ac rationis particeps, Catech. Rom. *P. 2. c. 4. n. 63,* nec non in gratia constitutus; sequitur a communione prohiberi:

1. publicos peccatores usque dum poenitentiam egerint salutarem;

2. dementes, furiosos, et energumenos;

3. irretitos censuris, quae prohibent susceptionem sacramentorum.

Dixi amentes et furiosos: tamen 1) nisi essent in vitae fine, quia praesertim tunc liceret sub duplici conditione; scilicet: *a*) si ante amentiam piam animi voluntatem praebuerint; *b*) si fieri possit cum debita reverentia, Catech. Rom., *l. c.*

II) aut si extra mortis periculum lucida haberent intervalla.

Susceptio porro Eucharistiae *obligatoria,* seu ex praecepto, duplici tempore occurrit, ut patet ex dictis: altero tempore paschali, *c. 12. de Poen. et remiss.;* altero tempore gravis morbi. Conc. Trid. *Sess. 13. de Sacram. Euchar. c. 6.*

Quoad modum duplici sub conditione tamen facienda: 1. ut graves culpae per confessionem prius deleantur, Conc. Trid. *Sess. 13. c. 7. de Euch.;* 2. ut naturale ieiunium a dimidia nocte servetur. *Can. 52. Dist. 2. de Cons.* Attamen licet Eucharistiam sumere non ieiuno:

1. in mortis articulo:

2. casu quo perficiendum est sacrificium:

3. si post ablutionem supersint reliquiae etsi magnae, cum nequeant recondi in pyxide et sacrario:

4. si periculum sit ne alioquin S. Eucharistia ab infidelibus profanetur:

5. ex privilegio Romani Pontificis.

Tandem quoad grave paschale praeceptum adnotamus, quod poenae contra refractarios in decreto Lateranensi sub Inn. III. sancitae consistunt in interdicto ingrediendi Ecclesiam et in privatione sepulturae ecclesiasticae, quae iuxta comm. DD. non sunt latae sed ferendae sent. Quod eruitur *a*) ex ipsis Decreti verbis *arceatur, careat,* quae aliquid faciendum non factum demonstrant; et *b*) a disciplina Ecclesiae, quae ipsas poenas non decernebat nisi per iudicis sententiam post Pentecosten pronunciandam, et post triplex propositum citatoriale edictum, ut contumaces resipiscerent.

Quoad frequentem Communionem, quoad dispositiones

ceteras poenit. cf. prob. TTh. sicut et de modo eam infirmis administrandi.

51. III. **De Custodia Eucharistiae.** Hoc sacramentum quia permanens est, secus ac cetera sacramenta, non solum dispensatur, sed etiam *a*) asservatur, *b*) publice exponitur, et *c*) solemniter ad cultum publicum circumgestatur.

Dixi 1. *asservatur;* antiquissimus enim mos est eam asservandi: *a*) ut quando petitur praesertim pro infirmis, ministrari petentibus possit; *b*) ut fideles semper haberent Christum praesentem vel quoad humanitatem ad implendum illud «Ecce ego vobiscum sum» *Matth. 28. 20; c*) ut peregre profecturis daretur in viaticum; *d*) ut fidelium vita functorum ori vel pectori imposita eisdem consepeliretur; *e*) pro iis diebus, quibus non peragebatur sacrificium; *f*) pro Presbyteris et Diaconis ut per 40 dies a sûa ordinatione SS. Particulas sumerent; *g*) tandem pro publica adoratione. Cf. Schmalzgr. *in tit. De Custod. Euch. n. 6. et sqq.*

Non omnes tamen possunt nunc Ecclesiae asservare Eucharistiam nisi parochiales sint, Cathedrales, aut Regularium vel quas apostolicum iuvat indultum, aut immemorabilis consuetudo, quae huiusmodi indulti praesumptionem inducat.

Ad modum asservandi quod spectat:

1. servari nequit nisi in tabernaculo in medio altaris posito, quod tabernaculum sit intra decenter ornatum, extra conopeo tectum:

2. in pixide ex nobili aliquo metallo et intus deaurata:

3. quod non ostiolo quomodocumque fixo, sed obseratum clavi sit diligenter, quae clavis sit tantum penes sacerdotem:

4. quod ante ipsum lampas ex oleo olivae colluceat:

5. quod sacrae species ne corrumpantur singulis quatuordecim diebus SS. Eucharistia renovanda est.

6. Tabernaculi pavimentum candido sternatur corporali.

7. Praeter consecratas species nil aliud reponendum in eo *S. C. R. 8. Apr. 1628; 22. Febr. 1563.*

8. Neque possunt super tabernaculo ceu super basi reponi sanctorum reliquiae aut imagines, etiam S. Crucis vel alterius passionis instrumenti. *S. R. C. in Trid. 12 Mart. 1836.*

9. Imo neque ante ostiolum licet collocare dictas reliquias, aut imagines, vas florum, aut quidpiam simile.

Dixi 2. *Publice exponitur.* Minus antiquus mos est Eucharistiam publice venerandam exponendi vel in publicis supplicationibus deferendi. Nequit autem ea publice exponi, nisi publica causa per Episcopum probanda intercedat: quae causa numquam deesse rite censebitur, cum posita est in Ecclesiae utilitate. Unus autem Episcopus potest hanc impertiri facultatem, non modo in suis Ecclesiis, sed et in illis quae, vel ad Regulares pertinent, vel alias, quae sunt ab Episcopi iurisdictione penitus immunes. *S. C. C. 12 Aug. 1747.* Bened. XIV. *ep. ad Episcopum Warm. 16 Apr. 1746; ep. ad Urbis Vicar. 27 Iul. 1755.*

Privatim vero exponitur Eucharistia cum eius Tabernaculum solum aperitur, ut Pixis sacra clausa, suoque velamine obtecta populi oculis subiiciatur, vel sphaera intra crystallum inclusa sub umbella statuitur velo operta ut s. hostiae aspectus impediatur. Ad hanc privatam expositionem neque iusta causa neque Episcopi facultas, sed ad summum illius Ecclesiae Praefecti venia requiritur, atque privata causa e. g. ut alicuius aegrotantis vita levetur, vel religiosi viri desiderium.

Dixi 3. *Solemniter circumgestatur...* ut in publicis supplicationibus. Mos hisce in casibus Eucharistiam deferendi ortum habuit ab Urbano IV. medio saec. XIII. vel a Ioan. XXII. ineunte saec. XIV. Quod primum statutum est fieri in festo Corporis Christi: inde vero dimanaverunt aliae huiusmodi supplicationes, cum hoc sacramentum vel ad infirmos defertur, vel quolibet mense in Ecclesiis Cathedralibus et Parochialibus circumfertur. Ut autem decentius huiusmodi eucharisticae fierent pompae, Confraternitates plures laicorum institutae sunt.

Sive porro S. Eucharistia dispensetur, sive asservetur in Pyxide, sive exponatur, sive solemniter deferatur, sacramenti semper rationem habet, quod una consecratione perficitur. Atque haec satis sint de Eucharistia, ut est sacramentum: caetera cf. penes prob. AA.

§ 2. DE SS. EUCHARISTIA UTI SACRIFICIO

Summarium I. — Notio, Minister, Species, Effectus.

52. I. Notio. Huius sacrificii essentia posita est in consecratione et in oblatione, qua scilicet aeterno Patri Iesu Christi victima offertur et mactatur. Nam quantum est ex vi verborum, corpus eius a sanguine dividitur, non cruento quidem, sed incruento modo, ut ait Trid. Synod.

In genere sacrificium definitur *oblatio rei permanentis, cuius immutatione per legitimum ministrum facta, recognoscitur Deus, ut supremus omnium Dominus, vitaeque et mortis author.* Olim sacrificium ratione finis dividebatur *a*) in *Holocaustum*, quod erat unice oblatum in laudem Dei, et honorem supremae maiestatis; unde tota victima cremabatur, pelle excepta ad significandum nos totos esse Dei, et omnia ad eius gloriam referenda; *b*) in *Hostiam pacificam*, quae fiebat pro beneficio obtinendo, vel accepto: unde pars victimae cremabatur, pars sacerdoti et offerenti cedebat; *c*) in *Hostiam pro peccato*, quae fiebat ad obtinendam legalis peccati remissionem, quae bifariam divisa partim comburebatur, partim sacerdoti cedebat. Omnia ergo sacrificia legis naturae et mosaicae ex eorum fine erant aut *latreutica* h. e. oblata in honorem Dei, aut *eucharistica* h. e. oblata in gratiarum actionem, aut *propitiatoria* h. e. oblata in expiationem culpae vel poenae, aut *impetratoria* h. e. oblata ad bona a Deo obtinenda.

In Lege nova unicum est sacrificium, sed augustissimum Missae, cuius figura erant sacrificia veteris Legis. *Missa* a mitto dicit dimissionem Catechumenorum, vel totius populi christiani, quorum illi olim dimittebantur ante oblationem, isti hodiedum dimittuntur sacrificio peracto et benedictione accepta. *Bellarm. l. 1. de Miss. c. 1.* Sub hoc nomine Missae venit sacrificium novae Legis complectens consummationem et perfectionem omnium sacrificiorum Legis naturae et mosaicae, quo in Missa consecratur et offertur Corpus et Sanguis Iesu Christi. *Trid. Sess. 22. c. 1. et 2.* ubi definitur verum et proprium sacrificium in Missa Deo offerri. Cum enim Christus

magnus sacerdos per sacerdotum ministerium eius nomine offerentium constituit corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini seorsim secundum quamdam sanctissimae suae humanitatis exinanitionem a functionibus et rationibus existendi connaturalibus ad statum cibi et potus offert se in verum et proprium sacrificium. *Franzel. de Euch.* Unde essentiam huius sacramenti, ut sacrificium est, constituunt in consecratione, quatenus vi verborum eius Christus acquirit novum existendi modum et immutative ponitur sub speciebus panis et vini. Sumptio autem probabiliter spectat solum ad integritatem et complementum sacrificii, ita tamen necessaria, ut neque Ecclesia circa illam dispensare possit, et si sacerdotem contingat impediri, suppleri illa debeat ab alio et nonnisi a sacerdote.

53. II. **Minister** quis sit, patet ex dictis: nimirum principalis est ipse Christus, qui proin non modo est victima, sed et sacerdos ut passim asserunt PP. et definivit Trid. *l. c. c. 2,* neque solum remote, sed etiam proxime: quia ipse ponit se sub speciebus et offert Deo. Praeter Christum minister secundarius huius sacrificî est sacerdos legitime ordinatus, qui Christi personam assumens ac repraesentans profert verba consecrationis, quibus sacrificium novae Legis essentialiter perficitur. *S. Cypr. l. 2. ep. 3. ad Caecil.:* « Sacerdos in Altari vice Christi fungitur, et sacrificium verum ac plenum Deo Patri offert ». Idem sacerdos in missa etiam est Vicarius, et quasi legatus et intercessor totius Ecclesiae dum pro Papa, Episcopo, et omnibus fidelibus vivis et defunctis hostiam incruentam immolat: hinc aliquo sensu fideles, ipsa Ecclesia dicuntur offerre, ii maxime qui specialiter concurrunt assistendo, ministrando, stipendium elargiendo.

An Sacerdotes teneantur offerre?

Resp. Qua sacerdotes sunt, licet expediat sacerdotes omnes legitime non impeditos, quotidie excepto triduo mortis Christi hoc adorandum sacrificium offerre, ne SS. Trinitatem laude et gloria, angelos laetitia, peccatores venia, iustos subsidio et gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio et seipsos medicina et subsidio, iuxta Ven. Bedae monitum privent; tamen absolute non tenentur, nisi ali-

quoties in anno h. e. saltem ter vel quater in praecipuis anni solemnitatibus. Trid. *Sess. 23. c. 14. de Ref.* iubet Episcopos vigilanti sollicitudine ita efficere, ut sacerdotes saltem diebus solemnibus et Dominicis celebrent, et si habuerint curam animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant.

54. III. **Species Missae.** Missa duplex est publica, aut privata. *Publica* est, quae in Ecclesia cum conventu cleri et populi celebratur i. e. cum cantu rituque solemni. Hinc publica dividitur in cantatam et solemnem simul et in Missam cum cantu tantum, qualis praecipue est *parochialis,* quae diebus festis a Parocho pro populo, vel *conventualis,* quae quotidie a Capitulis Canonicorum pro benefactoribus celebratur. Bened. XIV. *Const. Cum semper.* Missae publicae omnes fideles tam clerici, quam laici in sua Parochia adstare debebant, ut in diebus festivis satisfacerent praecepto audiendi Missam. Sed ob privilegia Fratribus mendicantibus concessa paullatim obtinuit, ut Fideles ubicumque Missam audirent in diebus festis hoc implerent praeceptum.

Missa *privata* est, quae sine cantu et sine clero offertur i. e. absque cantu rituve solemni. Et Missae privatae quamquam antiquitus non adeo frequentes essent, certum tamen est in usu semper in Ecclesia fuisse.

55. IV. **Effectus** varius est prout propitiatorium est sacrificium, aut impetratorium. Prout est propitiatorium effectus illius est remissio peccatorum tam mortalium, quam venialium: nec non poenae temporalis adhuc debitae peccatis condonatis. Trid. *Sess. 22. can. 3. de sacrif. missae.* Dixi effectus est *remissio peccatorum...* quatenus « docet (Trid. *l. c. c. 2.*) sancta Synodus sacrificium istud vere propitiatorium esse... Huius quippe *oblatione placatus* Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit ». Prout est *impetratorium* habet vim impetrandi quidquid per illud recte petitur; quae vis est infinita in actu 1°. cum res oblata in hoc sacrificio, offerens principalis et eius merita infinitae sunt dignitatis.

Summarium II. — Leges circa modum, tempus, locum, numerum, eleemosynam.

Quoad *sacerdotes celebrantes lex est ut celebrent legitimo loco, tempore, modo, numero: quoad ceteros fideles, ut Missae diebus festis de praecepto devote intersint aliqua in Ecclesia etiam extra Parochiam.* Leo X. *Const. Intelleximus.*

56. I. **Legitimo loco.** Non licet nec religiosis, nisi in casu necessitatis vel ex privilegio post Trid. obtento, celebrare Missam in locis non consecratis, benedictis, aut saltem deputatis ab Episcopo ad cultum Dei dumtaxat, *can. 12. Dist. 1. de Consecr., Bened. XIV. Const. Inter omnigenas:* unde celebrare non licet in privatis domibus, oratoriis saecularium dicto modo non dicatis cultui divino, *Trid. Sess. 22. de observ. in celebr. Miss.;* ubi derogavit quoque privilegiis, exemptionibus et consuetudinibus quibuscumque. Dixi *nisi in casu necessitatis* e. g. tempore pestis, in bello pro exercitu, in longa peregrinatione per loca infidelium, in navigatione diuturna... quia tunc licebit in altari portatili etiam sub dio, vel in alio decenti loco celebrare *can. 1. 12. 30. et seq. citt.* Dixi vel ex *privilegio* post... cuiusmodi concessit Greg. XIII. in Constit. *Usum 1 Oct. 1579.* Societati Iesu sic exorsus « Usum altaris portatilis Societati vestrae a fel. record. Paulo Papa III. concessum, deinde a Conc. Trid. universim sublatum, vobis eatenus restituimus ut inter Missiones... Missae sacrificium valeant celebrare super huiusmodi altari ubique gentium ».

Scilicet ad Missam requiritur altare cuius duplex est species: alia enim sunt altaria *fixa,* quorum structura moveri nequit; alia *mobilia,* quae salva integritate de uno in alium locum transferri possunt. Ab altari mobili differt privilegium altaris portatilis, quod in eo consistit, ut quis super altari viatico, ubivis missam possit celebrare.

57. II. **Legitimo tempore** idest ab aurora ad meridiem; *Missal. Rom. in Rubr. de defect. c. 10. § 1. Cf. Martin. de antiq. Eccl. rit. L. 1. c. 3. a. 4;* excepta sola Missa solemni in nocte Nativitatis Domini et excepto privilegio. Neque tamen violatae huius legis reus haberetur si quis parte horae tertia an-

tevertat auroram ita ut Missam ad auroram ipsam absolvat, vel etiam, si absolvat eamdem tertia post meridiem horae parte elapsa. *Bened. XIV. Instr. 13.* Minus tamen quam hora antevertere est leve atque ex gravi motivo nullum peccatum e. g. itineris causa. Imo licet a media nocte celebrare Missam si viaticum sit deferendum, atque etiam duabus horis post meridiem, ne populus careat missa, eam celebrare licet.

58. III. **Legitimo modo** id est servata lithurgia seu ritibus ab Ecclesia inductis. *Conc. Trid. Sess. 22. de Sacrif. Miss. decr. de observan.; S. R. C. apud Missale Rom. in princ.*.

Porro rubricae aliae sunt *praeceptivae,* quae scilicet continent aliquid, quod ex iure vel legitima consuetudine convenienter praescribitur seu proponitur obligatorio modo; aliae *directivae,* quae scilicet normam quandam exhibent.

Quaestio est quaenam praeceptivae, quaenam directivae tantum dicendae sunt. Quod aliquot sint praeceptivae patet ex verbis Pii V. in fronte Missal. « Mandantes et districte omnibus et singulis praecipientes in virtute s. Obedientiae.. ». Porro cum praeceptum his verbis contentum versetur circa ritum, modum et normam decantandi ac legendi Missam et circa caeremonias et preces in ipsa Missae celebratione: patet *praeceptivas posse dici rubricas intra Missam.* Cetera cum non commemoraverit Pontifex manent in censu directivarum: nostrum enim non est ad illa extendere praeceptum, quae Pontifex praeterivit, et quae potuisset certe, si voluisset, nominare; nam *contra eum,* qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda. Quod sint praeter praeceptivas aliae rubricae mere directivae, facile convenit inter DD. Ita *Lugo de Euch. disp. 20. n. 106.*

59. IV. **Legitimo numero** id est *quotidie ne plus una Missa celebretur,* excepto die Nativitatis D. N. I. Ch., quo tres celebrari possunt *c. 3. de celebr. Miss.*

Pars positiva huius legis est, quod liceat quotidie celebrare, excepta tamen feria VI, feria V, et sabato maioris hebdomadae, in quibus Missa solemnis permittitur ad functiones peragendas, nisi cadat dies festus de praecepto: cum tunc sufficientes Missae celebrandae sint, ut universus populus Missam audire possit. Feria V. in coena Domini sacerdotes ipsi

tenentur communicare de manu celebrantis, nisi agatur de infirmis, aut communitate non habente chori servitium, quibus extra Missam solemnem lecta alia Missa, communio valeat ministrari; aut nisi agatur de iis, qui privilegio gaudent celebrandi ianuis clausis...

Pars negativa legis est, quod non liceat quotidie plus una celebrare... cui tamen regulae addendum est *ordinarie* quia dantur plures exceptiones seu datur facultas binandi. Haec porro facultas binandi, quae hodiedum nedum inter infideles, in missionibus, sed et in veteri Europa, nostraque Italia videtur necessaria, ita intelligenda est ex *Instruct. S. C. P. F.* hac super re *24 Maii 1810.*

1. Cum a Sede Apostolica facultas fit celebrandi bis in die, non licet, etsi graves videantur concurrere causae, ultra duas missas celebrare.

2. Unicus titulus, cur a lege adeo generali et constanti unius Missae a quolibet singulis diebus celebrandae dispensetur, est *necessitas moralis* non ex parte inopiae sacerdotis, sed ex parte necessitatis spiritualis populi et caritate (insufficienti numero) sacerdotum.

3. Casus communior apud TTh. omnes est, cum sacerdos duas parochias obtineat, vel duos populos adeo seiunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit.

4. Vel quando una tantum sit Ecclesia, in qua Missa celebratur, et ad quam simul universus populus convenire nequeat: quibus in casibus Missa binari potest et ab his, qui facultate non sunt donati per formulas, quae concedi solent per *S. C. P. F.* cum id concedat ipsum ius. Bened. XIV. *de Synod. l. 6. c. 8. n. 2.* ait quod concors sit TTh. opinio in casu unius parochi cum duabus paroeciis, parochum nedum posse sed plane teneri bis eodem die Missam celebrare, atque adeo si quis tres parochias habeat ter celebrare ex iure poterit et debebit ut rite colligit collector *Actorum S. Sedis v. 6. p. 568.* Imo notum est paucis abhinc annis a Leone XIII. concessum esse Mexicanis ob populi necessitatem, ut etiam tres Missae a singulis sacerdotibus diebus dominicis, et de praecepto festivis in diversis locis celebrarentur.

5. Quae rationes a fortiori valent pro locis Missionum in quibus vel ob locorum distantiam, vel ob paucitatem sacerdotum, aut infidelium persecutionem, ne fideles Missa careant, opus est a sacerdotibus duas Missas celebrari. *Bened. XIV. de sacrif. Miss. l. 3. c. 5. n. 4.*

6. Quantus vero sit sufficiens numerus fidelium, qui Missa careret, nisi iteretur, relinquitur conscientiae et iudicio Episcopi seu Praefecti Missionis, quos cavere oportet a nimia anxietate in diiudicando, ne frustra concessa aut paene in nullo casu ad actum reducenda facultas praedicta videatur. *S. C. P. F. an. 1688.* censuit sufficere numerum 10–12 servorum, qui aliter Missa carerent. *S. C. P. F. instr. cit. n. 11.*

7. Sacerdotem iterantem oportere esse ieiunum, atque usum duorum calicum nunc permitti posse. *Instr. c. n. 19.*

8. Sacerdoti binanti numquam pro altera Missa liceat stipendium accipere; idque ob extrinsecas causas.

60. V. **De missarum eleemosyna** nunc innuisse sufficiat seqq. 1. *quoad naturam,* est stipendium substentationis presbyteri non pretium consecrationis *Bened. XIV. de Synod. l. 5. c. 8. n. 27;* 2. *quoad quantitatem* definitur vel a consuetudine vel a lege synodali, vel ab Episcopo *S. C. C. 26 Nov. 1698;* 3. *quoad effectum* infert obligationem sacerdoti pro eo, qui illam largitus est, *specialiter sacrificium offerendi.* Bened. XIV. *Const. Demandatam.* Caetera infra ubi de Primitiis, Decimis et Oblationibus.

Dicebam stipendium inferre obligationem specialiter sacrificium offerendi scilicet et applicandi *fructum specialem* ei, pro quo eleemosyna corrogata est. Notum est enim quod fructus sacrificii Missae triplex est nimirum *generalissimus,* de quo omnes fideles participant; *specialissimus,* quo solus sacerdos celebrans fruitur; et medius sive *specialis,* quem ipse sacerdos applicat pro iis, pro quibus Missam celebrat. Hi porro fructus qua proveniunt ex opere operato, non imminuuntur ob malitiam indigni sacerdotis celebrantis, modo impedimentum nullum obsistat, sed quâ proveniunt ex opere operantis, imminuuntur aut augentur pro maiori vel minori sanctimonia et devotione celebrantis.

TITULUS VI.

DE POENITENTIAE SACRAMENTO

Summarium I. — Natura, Materia, Forma et Effectus Poenitentiae.

61. I. **Natura.** Definitur poenitentia « *Sacramentum reconciliationis cum Deo hominis post baptismum in peccatum lapsi* » Concil. Trid. *Sess. 14. can. 1. de Sacr. Poenit.;* seu aliis verbis, « Poenitentia est sacramentum, quo peccata post baptismum commissa et cum debito dolore legitimo ministro manifestata, virtute clavium seu absolutionis sacramentalis delentur potissimum quoad reatum culpae ».

Ex quibus patet **materia remota,** quae sunt peccata: si haec sunt *mortalia* numquam confessa, sunt *materia necessaria* seu necessario subiicienda clavibus Ecclesiae h. e. exponenda in confessione: si *venialia,* sunt *sufficiens* ad obtinendam absolutionem, uti et mortalia iam semel confessa.

62. II. **Quasi materia** sunt **proxima** tres actus Poenitentis *Conc. Trid. Sess. 14. can. 4. de Sacram. Poenit.,* id est Contritio, Confessio, Satisfactio.

1°. **Contritio** defin.: « *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero* » atque adeo contritio debet esse interna seu vera, supernaturalis, summa et universalis.

Specie distinguitur contritio in *perfectam,* quae oritur ex charitate perfecta, et cum Sacramenti voto coniuncta hominem Deo reconciliat, priusquam sacramentum suscipiatur; et in *imperfectam,* quae oritur ex turpitudinis peccati consideratione, vel poenarum metu et ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit, *Conc. Trid. Sess. 14. c. 4. de Poenit.;* quae porro duplex doloris species provenit ex distinctis specie motivis, ut patet; si ex motivo amoris Dei super omnia propter se dilecti concipitur, contritio audit perfecta, si ex alio supernaturali motivo v. g. ex timore Dei punientis vel ex turpitudine peccati, imperfecta contritio dici solet seu attritio. Cf. caetera penes TTh. dogmat.

63. 2°. **Confessio** definitur « *omnium saltem mortalium peccatorum, quae ex diligenti praemeditatione occurrunt una cum circumstantiis, quae peccati speciem mutant, sincera accusatio coram legitimo sacerdote ad veniam impetrandam* ». Conc. Trid. *Sess. 14. c. 5. de Poenit.* Ut confitenti valide absolutio impertiatur confessio debet esse fidelis et integra; *fidelis* si exprimatur verum, *integra,* si exprimatur totum.

Integritas alia est *materialis*: scilicet accusatio omnium mortalium commissorum, quoad numerum, species et circumstantias declarandas.

Integritas *formalis* habetur accusatione eorum dumtaxat mortalium, quae poenitens potest et debet declarare in iis adiunctis, in quibus versatur.

Dixi accusationem omnium mortalium quibus intelliguntur 1. omnia mortalia tam occulta et interna, quam externa et publica, etsi nota confessario; 2. eorum numerus; 3. omnes species morales; 4. omnes circumstantiae, quae speciem peccatorum mutant; 5. ipsi actus externi. Cf. caetera penes TTh. morales.

Datur 1) obligatio de iure divino confitendi peccata mortalia post baptismum commissa in ordine ad obtinendam absolutionem sacramentalem; 2) quamvis Christus Dominus nullum expresse determinaverit tempus; 3) bene tamen determinavit Ecclesia dum in *c. Omnis utriusque 12. De Poenit. et remiss. et Trid. Sess. 14. c. 5. et can. 8. de Poen. sacr.* praecepit, ut omnes fideles et singuli postquam ad annos discretionis pervenerint, peccati vel peccatorum mortalium sibi conscii saltem semel in anno omnia dicta peccata fideliter confiteantur, et valide proprio sacerdoti scilicet parocho vel Episcopo, vel Papae aut horum delegato, aut privilegium confessiones quorumcumque et quovis tempore audiendi habenti, uti habent Regulares saltem mendicantes. Si quis autem culpabiliter omitteret; vivus ab ingressu Ecclesiae arcendus, mortuus autem sepultura sacra privandus esset: 1^{m}. et 2^{m}. constat ex *Io. c. 20. Quorum remiseritis peccata...* Tertium vero totidem fere verbis decisum habetur *c. c. 12. et Trid.* Dixi confiteantur et *valide* ex Alex. VII. damnata prop. « *qui facit confessionem voluntarie nullam satisfacit praecepto Ecclesiae* »; sicut Innoc. XI.

damnavit aliam « *praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem* ». Imo non satisfacit, qui ignoranter confessionem invalidam facit, sed tenetur, postquam resciverit, veram peragere; quia actum invalide fieri et non fieri paria sunt; neque enim finis intentus, qui est reparatio amicitiae divinae, per invalidam confessionem obtinetur. Licet divinum ius non determinavit tempus, iuxta plures tamen certo obligat in probabili vitae periculo, ut peccati mortalis sibi conscius suscipiat sacramentum Poenitentiae, *vel in re,* vel saltem, si occasio confitendi non suppetat, *in voto,* quod consistit in contritione perfecta. Et licet Ecclesia determinet singulos annos non vero certi anni tempus, per accidens tamen ratione communionis sacrae, quam praecipit in Paschate peragendam *c. 12. cit.,* stringit tempore paschali, sicut Ius divinum per accidens obligat ad confessionem sacramentalem toties quoties quis communicare vel celebrare Missam debet, vel cupit.

64. 3°. **Satisfactio** definitur: « *Poena arbitrio sacerdotis poenitenti imposita* ». Conc. Trid. *Sess. 14. c. 8. de Poen. sacr.*

Distinguitur *publica,* quae fit coram Ecclesia seu publice ac debetur peccatis publicis gravioribus ut scandalo occurratur, nisi illam Episcopus in secretam poenitentiam dispensandam consultius crediderit, et *privata,* quae occulte et secreto fit.

Porro cum satisfactio pertineat ad integritatem sacramenti, nisi necessitas impediat, debet a confessario imponi et a poenitente adimpleri. Qua in re confessarius agens medicum et iudicem meminerit nec iudicium sine misericordia, neque misericordiam sine iudicio esse faciendam : sicut procederet qui pro levioribus peccatis gravissimas imponeret poenas, aut pro gravissimis culpis poenas iniungeret leviores. Habenda est autem ratio virium, sexus, aetatis poenitentium.... neque potest exigi satisfactio ante absolutionem, eaque neque propria auctoritate a poenitente immutari, neque per substitutam personam expleri poterit.

65. III. **Forma** conficitur verbis absolutionis (*Conc. Trid. Sess. 14. c. 3. de Poenit.*) quam sacerdos profert actum iudicialem exercens *Trid. l. c. c. 9. de Poen.* Apud Latinos expri-

mitur modo indicativo, verbis *Ego te absolvo:* reliqua verba *a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spirit. S.* necessaria sunt ob praeceptum Ecclesiae, sed ad Sacramenti validitatem minime pertinent. Graeci autem utuntur forma modo deprecativo expressa, quam apud nos minime valere nonnulli contendunt, praecipue S. Thomas.

Teste Morino, *De Sacr. l. 8. c. 8,* in Ecclesia latina per duodecim saecula viguit absolutio forma deprecativa expressa: et teste Denzinger *Ritus orientalium de Poenit.* § 2. forma absolutionis apud orientales, si armenos excipias, deprecativa est: ergo tunc saltem valuit forma absolvendi deprecativa, sicut valet ea forma, qua nunc utitur Ecclesia graeca licet diversa sit a forma absolutionis Ecclesiae latinae. Ast cum a pluribus saeculis Ecclesia occidentalis utatur forma indicativa (1), hu-

(1) Exempla formae indicativae sunt: *Ego te absolvo a peccatis tuis: habeo te absolutum* (quae ut prior non modo declarativam sed et effectivam vim habet) - *Sis a me absolutus* - *Deus te absolvat per ministerium meum.*

Exempla formae deprecativae sunt: *Deus te absolvat: absolutionem peccatorum tibi tribuat Deus.* Tum alia: *Deus remitte, condona peccata huic servo tuo.*

Porro quatuor indicativae formae tales dicuntur non modo ob formam grammaticam, uti duae priores, sed etiam quia (etsi grammatice ab his differant) duae posteriores actuale exercitium potestatis, sive ipsam causam ministerialem actu se exercentem directe et ipsae ob verba simul sumpta, quae adhibentur, manifestant.

Forma deprecativa si grammatice spectetur et imperativa dici potest, non relate ad Deum; quis enim serio imperet Deo? Sed relate ad homines. Duplex tamen deprecatio distinguenda est *deprecatio simplex* et *deprecatio potestativa:* illa est oratio beneficium petens: haec est quidem oratio beneficium petens sed simul significans sententiam petentis circa aliquid, quam petens ex auctoritate fert: illa per se immediate affectum manifestat deprecantis, ut aliquid ab alio fiat; scilicet ut quis a Deo sit absolutus: qua in re differt ab indicativa, quae manifestat ipsum loquentem facere quod per eam significatur. *Deprecativa* autem *potestativa* ita manifestat dictum affectum seu voluntatem, ut simul sententiam eius, qui eam ex auctoritate fert, repraesentet, ipsumque iudicem ceu actu iudicantem ideoque et cum Deo absolventem nobis sistat. – Unde haec deprecativa potestativa et indicativa differunt in eo, quod per deprecativam potestativam sententia quidem profertur, exercitium vero actuale potestatis per ipsam sententiam latam significatur, scil. *in actu exercito:* et per formam indicativam iudex et

iusque usum solemniter praescripserit omnibus, si nunc auctoritate privata adhiberetur forma deprecativa, de huius valore merito dubitari posset. Agitur enim de actu *iuridico;* actus vero iuridicus tunc valet, cum expressus sit ad normam authenticam : Ecclesia vero et theoretice et practice declaravit qualis forma sit adhibenda. Res enim est, quae non a priori dirimitur, sed quae pendeat a Christi voluntate, et hanc voluntatem divinam Ecclesia nobis theoretice et practice declarat. Ceterum communior sententia est formam deprecativam *per se* esse sufficientem. *Cf. Palmieri de poenit. Parergon ad thes. XII. Billot de poen. thes. III.* (1).

66. IV. **Effectus** huius sacramenti est gratia sanctificans, quae sanat a morte peccati, suscitans fidelem a baptismo relapsum, ipsique remittens non omnem poenam temporalem, sed iuxta dispositionem suscipientis: ac insuper gratia specialis auxilii, quo fortius et perseverantius quaelibet detestetur peccata et satisfaciat pro praeteritis. Unde confessarius valde curare debet dispositionem poenitentis iuxta Suarezii monitum. Confessor tenetur instantiam et religionem in eius administratione servare; quia et iudicium et actionem sacram exercet. Cui muneri ut satisfaciat, unum ex praecipuis est, ut dispositionem conscientiae poenitentis sufficienter agnoscat. Est enim praecipuum huius materiae fundamentum non posse confessorem licite poenitentem absolvere, nisi ille sit bene dispositus

sententiam fert et diserte simul plus minus per ipsa verba quae profert, indicat se potestatem suam absolvendi exercere, significat scil. *in actu signato. Cf. Palm. de Poen. th. XII.*

(1) Hic A. l. c. ait « forma grammaticaliter deprecativa potest ratione circumstantiarum aequivalere formae assertivae, qua nos utimur. Nam certe formula benedictionis, *Benedicat vos omnipotens Deus,* a simplici laico prolata, nihil aliud contineret, quam puram deprecationem; prolata vero a sacerdote iuxta consuetum Ecclesiae ritum, hunc sensum in actu exercito habet.: *ego vos auctoritate Dei omnipotentis benedico.* Item igitur sentiendum est de formula absolutionis *Deus te absolvat,* vel Deus remitte huic etc. Si enim proferatur, causa cognita, ab eo, qui claves habet et iudicis ministerialis agit personam, iuxta communem suae Ecclesiae usum, aequipollet verbo indicativo: *ego te, auctoritate Dei, a peccatis tuis absolvo;* non enim absolvit Deus aut remittit nisi ministerio clavium, quarum sententia actu exercito assertive significatur ».

ad absolutionem suscipiendam *de Poenit. disp. 32. sect. 2, a*) quia non potest ipse absolvere, nisi quem Christus absolvit, cuius vices gerit: *b*) quia tenentur ministri sacramentorum non dare illa indignis: *c*) quia est iudex et tenetur iustum iudicium facere. Unde si absolveret, antequam cognosceret poenitentis dispositionem, sese exponeret periculo errandi.

Summarium II. — De Ministro et subiecto sacramenti Poenitentiae.

67. I. Minister *a*) iure plenario est 1) in genere Romanus Pontifex: 2) in casu necessitatis quilibet sacerdos. *Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. De Poenit.*

b) Iure minus pleno seu exceptis casibus reservatis Romano Pontifici vel Episcopo, *Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. de Poenit.*, possunt 1. Ordinarius, scilicet is, qui nedum potestatem ordinis verum etiam subditos habet suae iurisdictioni subiectos, uti Episcopi, parochi, *c. 12. de Poenit. et remiss.;* vel 2. delegatus, seu cum Episcopi venia quilibet sacerdos. *Trid. Sess. 23. c. 15. de R. et Catech. Rom. Part. 2. c. 5. n. 54.*

Minister igitur poenitentiae est sacerdos rite ordinatus sive I^{i}. sive II^{i}. ordinis; scilicet sive Episcopus sit, sive presbyter: nam ii soli et non alii per ordinationem accipiunt a Deo clavium potestatem, scilicet facultatem remittendi et retinendi peccata, ita tamen ut haec non possit exire in actum sine alia clavi, scilicet potestate iurisdictionis.

68. Deus namque voluit, ut hanc potestatem remittendi peccata in iudicii modum exercerent; natura autem et ratio iudicii exposcit, ut sententia in subditos feratur; idcirco nullius momenti erit absolutio, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet iurisdictionem.

Ordinariam habet Romanus Pontifex in universam Ecclesiam, Episcopus in omnes dioecesanos; Regulares superiores in suos subditos Regulares; Parochi in omnes Parochianos: item ordinariam habet canonicus Poenitentiarius in poenitentes totius dioecesis. Ordinaria potestas seu iurisdictio audiendi confessiones est etiam penes eos, quibus imminet actualis cura animarum: et quotquot praeterea beneficium vel officium habent,

cui adnexa est obligatio audiendi confessiones. Dixi *immineat* sive perpetuo ceu parochis ; sive ad tempus ceu oeconomis ab Ordinario in variis parochiis constitutis. Dixi *actualis,* atque adeo si cura habitualis sit penes Capitulum, Monasterium soli vicario sive perpetuo sive ad annum amovibili datur confessiones audire. Quibus accensendi sunt Curiones militum, Cappellani scilicet quoad milites propriae cohortis dum in itinere sunt, vel in castris. Qui vero ab Episcopo iurisdictionem et approbationem obtinuit, eam ut delegatam habet. Et generatim delegata est, quae his qui illam non habent in loco ubi confessiones excipiuntur, mandatur ab illis, qui ordinariam et absolvendi et adprobandi potestatem habent. *Trid. Sess. XIV. de sacramen. Poen. C. 6.*

Porro quisquis seu ordinariam seu delegatam iurisdictionem habet, is, et non parochi tantum, proprius sacerdos dici solet. *Extravag. 2. de Privil.; Nardi dei Parochi v. 1. c. 9.*

Ceterum quilibet alterius dioecesis subditus, si se alio transferat, rite poterit confiteri apud quemcumque sacerdotem ab Ordinariis locorum approbatum : haec est constantissima apud omnes recepta consuetudo, ut ceu incolae habeantur advenae relate ad confessiones peragendas. Et haec est sententia convenientior iuri, quod nunc viget, ait d'Annibale, eaque utimur, ut scilicet iurisdictio censeatur delegata ab Ordinario loci, in quo absolutio datur, quia iurisdictio territorio cohaeret.

Episcopi tamen et parochi possunt suorum subditorum confessiones excipere etiam extra propriam dioecesim et parochiam : nam et ubique ii sunt suorum subditorum pastores; illaque potestas ad voluntariam refertur iurisdictionem, quae potest in subditum exerceri etiam extra propriam dioecesim seu territorium.

Quandoque Ecclesia supplet iurisdictionem ita, ut qui neque ordinariam neque delegatam iurisdictionem habet, interdum valide absolvat : cum scilicet 1°. subest error communis, ut patet, et 2°. cum subest opinio probabilis in dubio iuris, etsi non adsit iusta causa necessitatis aut utilitatis, ut quis in dubio probabili *hac* iurisdictione uti possit. *Cf. D'Annib. heic ad n. 185. n. 16.* qui *num. seq. 186.* addit: « Tandem iurisdictio

prorogari potest, ut alias, de tempore ad tempus, de persona ad personam, de loco ad locum ».

Utraque autem iurisdictio ordinaria et delegata finitur ut alias: ordinaria quidem evanescit, cessante officio, delegata, finito mandati tempore; scilicet *re integra:* nam si confessio coepta fuerat, quia *ubi semel* coeptum est iudicium ibi et finiri debet *l. 7. D. de Iudic. 30,* quoad confitentem absolutione consumitur *valida* tamen, quia nulla pro non data censetur.

69. A Iurisdictione sedulo distinguenda est *approbatio* confessarii, quae et ipsa ad validitatem requiritur, etsi ordinario dari soleat simul cum iurisdictione. Est autem approbatio ordinarii de alicuius sacerdotis ad audiendas confessiones idoneitate iudicium. Unde approbatione declaratur, quem dignum esse, cui a legitimo superiore possint reipsa et *in actu secundo* committi subditi, in quos clavium potestatem exerceat.

Approbatio duplex est, *expressa* scilicet et *tacita.* Si Episcopo videbitur ad approbationem praemittitur examen, ad quod iterum vocare potest etiam approbatos, imo et parochos si horum imperitiae indicia supervenerint.

Ad regulares quod attinet, horum Praelati ordinaria, ceteri delegata iurisdictione pollent in ipsos regulares: ita ut delegati una cum iurisdictione... etiam approbationem a suis Praelatis accipiant. Quoad confessiones saecularium Regulares iurisdictionem accipiunt a Romano Pontifice, sed ad excipiendas illorum Confessiones indigent approbatione Ordinarii loci. *Urb. VIII. decret. 1628. Innoc. XII. decr. 1648.* Ex hac porro approbatione determinatur eorum potestas quoad locum, tempus, genus personarum. *Innoc. XII. Const. Apostolici ministerii* confirmata *a Bened. XIII.*

Episcopus nequit inconsulta Sede Apostolica omnibus simul unius conventus adprobationem adimere. *S. C. Episcoporum et Regul. 20 Novemb. 1615:* quamvis a suo successore possint denuo examinari, et si minus idonei reperti fuerint, reprobari, *Pius V. Const. Romani Pontificis 1571:* quod non potest Vicarius Capitularis. *S. C. Episcop. et Reg. 19 Iunii 1806.*

70. De reservatione casuum. Nullum est peccatum, quod per potestatem clavium a Christo Domino Ecclesiae

suae relictam remitti non possit. Nam *Matth. c. 18.* ait: *Quaecumque solveritis, quaecumque alligaveritis...* et *Ioan. 20: Quorum remiseritis peccata, remittuntur...* ubi το quaecumque, quorum... nullum peccatum excipiunt. At non omnes confessarii hac plenitudine potestatis absolvendi gaudent. Nam si excipias Romanum Pontificem in genere, et quemlibet sacerdotem in articulo mortis, omnes alii minus pleno iure gaudent potestate absolvendi et sunt restricti ad determinatum territorium ut dioecesis, vel ad conventum seu communitatem, vel ad sexum virilem, vel ad districtum... Imo quidam graviores casus possunt a superioribus reservari: ita ut Trid. excommunicaverit eos, qui dicerent: *Episcopos non habere ius reservandi sibi casus. Sess. 14. can. 11;* et « *merito, Trid. l. c. c. 7.* ait, Pontifices Maximi pro suprema sua potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviorum suo potuerunt peculiari iudicio reservare ». Cf. et Bulla *Pii VI. contra Eybel.* « *Quid est Papa* » *28. Nov. 1786.*

Reservatio autem est: *Peccati alicuius vel censurae ad superioris iudicium avocatio, Trid. l. c.* Haec autem avocatio bifariam fit, nam vel iurisdictionem non dat, ut in censuris, vel datam adimit ut in peccatis, eoque spectat, ut reservata superioris iudicio subiiciantur. Ex quo intelligitur reservatione inferiorum confessariorum iurisdictionem coerceri. Inde etiam patet reservationi obnoxia esse censuras et peccata.

Cum reservatio sit iurisdictionis coercitio, patet eos tantum reservare posse a quibus profluit iurisdictio, scilicet Romanum Pontificem et Episcopos: inde duplex reservationum genus, unum earum, quae a Romano Pontifice, alterum earum, quae a locorum Ordinariis sunt introductae. Discrimen in eo est, quod pontificiae perpetuae sint; episcopales, ni statutae fuerint in Synodo dioecesana, cessant resoluto iure reservantis; sive constitutae fuerint inconsulto Capitulo, sive eo consulto.... *Bened. XIV. de Synod. l. 5. c. 4. n. 3.*

Reservatio odiosum aliquid est, ait *d'Annib. n. 187.* « quia et confessariis adimit iurisdictionem, et cogit poenitentem superiorem adire, ideo strictam interpretationem recipit. Quamobrem cum Ecclesia non soleat reservare nisi graviora et externa, reservatio non incurritur nisi peccatum fuerit grave,

actione tum interna tum externa, eaque penitus consummata. Hoc primum; deinde exulat, prout in censuris in dubio seu iuris seu facti. Sed utrum excusent a reservatione ea, quae a censuris excusant, nempe aetas, metus, ignorantia reservationis?.... de ignorantia non satis convenit ».

Quae peccata reservata de facto sint Romano Pontifici, si agatur de reservatione propter censuras adnexas, haec continentur generatim in Pii IX. *Const. Apostolicae Sedis:* aut ab ipso Conc. Trid. directe statutae, e. g. si Episcopus incidat in crimen ordinationis ab ipso factae de Clerico, qui est inhabilis defectu scientiae, aetatis, vel indignus ob nativitatem et mores, vel extraneus absque sui Ordinarii commendatitiis literis, vel alia de causa ad praescriptum Trid. male promotus: sic enim ordinans suspenditur, et sui beneficii fructibus privatur, ac tantum ab iis poenis ab uno Romano Pontifice absolvi potest.

Si agatur de peccatis simpliciter reservatis haec duo sunt, quorum alterum est receptio munerum a Regularibus utriusque sexus quorum valor sit ultra 10 scutata Romana; exceptis donis remuneratoriis, et rerum medicinalium.... Alterum est crimen calumniae illius, qui sacerdotem innocentem apud superiorem ecclesiasticum de sollicitatione accusat per se, aut procurat ut alius accuset. Bened. XIV. *Const. Sacramentum.*

Licet per se et directe absolvere a peccatis reservatis possit 1) is unus, qui reservavit, vel eius successor aut superior, et quibus isti hanc potestatem delegant; quia per reservationem aliis ligatur iurisdictio et potestas absolvendi: 2) in articulo tamen mortis cuivis sacerdoti etiam degradato, haeretico, non approbato... id permissum est. *Trid. Sess. 14. c. 7. de Poen.* ubi pro hoc articulo vult cessare omnem reservationem: 3) a casibus autem Papae reservatis simpliciter (non reservatis speciali modo) in *Const. Apostol. Sedis* conceditur Episcopis, ut si occulti sint et ad forum contentiosum non deducti, possint absolvere suos subditos in foro conscientiae. *Trid. Sess. 24. c. 6. de R.;* item illas personas, quae ob perpetuum impedimentum adire nequeunt Pontificem vel eius delegatum. Ceterum servandum est decretum S. U. I. datum 23 Iunii 1886 et confirmatum a Romano Pontifice 30 eiusdem mensis

et anni (1). Confessarii Regulares gaudent potestate absolvendi a reservatis Papae simplici modo, sed communicata eis per superiores suos ex privilegio speciali inter ea, quae solent quolibet triennio, quinquennio aut vicennio confirmari; a casibus tamen Episcopo reservatis nec Regulares mendicantes absolvere possunt, nisi episcopus id ipsis indulgeat.

Generatim quoad omnes, qui gaudent potestate absolvendi a reservatis Romano Pontifici, potestas illa absolvendi a papalibus non valet pro absolvendis reservatis episcopalibus, neque potest absolvi a reservatis, qui haec confitetur ubi non sunt reservata, si eo venerit in fraudem reservationis.

Is autem cui mandata est sive directe, sive indirecte absolutio a reservatis debet eam dare in confessione sacramentali. Et quia haec integra esse debet non licet *neque superiori,* reservatis tantum auditis, remittere poenitentem inferiori confessario: neque inferiori, ceteris tantum absolutis, superiori absolvendum remittere: nisi cogente illic causa gravissima, hic gravi. Cf. *d'Annib. l. c. n. 189.*

Normae iuxta quas Episcopi sibi reservare valeant peccata. Norma generalis est monitum Tridentini Conc. ut Episcopi hac potestate reservandi in Ecclesiae aedificationem utantur

(1) Quaesitum est ab hac S. Congr. Romanae et Universalis Inquisitionis: I. Utrum tuto adhuc teneri possit sententia docens ad Episcopum aut ad quemlibet sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum speciali modo Papae reservatorum, quando poenitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi Sanctam Sedem?

II. Quatenus negative, utrum recurrendum sit, saltem per literas, ad Emum. Cardinalem maiorem poenitentiarium pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum praeterquam in articulo mortis ad obtinendam absolvendi facultatem.

Emi. Patres respondendum esse censuerunt: ad I. *attenta praxi S. Poenitentiariae praesertim ab edita Constitutione apostolica sac. mem. Pii PP. IX. quae incipit: Apostolicae Sedis, Negative.*

Ad II. Affirmative; ut in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat, absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem iniunctis de iure iniungendis, a censuris etiam speciali modo summo Pontifici reservatis sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolas et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem.

et non in destructionem, quod explicans S. Congreg. Episc. Clemente VIII. approbante, consuluit, ut casus paucos, eosque atrociorum tantum et gravium criminum sibi reservent, neque regulariter eos, quibus adnexa est excommunicatio maior non reservata, vel onus restitutionis vel alterius operis: neque tandem eos, qui ad carnis peccata referuntur ob periculum scandalorum. Possunt autem Episcopi hac facultate uti, quomodo eis libuerit per Edictum, vel per epistolam, sed expedit, ut hoc peragant tantum in Synodo dioecesana ob rationes allatas a Bened. XIV. *De Synod. l. 5. c. 4.*

In specie vero ut peccatum possit et soleat reservari ab Episcopo, requiritur 1. ut sit mortale ex obiecto suo et cum plena advertentia commissum: 2. ut sit externum, ita ut actus externus per se sit mortaliter peccaminosus: 3. ut sit consummatum in genere suo, et eo modo, qui in lege reservante exprimitur: 4. ut sit admodum grave seu habens extraordinariam gravitatem, quae talem rigorem exigat: cum secus reservatio nimis difficilis accideret: 5. ut tale peccatum non sit valde frequens.

71. Antequam dimittatur sermo de ministro, eius gravissima obligatio premendi scilicet alto sacramentali silentio, quae in ordine ad absolutionem, si poenitens confessus sit, non est praetereunda. Quae quanta sit vel ex *c. omnis utriusq. 12. de Poenit. et remiss.* intelligitur, ubi habetur, quod sive proprius sacerdos, sive alius poenitentem audiat, cavebit omnino ne aut verbo, aut quovis alio modo confitentem prodat. Quoniam qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum revelare ausus fuerit, non solum a sacerdotali officio deponendus erit; verum etiam ad agendum perpetuo poenitentiam in arctum monasterium detrudendus.

Obligatione autem sigilli obstringuntur praeter confessarium 1. interpres: 2. superior, ad quem casus reservatus delatus sit: 3. iuxta communiorem, Doctor de poenitentis licentia consultus a confessario: 4. qui casualiter vel malitiose alienam confessionem audivit: 5. is, cui sacerdos confessionem alterius revelavit.

Sigillum porro dupliciter violatur *formaliter* et directe revelando peccatum in confessione auditum, si poenitens indi-

catur aut innotescere potest: *indirecte* aliquid faciendo vel omittendo, dicendo ex quo deveniri possit in gravem alicuius poenitentis suspicionem.

Addatur et severa Clem. VIII. prohibitio *decret. 1594.* non utendi notitia habita in confessione ad exteriorem gubernationem alicuius conventus vel monasterii, si exinde metuenda sit revelatio alicuius peccati, aut gravamen poenitentis. Item addatur decretum S. Inq. approbatum ab Innoc. XI. 18 Novemb. 1682.

72. II. Tandem **subiectum** huius sacramenti est omnis christianus, qui post baptismum in peccata misere prolapsus fuerit, modo habeat dispositiones ad absolutionem consequendam necessarias. Peccare etiam frequenter humanum est: at angelicum erit se confessione purgare etiam frequenter. Qua in obligatione implenda desides Ecclesia iussit, uti communionem, sic et confessionem annuam peragere, gravissimas statuens in refractarios poenas. *Cit. c. Omnis utriusque sexus.* Neque semel in anno, sed etiam in gravi infirmitate constituti facere debent: unde sub poena temporali exclusionis ab Ecclesia medici iubentur infirmos admonere, ut huic obligationi satisfaciant. *C. 13. de Poenit.* Imo excommunicationem addidit S. Pius V. *Const. Super gregem,* quam confirmavit Bened. XIII. *in Rom. Concil. tit. 32. c. 2.* in medicos, qui post tertiam infirmi visitationem ab eius cura non cessent, donec Sacramentum poenitentiae susceperint. Sed haec poena obsoleta iam est.

TITULUS VII.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Summarium I. — Notio, Institutio, Effectus Extremae Unctionis.

73. I. **Notio.** Definitur *Sacramentum abstersionis reliquiarum peccati per unctionem in verbo.* Conc. Trid. *Sess. 14. c. 2. h. t.* Seu aliis verbis extrema unctio est « *Sacramentum, quo, per olei unctionem et orationem sacerdotis, confertur adultis aegrotis vita periclitantibus salus animae et quandoque etiam corporis* ».

Graviter nimirum aegrotantibus, et de quorum morte probabiliter timeri potest, sanctificato oleo certae corporis partes a Presbyteris ex institutione divina iniungi debent. Quae quidem inunctio non minus interius animae, quam exterius corporis sanitatem operatur.

74. II. Dixi ex **institutione divina**: hoc enim sacramentum ab ipso Domino institutum est *Marci c. 6,* insinuatum a Iacobo *ep. can. c. 5. Psal. 14, 15.* Commendatum porro ac promulgatum tradit ex Patrum et priscorum Auctorum ecclesiasticorum doctrina Concilium Tridentinum *Sess. 14. c. 2,* itemque *can. 1. Extrema Unct.* nec vero absque peccato contemni desinit *can. 3. et c. 3.*

75. III. Ad **effectus** quod attinet: duae in primis distinguantur unctionis species: quarum altera exterior, quae materialis et visibilis et plurium sacramentorum materia proxima est; altera interior, spiritualis et invisibilis audit, quae res est sui quaeque sacramenti *ex Gloss. in can. Presbyt. 2. dist. 95.* Exteriore visibiliter inungitur corpus: interiore invisibiliter cor inungitur. Hac porro duplici s. unctione triplex praecipuus effectus producitur; scilicet extrema unctio confert: 1. gratiam (habitualem) *secundam,* et si infirmus in lethali versetur, *primam* S. Iacob. *5. 14,* S. Alph. *l. 6. n. 731,* modo sit attritus: 2. gratiam sacramentalem, quae reliquias peccatorum abstergit: atque ideo hinc animi languorem et tristitiam pellit, inde spem fovet, vires recreat, animos addit, quibus fit, ut infirmus fortiter cum diabolo dimicare valeat: 3. sanitatem restituit, si animae saluti expedierit. Dixi: *sanitatem corporis restituit.* Nam reliqua Sacramenta salutem animae respiciunt: hoc vero praeter quam quod peccati reliquias tollit, etiam ad corporis sanitatem conducit, ut ostendunt verba Iacobi Apostoli. Nec mirum: quandoquidem primus huius Sacramenti usus a missis ad sanandos aegros discipulis coepit, teste Marco, *c. 6.*

Summarium II. — De materia et forma Extremae Unctionis.

76. I. **Materia remota** est *a*) oleum olivarum *Conc. Trid. Sess. 14. c. 1. h. t.* Eugen. IV. Decr. pro Armen.; *b*) in genere benedictum, cuius *benedictionis auctor* apud Latinos est Episcopus,

Conc. Trid. l. c., apud Graecos etiam Presbyter, Bened. XIV. *Const. Etsi pastoralis.* Tempus benedictionis est apud Latinos quotannis Fer. V. in Coena Domini, vetere combusto *can. 18. D. 3. de Consecr.;* apud Graecos quoties ministratur *Bened. XIV. Constit. cit.*

In casu porro necessitatis ob infirmorum copiam etiam non benedicto admixtum, *arg. c. 3. de consec. Eccl. S. C. S. Offic. 23 Sept. 1682.*

Ceterum cum dissentiant DD. num ipsa consecratio seu per Episcopum seu per Presbyterum facta requiratur omnino ad Sacramenti validitatem; hac DD. dissensione caveat sacerdos, ne alio utatur oleo, quam consecrato.

Materia proxima est ipsa unctio *(Iacob. 5.* verbo *Ungentes* addito *Conc. Trid. Sess. 14. c. 1. h. t.),* quae in Ecclesia Latina fieri debet in quinque organis sensuum: scilicet in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedum planta aut vicinis partibus, si quis alicuius sensus organo careat, et in renibus: quae tamen postrema unctio semper in mulieribus omittitur ad honestatem, in viris autem, si nequeant absque periculo moveri. Apud Graecos unctio fit in fronte, mento, genis, pectore, pedibus, manibus.

Quamvis porro DD. dissentiant, num plures unctiones requirantur vel unica satis sit ad sacramenti substantiam; tamen instante mortis periculo sufficit unam tantum unctionem facere in sensu magis obvio, ut Ritualia praescribunt.

Oleum infirmorum custodiendum est in Ecclesia in cavo a cornu Evangelii altaris maioris vel eius altaris, in quo divina reposita est Eucharistia. Sit hoc cavum interius decenti serico violacei coloris obductum, eiusque ostium clavi, apud Parochum vel alium fidelem virum servanda, muniatur. Curent autem parochi, ut quotannis novum consecretur et vetus comburatur.

77. II. **Forma** huius sacramenti est: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum, gressum, lumborum delectationem) *deliquisti: amen;* in singulis repetita. In qua tamen forma haec sola verba *per*

istam unctionem indulgeat tibi Deus quidquid per visum.... deliquisti videntur satis esse ad sacramenti validitatem. *Conc. Trid. Sess. 14. c. 1. h. t.*

Summarium III. — De Ministro et subiecto Extremae Unctionis.

78. I. **Minister** huius sacramenti ad validitatem est quilibet sacerdos *arg. Iacob. 5. v. Presbyteros.* Ad liceitatem vero ordinarius est Parochus, extraordinarius i. e. in casu necessitatis, aut ex delegatione est quilibet sacerdos. *Clement. I. de Privil.* Unus sacerdos absolute sufficit ad illud valide ministrandum; unde Ecclesia Graeca septem adhibet sacerdotes pro disciplinae diversitate, non pro sacramenti necessitate.

79. II. **Subiectum** constituit triplex qualitas 1. baptismus *Conc. Trid. Sess. 14. in Prooem. h. t.;* 2. gravis infirmitas *Conc. Trid. Sess. 14. c. 3. h. t.;* 3. aetas peccati capax *arg. Conc. Trid. Sess. 14. c. 2. h. t.*

Patet 1^m^. quia baptismus est ianua omnium aliorum sacramentorum. Patet 2^m^. ex iis, quae diximus de effectibus huius sacramenti et ex ipsa sui institutione *Iacob. 5. 14.* Unde perperam datur sanis licet in mortis periculo e. g. praelium inituris, capite damnatis. Inde sequitur 1) capaces esse furiosos amentes, si ante habuerint lucida intervalla, et possit illis administrari absque periculo irreverentiae; 2) negandam esse iis, qui levi infirmitate laborant absque vitae periculo; e contra dandam esse 3) iis, qui subita vi morbi oppressi omni sensu destituuntur; 4) senio confectis etiam non aegrotis in diem morituris. Curandum denique est, ut infirmis detur in eo morbi statu, quo adhuc integra mente ac ratione valentes possunt sua fide et religione uberiorem sacramenti gratiam percipere.

Patet 3^m^. scilicet aetas peccati capax: dicitur enim extrema Unctio *Poenitentiae consummativa. Trid. Doctr. de Sacr. Extr. Unct.* Unde non solum baptizatus et aegrotus in probabili periculo mortis esse debet subiectum huius sacramenti, sed etiam qui ad usum rationis pervenerit. Inde sequitur incapaces esse illius

infantes baptizatos, adultosque a nativitate dementes, quia nullum in iis est peccatum.

Proprium huius sacramenti est, ut possit iterari quoties quis in novum morbum incidit. *Concil. Trid. Sess. 14. c. 3. h. t.* Utique semel tantum in eadem infirmitate valide dari potest: attamen si diuturna haec fuerit, et infirmus convaluerit, et subinde in eumdem morbum ac periculum reinciderit, iterum datur. *Rit. Rom.* § *9.*

Ex hucusque dictis colligitur, quae requirantur ut valide, quae ut licite sacramentum conferatur. Ut *valide* haec: 1°. ut pars vere lita sit; ungere enim est oleo linire; ideo si oleum tantum super ea distilles, nihil erit actum: utrum vero sufficiat una olei gutta, disputatur: 2°. ut omnes sensus inungantur: 3°. ut continuo, quia scilicet probabilis sententia est ex omnibus unam unctionem coalescere et omnibus demum absolutis gratiam conferri: atque ita longiori inter unam alteramque mora interiecta, sacramentum in incerto erit.

Ut licite conferatur, requiritur 1°. ut unctio fiat pollice, non alio digito nec virgula, (etsi usus esset) nisi qua iusta causa subsit, e. g. si infirmus morbo contagioso laboret: 2°. ut in crucis figuram: 3°. ut in sensibus geminis incipiendo dextrorsum sacerdos non prius formam absolvat, quam utrumque perunxerit *Rit. Rom.* § 16: 4°. demum ut omnes unctiones ex ordine fiant. Cf. cetera apud prob. TTh. et quae DD. nostri disserunt in tit. de s. Unctione (XV. lib. I.).

TITULUS VIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Summarium I. — Definitio, divisio, institutio, effectus.

80. Post exposita, sequuntur duo, quae dicuntur voluntatis sacramenta: ordo nempe sacer et matrimonium. Sed de ordine sacro quaedam tantum heic breviter exponenda, cum longus de potestate ordinis tum in genere tum in specie sermo habitus sit *l. 1. de Personis.*

I. **Defin.** Est autem *ordo nihil aliud quam signaculum quoddam Ecclesiae per quod spiritualis potestas traditur ordinato.*

Declaratur. Dicitur ordo *sacramentum dignitatis,* quod supra laicorum quasi vulgus Clerici per illud in Ecclesia constituantur. *Ordinis* autem nomen, ut alia non pauca, ab armata militia ad sacram et caelestem translatum videtur: et quatenus ad Ecclesiam refertur definiri adhuc potest: *Sacramentum, quo per manuum impositionem aliave signa, verbis solemnibus adiectis, potestas quaedam spiritualis ad obeunda ecclesiastica ministeria designatur atque tribuitur.*

II. **Institutum** a Domino constat ex Evang. tum ubi de ultima Coena, tum ubi de Spiritu S. post resurrectionem Domini Apostolis infuso, per os ipsius Christi disseritur *Ioan. c. ult.* Tunc enim addita est potestas solvendi et ligandi, sive remittendi peccata datae prius potestati consecrandi et offerendi corpus et sanguinem Christi: quibus praesertim continetur sacerdotium christianorum, et per hanc ordinationem conferri gratiam S. Paulus ostendit. 1. *Tim. 4.* Hinc post Aug. ceterosque Patres Conc. Flor. *decret. de Unione* et Trid. *Sess. 23. c. et can. 3. de Sacr. Ord.* inter sacramenta Ordinem numerant.

Dicitur *signaculum,* quia characterem imprimit, qui cum deleri non possit, sequitur per ordinationem tribui perpetuam potestatem offerendi visibile sacrificium et peccata remittendi, prout deciditur *c. 1. et can. 1. eiusd. sess.* atque *tit.*

81. III. **Divisio.** Ut dignius sacerdotii ministerium exerceatur plures ab initio Ecclesiae minores ordines fuere et maiores: inter quos subdiaconatus iamdiu relatus est Patrum et Conciliorum auctoritate *c. et can. 2. ibid.,* atque ita in Ecclesia Catholica divinitus institutam Hierarchiam constituunt Episcoporum varii gradus, Presbyteri et ministri in plures ordines distincti *can. et c. 6. et seqq. ibid.* Divisio itaque fixa manet in *maiores,* qui tres h. e. Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, et in *minores,* qui quatuor h. e. Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, Ostiariatus. *Conc. Trid. Sess. 23. c. 2. de ord.* Et hi septem tantum nominantur a Trid. Quaestio vero est an Episcopatus Ordo sit distinctus a Presbyteratu, an vero ipsius extensio, perfectio et complementum. Cf. quae scripsimus *l. 1. de Personis.* Bened. XIV. *de Syn. l. 8. c. 9. n. 2.*

Cum porro duplex sententia sit, eorum scilicet, qui putant singulos ordines esse vera sacramenta, et eorum, qui sacra-

menti rationem negant subdiaconatui et minoribus ordinibus; illi definiunt « *ordo est sacramentum novae Legis, quo* gratia datur *et spiritualis potestas confertur ad ea, quae pertinent ad Eucharistiae tum confectionem, tum dispensationem* » ; isti vero demunt verba *quo gratia datur,* et dicunt « *est ritus sacer, quo spiritualis potestas confertur ad ea, quae pertinent ad Eucharistiae tum confectionem, tum dispensationem* ».

Quae postrema definitionis verba ideo apponuntur, quod nullus est ordo, qui institutus non sit vel ad Eucharistiae confectionem, ut Presbyteratus, vel dispensationem, ut Diaconatus, vel cultum illius singularem, ut subdiaconatus et minores ordines. In sententia communi, quae ordinibus minoribus dignitatem sacramenti non tribuit, adeoque eos plene Romani Pontificis arbitrio subiicit, sequitur quod, si probabile sit omnia ab Ecclesia ut essentialia requisita servata esse, ordinatio certo valida habenda est, quia Ecclesia defectus supplere censetur.

82. IV. **Effectus** sacramenti ordinis duplex ex dictis apparet, quorum alter est gratia sanctificans disponens ad sacras functiones sancte et religiose obeundas, et actuale auxilium ad officia cuilibet ordini adnexa rite peragenda; alter effectus est character. Quod certe dicendum est de ordinibus, qui sacramenta sunt procul dubio: de aliis vero dicendum aut negandum pro varia DD. opinione.

Summarium II. — Materia, Forma, Minister, Subiectum.

83. I. **Materia** in ordinibus hierarchicis seu Episcopatu, Presbyteratu, Diaconatu iuxta complures manuum impositio, inxta alios. traditio instrumentorum ad cuiusque ordinis ministeria pertinentium. *Cf. Bened. XIV. de Synod. dioec. l. 8. c. 10.* In ceteris ordinibus instrumentorum traditio *c. 15. 16. 17. 18. 19. dist. 23.*

Dixi in ordinibus hierarchicis scilicet in episcopatus, presbyteratus, diaconatus collatione, in quibus praeter manuum impositionem adhibetur instrumentorum porrectio cum certis verbis, scilicet diaconis traditur liber Evangeliorum, Presbyteris calix cum vino, et patena cum hostia, Episcopis expan-

ditur codex evangeliorum super cervicem et scapulas, eorumque caput et manus chrismate inunguntur, traditur praeterea baculus benedictus, anulus et liber evangeliorum.

Dixi in *ordinibus ceteris* traditio instrumentorum, quibus tradita potestas significatur, scilicet Ostiario porriguntur ecclesiae claves, Lectori sacra Biblia, Exorcistae liber exorcismorum, Acolytho candelabrum et urceoli vacui, subdiacono liber epistolarum et calix vacuus cum patena.

De iis Diaconatu inferioribus ordinibus concedunt omnes eos conferri per solam instrumentorum traditionem formamque respondentem, et solum de aliquo eorumdem ordinum in cuius collatione unum et alterum adhibetur instrumentum, quaestio est, num alicuius instrumenti omissio irritam faciat ordinationem.

Ast in aliis ordinibus subdiaconatu superioribus *quaeritur utra essentialis sit, an sola traditio instrumentorum,* uti visum est Soto ex decreto Eug. IV.: *an sola impositio manuum* ceu Morino: quippe qua sola usa est Ecclesia Graeca semper Latina usque ad saec. VIII.; *an utraque* uti Bellarmino?

Resp. Soti sententia videtur erronea *ex Act. 13, 2. Tim. 4, c. 3. de sacram. non iteran. Iuen. de sacram. VIII. III. 47.* Verior est Morini sententia, *Bened. XIV. de Synod. l. 8. c. 10,* alias qui valida Graecorum ordinatio vel infantium?

Quoniam vero ab Ecclesia nil definitum sit super his sententiis, in praxi Bellarmini sententia tutior dicenda est, et sequenda prorsus opinio eorum, qui porrectionem instrumentorum adiungunt impositioni manuum; unde si casus incidat ordinationis, in qua omissus fuerit aliquis ritus, qui ad materiam vel formam pertinet secundum DD. varias sententias, tunc suppleri debet id, quod fuit incaute praetermissum *c. Pastoralis l. c. Presbyt. 3 de sacram. non iter.,* nisi etiam magis expediat totam ordinationem iterari sub conditione si ritus, qui fuerit omissus, cum alio adhibito in unam coalescat materiam, seu moraliter unus esse debeat.

Cum materia proxima seu traditio non intelligatur, nisi minister haec praebeat ordinando, isque verius illa accipiat aut manu tangat; nam non videtur esse satis ea tantum praebuisse; hinc requiritur tactus physicus instrumentorum.

Ex dictis sequitur sub conditione iterandam traditionem instrumentorum non modo si ea omissa fuit in diaconatu et Presbyteratu, sed etiam:

1. si omissa fuit impositio manuum:

2. si in Presbyteratu sit porrecta patena et calix non consecrati:

3. item in eodem Presbyteratu si porrectus sit calix vel patena vacua:

4. si absque contactu physico sit traditio facta:

5. si defuit simultaneitas materiae ad probationem formae.

Quaestio est quaenam manuum impositio necessaria sit: nam manus *ter* imponit episcopus; primo post recitatas litanias, cum adstantibus presbyteris nihil dicens: dein mox cum ait « *Oremus, fratres carissimi.* etc.; demum post communionem cum dicit « *Accipe Spiritum Sanctum* » et de his disputatur utra sit essentialis.

Respondet ad hanc quaest. D'Annib. heic n. 152. « sane hac ordinatione datur potestas consecrandi et absolvendi; et uti olim a Christo, seorsim datur: ea igitur impositio, qua neutra datur, ad essentiam non pertinere; contra, eam pertinere, qua datur alterutra, utrumque (ni fallit) manifesti iuris est: atqui priori nulla, posteriori absolvendi a peccatis potestas traditur, ergo illam non pertinere ad essentiam, hanc pertinere, nisi cavillamur, palam est *Trid. Sess. 23. h. t. can. 4.* Quaestio igitur secundam spectat: et quaestio haec est, utrum potestas consecrandi per eam detur; an tunc detur cum Episcopus tradens instrumenta dicit: *Accipe potestatem offerre sacrificium* etc., vel an tunc explicetur potius. Cf. *Bened. XIV De Syn. l. 7. c. 10. n. 4* ».

84. II. **Forma Ordinis** consistit in verbis ab ordinante pronunciatis sive dum manus imponit, sive dum instrumenta tradit, prout in Pontificali Romano praescribuntur. Unde sequitur quod supra indicabamus de materia 1. si *certo* pars vel tota essentialis forma fuerit omissa, repetendus est totus ritus. In anglicanis ordinationibus sive presbyteralibus, sive episcopalibus ob hanc rationem totus ritus repetendus est: quia in iis manus tantum imponuntur cum formula *Accipe Spiritum S.* cui post integrum saeculum addita sunt verba « ad officium

et opus presbyteri Episcopi. » Ergo deest forma, quae clare potestatem collatam significet, quia de precibus Pontificalis Romani « consulto detractum est quidquid in ritu catholico dignitatem et officia sacerdotii perspicue designat». Leo XIII. Const. *Apostolicae curae* 13 Sept. 1896. (1).

85. III. Ad **Ordinationis ministrum** quod spectat, post ea quae fusius diximus l. 1. de Personis, heic summatim praestat sequentia in memoriam revocare. Ministri ordinationis sunt Episcopi. Et *valide* quivis Episcopus consecratus confert ordines; *licite* autem *suus* tantum. Suus autem episcopus dicitur ratione vel originis, vel domicilii, vel beneficii, vel famulatus: scilicet suus seu proprius episcopus est is, in cuius dioecesi ordinandus natus est vel nasci debuit: vel perpetuam cohabitationem sibi constituit, vel congruum, detractis oneribus, pacifice beneficium possidet; vel quocum, at non *titulari* tantum, etsi forte nondum episcopo, commoratus, et a quo altus fuit per triennium. Verum hic necesse habet conferre ordinato beneficium infra mensem ab ordine, vel a tonsura ei collata. Itaque potest ordinandus eligere ex his quem malit, et subinde in unoquoque ordine variare. At vero is, qui eligitur, prohibetur eum ordinare sine testimonialibus episcopi et domicilio et originis et *eius loci,* in quo fortasse tanto tempore moratus est, ut impedimentum contrahere ibi potuerit. At ei, qui non est suus episcopus, grave est cuivis vel tonsuram conferre sine dimissoriis Episcopi sui.

Dixi valide confert ordines tum maiores tum minores quilibet episcopus consecratus ceu ordinarius minister; et quoad ordines minores ceu extraordinarius minister est etiam pres-

(1) Nota. Cf. Brandi « Roma e Canterbury », et prius, « La Condanna delle ordinazioni Anglicane » Roma Civilt. Cattol. 1897, ad quae opuscula sese refert Emus. Card. Fr. Segna in suo peraureo atque eruditissimo opusculo *Breves animadversiones in responsionem Archiepiscoporum Anglicanorum ad Literas ap. Leonis XIII.* Apostolicae curae: n. 1. ubi in primis ob defectum formae, seu *ab vitiatam essentialiter formam,* ut exprimit Perrone, tales ordinationes sunt invalidae: quia in Ordinali Anglicano Eduardi VI. oratio vel deprecatio consecratoria, quae locum formae tenet, Ordinem, qui confertur, non exprimit. Quam quidem invaliditatis causam tenui semper et sensi cardinem esse, super quo tota haec controversia vertitur.

byter cum venia Romani Pontificis *c. 1. de ordin. ab Episcopo qui renuat.* Bened. XIV. *de Syn. l. 2. c. 11. n. 10.*

86. IV. **Subiectum Ordinationis** duplex constituit qualitas i. e.

1. Baptismus *c. 1 et 3. de Presbyt. non bapt.*

2. Sexus masculinus *arg. 1. Cor. 4. et arg. c. 1. in f. de cohabit. clericor.* Itaque certum est adultos non baptizatos et mulieres sacrae ordinationis prorsus esse incapaces; nullam pariter esse ordinationem, quae invito reluctanti, nec nullo modo consentienti conferatur ob cuiuscumque intentionis defectum.

Valida est infanti collata ordinatio quamvis illicita; at infantes ordinati ad castitatis legem, aliaque onera SS. ordinibus adnexa non tenentur, nisi legitimo tempore suam ordinationem ratam habuerint. Ut licite recipiantur ordines opus est vocatione et animo clericandi: atque ordinandus seipsum praebere debet exemplum in doctrina, in integritate, in gravitate. In **doctrina**; pro tonsura sat est si, praeter rudimenta fidei, sciat legere et scribere: pro minoribus ordinibus opus est ut linguam latinam intelligat; pro Subdiaconatu et Diaconatu, ut sciat literas, et ea, quae ad ordinem exercendum pertinent; pro Presbyteratu, ut queat populum docere necessaria ad salutem, utque noscat quae ad conferendum Baptisma, Eucharistiam et Extremam Unctionem nosse oportet; et aliquam circa Poenitentiae sacramentum peritiam habeat *Trid. Sess. 23. c. 4. 11. 13. 14. de R.* **Gravitate,** atque ideo arcentur minoribus ordinibus infantes; Subdiaconatu, Diaconatu, Presbyteratu qui 22, 23, 25 aetatis annum nondum attigerint: Episcopatu, qui 30 nondum excesserit. Confirmatio autem et iam suscepti ordinis exercitium sub levi requiruntur. In **integritate** scilicet vitae, prout exigitur ex tit. *de vita et honestate clericorum. Ne Clerici vel monachi saecularib. negot.* Cfr. quae tradidimus lib. de Personis tit. de officiis Clericorum: et Pontificale Romanum, ubi in singulorum ordinum collatione exponuntur queis virtutibus variis iuxta varios gradus Clerici ornari debeant.

TITULUS IX.

DE MATRIMONIO

Divisio tractationis: cum matrimonium sponsalibus initietur, legitimo consensu perficiatur, quandoque vero plene vel minus plene dissolvatur: tota tractatio de sacramento matrimonii in tres sectiones partita procedit ita, ut in 1ª. de sponsalibus, in altera de matrimonio ipso, in 3ª. demum de divortiis seu de modis et causis illud dissolvendi agatur.

SECTIO I.

DE SPONSALIBUS.

Summarium I. — Notio, Divisio, Subiectum, Requisita.

87. I. **Definitio.** *Sponsalia sunt nuptiarum mutua promissio c. 3. Cap. 30. q. 5. C. 31. de sponsal.* scilicet viri et mulieris mutua promissio futuri matrimonii... ita, ut sit contractus bilateralis, non unilateralis, a quo differt simplex promissio matrimonii: quia

1. haec est sine repromissione alterius partis;

2. ut obliget requiritur solum acceptatio alterius partis;

3. pars, quae promisit, nequit alteri nubere, at pars, cui promittitur libera est, quocum velit matrimonium inire;

4. nullum parit impedimentum publicae honestatis: quibus contraria obtinent in sponsalibus.

88. II. **Dividuntur sponsalia** in sponsalia de futuro, quae consensum continent in futuras nuptias; et in sponsalia de praesenti, quae consensum habent in praesens matrimonium *c. 31. de sponsal.*

89. III. **Subiectum** porro duplex constituit qualitas:

1. *sana mens: c. 24. de sponsal. l. 8. et l. 14. ff. de spons.*

2. *aetas legitima:* ad contrahendum simpliciter absolute est aetas pubertatis *c. 7. de despons. impuberum:* ad contrahendum cum facultate resiliendi, ubi pubertas advenerit, est aetas septennio maior *c. 7. 8. 13. de desp. impub.*

Unde sequitur quod sponsalia possint contrahere non solum adulti omnes matrimonii capaces, sed etiam maiores septennio: valide etiam contrahuntur a parentibus nomine liberorum praesentium et consentientium sive expresse, nutu scilicet et verbis, sive tacite i. e. silentio: qui si absentes fuerint vel ignoraverint, opus est, ut ea rata habeant: secus non valent.

90. Ex dictis colligitur accuratior definitio et omnia ad valorem **requisita**. Sponsalia ergo sunt: *Promissio vera, voluntaria, deliberata, ac mutua, signo sensibili expressa, futuri matrimonii: inter personas iure habiles.* Dicitur

1. *promissio* inducens scilicet obligationem:

2. *vera* h. e. non ficta et mere externa, sed seria et coniuncta cum consensu interno et animo sese obligandi:

3. *voluntaria* seu cum cognitione eius, quod fit, et sine errore circa personam, quacum contrahitur:

4. *deliberata* scilicet ea libertate, advertentia, ac deliberatione, quae requiritur alias, et sufficit ad hoc, ut quis possit peccare mortaliter:

5. *mutua* i. e. reciproca: cum enim utriusque corpus in matrimonium futurum fit unum, etiam animus fit unus et mutuus consensus promittentis et repromittentis. Dixi repromittentis: ut enim habeatur contractus sponsalitius requiritur repromissio ab acceptatione distincta. Promissio enim matrimonii cum aliquo ineundi potest esse gratuita; nec repugnat, ut quis se obliget ad ineundum matrimonium cum alio quin ad hoc obligetur promissarius: sed promissio sponsalitia nequit esse mere gratuita:

6. *signo sensibili expressa:* scilicet vel verbis vel nutibus, scriptura aliisve indiciis, vel etiam taciturnitate... quia sine aliquo signo internum consensum manifestante nec promissio acceptari, nec ullus contractus inter homines celebrari potest. « Intentio enim mente retenta nihil in humanis contractibus operatur » *1. 60. ff. locati:* et tunc tantum cum mutua utriusque promissio non retractata, nec illicite facta directe significata est, contractus sponsalitius perficitur.

7. *futuri matrimonii,* quibus differunt sponsalia stricte dicta a sponsalibus de praesenti seu a matrimonio rato:

8. *inter personas iure habiles*: scilicet inter marem et foeminam, qui suo tempore matrimonium ipsum licite ac valide contrahere possunt, adeoque nullo impedimento aetatis consanguinitatis, voti... ligati existunt: cum ad illicitum nemo obligari possit, minus ad actum invalidum.

Ex dictis sequitur: Licet promissio ficta per se non inducat obligationem sponsalitiam coram Deo et in foro conscientiae; ficte tamen promittens, si fictio exterius se non prodat, peccat mortaliter et in foro externo compellitur ad contrahendum matrimonium, nisi fictionem probet. Ratio 1^i. est *c. 26. h. t.* et ex principio *actus agentium non operatur ultra voluntatem eorum.* Ratio 2^i. est, quia talis in re gravi alteram partem decipiet.

Dixi *per se,* quia per accidens promissio ficta sufficere potest, ut quis in utroque foro teneatur illam ducere determinate in uxorem, cui ficte promisit matrimonium: licet ipsa hoc non repromisit e. g. quis sub ficta promissione matrimonii obtinet a decepta copulam, et tunc tenetur eam ducere: nec sufficit alio modo compensare damnum, nisi ipsa prae matrimonio eligat dotem, aut nisi aliquod supervenisset impedimentum matrimonii, aut nisi et ipsa decepisset virum simulans se se esse virginem, *S. Thom. et communiss. TTh. et Can.*: in hoc enim non solum fraus et dolus malus intercessit, sed etiam habetur contractus innominatus *facio ut facias,* sed natura contractus innominati et naturalis aequitas exigit, ut si una pars talem contractum impleat, faciendo quod ab ipsa exigitur, etiam altera teneatur adimplere faciendo quod ipsa promisit.

Summarium II. — Consensus, Effectus, Solutio sponsalium.

91. I. Sponsalium perfectio fit **consensu** *c. 1. de desp. imp.* cuius consensus

1°. **Divisio** est in *purum,* quod absque ulla datur conditione *c. 2. de sponsal.,* et in *conditionatum,* quod sub aliqua datur conditione *tit. de condit. appos. per totum,* quae, si sit *honesta* et *possibilis* contractum suspendit, et si non exsistit, eum solvit *c. 3. et 5. de condit. appos.; turpis* aut *impossibilis* negligitur *c. 7. in f. de condit. appos.;* contraria matrimonii bono, sponsalia infirmat *c. 7. de cond. app.*

2°. **Requisitum** triplex est, scilicet ut sit *mutuus, voluntarius c. 31. et 14. de sponsal.* et *reverentialis,* idest ut emittatur, parentibus saltem non dissentientibus *c. 1. et 3. Can. 30. q. 5. L. 7. § 1. de spons.*

3.° **Emissio** tandem fieri potest tum ab ipsis *contrahentibus c. 2. de sponsal.,* tum ab ipsorum parentibus, eorum tamen accedente consensu *c. 1. § fin. de desp. impub. in 6.* abrogato *c. 1. de desp. impub.* Ex dictis sequitur nulla esse sponsalia I. *ex parte intellectus* si inita fuerint ex errore circa personam vel qualitatem servilem, vel quae posita fuerit ceu conditio sine qua non, vel si error qualitatis redundet in errorem personae, si ab iis inita sint, qui debita mentis discretione carent *c. 4. et 5 de desp. impuber. et c. un. eod. in 6.*, et sint in legitima aetate: porro legitima aetas est septem annorum *C. literas 4. de desp. impuber.* si sponsalia sint inita sine advertentia, e. g. quae fiunt motu primo-primo aut secundo-primo, in quibus vel nulla vel insufficiens est advertentia ad culpam lethalem: e. g. iuvenum, qui in amore et libidinis aestu inter oscula et amplexus nuptias sibi invicem promittunt.

II. *Ex parte voluntatis* nulla sunt sponsalia ficta, neque sponsalia iocosa, nec ea quae vi metusve causa fiant.

Ad *modum*, quod attinet, quo sponsalia contrahuntur: praeter dicta addimus valere sponsalia, quamvis non fuerint iuramento firmata, etsi *clandestine* h. e. sine parochi praesentia et testibus facta, ni peculiaris loci consuetudo vel statutum eorum exigant praesentiam, ut licite fiant. — Addendum tandem est, quod sponsalia contrahi possint tam inter praesentes quam inter absentes, per internuncium, per literas, vel per procuratorem. Hic autem debet esse speciali mandato munitus, nec poterit alium substituere, nisi ei fuerit expresse permissum. Quovis modo contrahantur necesse est, ut consensus per procuratorem, literas, vel internuncium expresse perseveret in mittente, donec alter, cui significandus est, consentiat.

Accidentalia sponsalium. 1. Accidere potest sponsalibus copula carnalis, et tunc iam non praesumitur haec secuta esse carnali affectu; atque ita talis copula uti consensus de praesenti vertebat dicta sponsalia in verum matrimonium: ita

saltem praesumebatur praesumptione iuris et de iure usque ad nostra tempora iis in locis, ubi Tridentini decretum de clandestinis matrimoniis non est receptum: quia hanc praesumptionem penitus abrogavit Leo XIII. per S. Un. Inq. *decr. 15 Febr. 1892.* Unde sponsalia per hanc copulam in matrimonium amplius transire nequeunt.

2. Alia sponsalia si accedant prioribus validis sunt irrita.

3. Si iis accedat conditio, *valida sunt sponsalia inita sub conditione suspensiva.* Et licet haec in suspenso sint: tamen *a*) utraque pars tenetur expectare et curare verificationem conditionis ita, ut hanc impediens, aut recedens sine iusta causa, aut sponsalia cum alia contrahat, peccet et sponsalia nulla sint; *b*) nec urget obligatio, nec oritur publica honestas donec verificetur conditio, quae supponitur honesta, possibilis, de futuro; *c*) si addatur *causa,* haec nil officit validitati sponsalium, etsi non verificetur, ni forte error sit irritans: quod dicendum est etiam de *modo* et *demonstratione*, sub quibus sponsalia ineuntur; *d*) quod si contractui sponsalitio adiiciatur *poena* ita, ut etiam ob iustam causam resiliendi solvenda sit, poena est invalida *C. 29. sponsal. et matr.* quia sic iusta matrimoniorum libertas impediretur: quae dispositio probabiliter extendi potest etiam ad poenam, quae solvenda est ab eo, qui resiliret iniuste; *e*) si addantur arrhae, ea scilicet, quae sponsi sibi invicem sic tradunt, ut si matrimonium non fuerit secutum iniuste resiliens amittat quod dederit, et quod acceperit, reddere debeat. Sedulo distinguas ab arrhis *munera,* quae praesertim a sponso tradi solent sponsae, ad quae regulae applicentur generatim de donationibus.

92. II. **Sponsalium effectus.** 1^us^. est *Ne sponsus possit altero invito, matrimonium cum aliis celebrare,* quod est impedimentum impediens, ne res alteri promissa aliis detur.

2^us^. *Ut sponsi obligentur sub gravi matrimonium inter se contrahere* tempore ab ipsis determinato, et quidem ex iustitia, nisi iusta causa excuset. Si vero dies executioni non sit praefixa, quamprimum alterutra pars exigit, quod certum est apud omnes tum ex *c. 10. de sponsal.* et *l. 23. ff. de O. et A. l. 41 ff. de V. O.,* tum ex natura contractuum. Controvertitur autem, an

prius quam compars petat: et nos negativae adhaeremus, quia silentium indicat compartem consentire in dilationem (1).

Quod si sponsus, vel sponsa, convento tempore, vel ad instantiam alterius partis, nolit contrahere matrimonium potest ac debet cogi a iudice per competentia iuris remedia ad contrahendum, si monitio non sufficiat, nec iusta causa aliud suadeat. Nimirum aliis verbis:

3us. Effectus est *actio legitima ad implorandam iudicis auctoritatem ut renuens cogatur implere fidem,* quod fit duplici modo: 1. per simplices admonitiones, si levis, *c. 17. de spons.*: vel 2. per ec-

(1) Itaque 1. Si pure inita sint sponsalia dies obligationis nubendi cedit et venit, licet ad eorum implementum sit aliquod tempus concedendum arbitrio iudicis definiendum 2. Quod si fuerint sub conditione inita, tunc nonnisi hac adveniente dies et venit et cedit: conditiones sponsalibus adiici possunt modo turpes non sint aut impossibiles — 3. Si sponsalibus dies adiectus non fuerit, censentur ea pura esse: si adiectus fuerit; aut adiectus est ad peremptionem sponsalium seu ad implendam simul et finiendam obligationem: et tunc statim peti potest eo adveniente adimplectio, eoque transacto dissoluta censentur sponsalia *c. requisivit 17. et c. sicut 22. h. t:* (et quidem mutuo dissensu dissoluta censentur si per utrumque stetit quominus antea impleretur obligatio: quod 1: per unam partem stetit culpabiliter, ipsa quidem adhuc tenetur, sed alia libera est: (modo antea conventum non sit, ut si ultra illud tempus ex quacumque causa nuptiae celebratae non sint, utraque pars liberetur): aut adiectus fuit dies ad differendam solum obligationem, seu ad eam implendam atque urgendam: et tunc licet die adveniente statim implementum peti possit, eo tamen elapso non solvitur obligatio.

At qui distinguitur quod dies adiectus sit potius ad urgendam, quam ad finiendam obligationem? *Resp.* Si verba sunt ambigua ita ut erui inde nequeat, recurrendum est ad causas et motiva, ob quae terminus fuit assignatus. Si enim unus vel uterque contrahens apprehendit sibi omnino expedire, ut brevi sive cum hac sive cum alia persona matrimonium contrahat, quia ipsi difficile est diutius abstinere a nuptiis, vel ne occasio transeat aliorum matrimoniorum, censetur dies adiectus *finiendae obligationis:* secus ut implendae seu urgendae obligationi dies adiectus habetur.

Quod si dies additus fuit ceu terminus a quo incipit obligatio e. g. promitto tibi matrimonium *post annum* celebrandum; ante hoc tempus sponsalia sunt valida, sed obligatio non urget: post hoc tempus iam incipit urgere: si additus fuit ceu terminus in quo e. g. promitto tibi matrimonium die 25 Maii huius anni, nulla est obligatio pro tempore praecedenti, sed pro die praefixo: videndum autem an hic dies ad finiendam potius, quam ad urgendam obligationem sit appositus.

clesiasticas etiam censuras, si gravis urgeat causa, *c. 10. de spons.*

Si sponsus vel sponsa renuat contrahere matrimonium debito tempore et altera parte urgente: aut si iniuste resiliat, scilicet absque iusta causa: vel dolo impedimentum nuptiis ponat, tenetur et compellendus est a iudice ad expensas et damna comparti propterea emergentia.

4. Alius tandem effectus est *honestas publica*, de qua postea.

93. III. **Dissolutio** fit *a*) *ex utraque parte* 1°. Per mutuum dissensum *c. 2. de sponsal.* intra pubertatem elicitum *c. 8. de desp. impub.* etiamsi sponsalia iurata sint *c. 2. de spons.* 2°. Per professionem religiosam scilicet in approbata religione ab alterutro emissam *c. 2. de convers. coniug.* 3°. Per sacrorum ordinum susceptionem *c. un. de voto in 6.* 4°. Per matrimonium cum alio, aliave, iniuria quidem, sed valide contractum *c. 31. de sponsal.*

Ratio 1ⁱ. est, Reg. Iur. 1. « Omnis res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur » ergo voluntate contrahentium sponsalia solvi possunt, quae quidem voluntas manifestari potest vel ab initio v. g. appositione conditionis, aut diei, vel postea per mutuum dissensum: ita tamen ut consensus in dissolvendis sponsalibus sit *liber*, scilicet non metu aut precibus importunis extortus; ut *remissio sit mutua*, ut sit sufficienter nota utrique parti, utrinque acceptata.

Ratio 2ⁱ. est quia contractui sponsalitio inest semper tacita conditio, « sine praeiudicio perfectioris status » sed status perfectior est vel simplex votum castitatis, quod si praecedit sponsalia, haec irrita sunt, si subsequitur, haec ex multorum sententia dissolvuntur.

Ratio 3ⁱ. et *4ⁱ.* evidens est, cum impossibilis facta sit adimpletio sponsalium ob impedimentum dirimens superveniens, quale est heic impedimentum ordinis et ligaminis.

b) Dissolutio fit quoque *ex una parte tantum* i. e. ex parte innocentis *arg. c. 61 de Reg. 9. in 6.* et *arg. c. 2. de dol. et contum.*

1°. Per discessum alterutrius sponsi in longinquam regionem, sine alterius consensu *c. 5. de sponsal. S. C. C. in Mediol. 18. Sept. et 2. Oct. 1723.*

2°. Per magnam et constantem mutationem animi, corporis, fortunarum *arg. c. 25. de iureiur.* et *c. 3. de coniug. lepros.*

3°. Per fornicationem *c. 25. de iureiur.* quae sit admissa in maribus post sponsalia inita, in feminis sive ante sive post sponsalia, modo ignorata a sponso fuerit.

4°. Per dolum ab alterutro adhibitum *arg. c. 2. de dol. et contum. et arg. can. 2. Can. 27. q. 2.*

Ratio 1ⁱ. est, quia si sponsus inscia vel invita sponsa se conferat in alienas terras animo cum vel sine animo mutandi domicilium, spes autem non sit eum brevi rediturum, censetur velle sponsam liberare ab obligatione, adeoque licet sponsae resilire a sponsalibus *cit. c. 5. ibiq. DD.*

Ratio 2ⁱ. est, quia si praevisa fuisset talis mutatio, sponsalia numquam fuissent contracta... Ad tres autem classes dictae mutationes reduci possunt:

1. Ex *parte corporis* e. g. si alter incidat in paralysim, aut alium gravem morbum e. g. graveolentia oris arte medica insanabilis.

2. Ex *parte animi* e. g. si sponsa reperiat sponsum deditum scortationibus, ludo, ebrietatibus...

3. Ex *parte bonorum fortunae* e. g. si uterque pauperior notabiliter factus sit.

Quod si detegatur error post inita sponsalia, e. g. reperire mulierem pauperem, quam vir divitem putabat: scilicet si error fuit in qualitate, quae dedit causam contractui, nunc detectus, praebet iustam causam resiliendi, ita ut adfuerit error antecedens, non concomitans.

Ratio 3ⁱ. quia fornicans contra regulam desponsationis venit, Inn. III. *c. 25. de iur.* etsi admissa fuerit ante, sed ignorata fuerit: nam cum tali vitio cognito numquam contractus fuisset initus.

Ratio 4ⁱ. patet.

Tandem notamus quod Conc. Trid. *Sess. 24. de R. matr. c. 1.* matrimonia sine consensu parentum valida quidem declaravit: et de sponsalibus nihil innovavit Bened. XIV. *de Synod. dioeces. l. 12. c. 5. n. 1.* unde dissensus iustus parentum in tali matrimonio esset ratio sufficiens resiliendi ex parte eius, qui parentes non vult habere invitos.

SECTIO II.

DE MATRIMONIO IPSO ET EIUS IMPEDIMENTIS

CAPUT I.

DE MATRIMONIO IPSO

Summarium. — Notio et divisio

94. Notio. Matrimonium quandoque appellatur sponsalia de praesenti, ut distinguatur a sponsalibus, quae ad matrimonium sic appellatum opposita dicuntur sponsalia de futuro: quia haec verbo futuri temporis fiunt e. g. Ego te ducam in uxorem: illa vero temporis praesentis e. g. Ego te duco in uxorem.

Matrimonium a *matris nomine* (quia mater est semper certa, pater vero potest esse incertus, ipsaeque proles ante partum onerosae, in partu dolorosae, post partum laboriosae matri esse solent) definiri solet *viri et mulieris legitima coniunctio individuam vitae consuetudinem continens.*

Iamvero si in hac definitione coniunctio accipiatur *causaliter* seu *efficienter* competit matrimonio in fieri, ut est actualis contractus, et legis novae sacramentum: si vero coniunctio accipiatur *formaliter* pro vinculo permanente competit matrimonio in facto esse, ut est vinculum viri et mulieris individuam viri consuetudinem continens *Schmalz. in tit. de spons. n. 223.* Aliis verbis matrimonium accipitur vel pro contractu ipso, quem inter se mulier et vir ineunt, quique res transiens est, vel pro vinculo per talem contractum inducto, quod permanet et perpetuum est.

Matrimonium priori modo acceptum praeter datam modo ex *c. 11. de praesumpt.* hanc aliam accipit definitionem « Contractus, quo vir et mulier suorum corporum dominium ad usum coniugalem sibi invicem tradunt et accipiunt, seque obligant ad se mutuo iuvandum et perpetuo cohabitandum »; acceptum altero modo « est maris et foeminae coniunctio maritalis ac legitima individuam vitae consuetudinem retinens ». Dicitur

maris et foeminae, quia nonnisi coniunctio inter marem et foeminam ad finem primarium assequendum a natura ordinatur matrimonium: *coniunctio,* addit gloss., animorum non corporum, quia commixtio corporum ad essentiam matrimonii non requiritur, ut in sterilibus, et in iis qui perpetuam voverunt castitatem: *maritalis,* i. e. ad prolis generationem et educationem ordinata ab ipsa natura: *legitima,* quia nullum debet esse impedimentum a lege statutum, quo nuptiae inter eas personas dirimantur: reliqua verba definitionis significant virum et mulierem inter se coniungi etiam ad prolem educandam aliaque matrimonii onera sustinenda.

I. DE MATRIMONIO UT CONTRACTU SPECTATO

Itaque si matrimonium paulisper spectetur ut contractus Eug. IV. Decr. pro instr. Arm.,

a) Eius *notio* genuina est viri et mulieris coniunctio individuam vitae consuetudinem continens *c. 11. de praesump.*

b) Eius autem *perfectio* fit *consensu c. 2. Cau. 27. q. 2.* cuius declarationis modus duplex est: *immediatus,* sive per se, quod fit aut verbis aut signis *c. 23. de sponsal.; mediatus,* sive per procuratorem *c. 9. de Procurat. in 6.*

c) *Qualitas characteristica* est indissolubilitas *c. un. de vot. in 6.*

Dixi *matrimonium consensu perfici* inter personas tamen legitimas: hinc duo tantum requiruntur 1. consensus; 2. ut in matrimonii celebratione nullum sit impedimentum dirimens, quod nempe prohibet, ne nuptiae contrahantur, contractasque vel ab initio irritas facit.

Porro ad consensum quod spectat hic debet esse *reciprocus, verus, liber* a coactione et metu gravi iniusto, extrinsece manifestatus et *expressus* ab ipsis contrahentibus sive immediate sive mediate i. e. per procuratorem; *simultaneus* saltem moraliter h. e. cum in quolibet contractu, utriusque contrahentis consensus non necessario coexistit et simul physice ponatur, sed sufficit, si postquam unus consensit, alter ex intervallo consentit, non obstante quod plura negotia aliena intercesserint, modo prior consensus non sit revocatus, ita et

in hoc matrimoniali contractu sufficit quod prior consensus non fuerit revocatus, sed tacite adhuc duret. Tandem consensus ferri debet in certam personam.

Dixi *reciprocus consensus* ita tamen, ut non requiratur expressa alterius partis repromissio sicut in sponsalibus; cum enim Titio dicenti, ego te accipio in meam uxorem, Caia respondet, assentior: hoc uno continetur utriusque promissio et acceptatio nempe Titius se dat in maritum Caiae, Caia se dat in uxorem Titii, et uterque alterius obligationem acceptat.

Dixi *mediatus* sive *per procuratorem*. Porro in matrimoniis per procuratorem contrahentes ipsi consensum ferunt etsi per mediam personam, de eorum tamen mandato aliisque servatis conditionibus. Hae sunt 1ª. ut speciale ad id mandatum habeat procurator: 2ª. qui per seipsum exequatur mandatum, neque hoc aliis deleget, nisi id ei fuerit expresse a mandante concessum: 3ª. ut nullum sit matrimonium, si antequam inetur, mandans voluntatem revocaverit, licet revocationis notitia ad procuratorem nondum pervenit: quamvis enim in coeteris contractibus ille obligatus censeatur donec procurator revocationem cognoverit; hoc tamen locum non habet in matrimonio, in quo maxime libertati favendum, cum matrimonia coacta infelices soleant exitus habere: 4ª. si in mandato addita sit aliqua vera conditio e. g. ut matrimonium fiat, sed cum tali dote; haec conditio sedulo servanda est: secus nil actum est, deficiente consensu. Sed debet esse vera conditio *sine qua non:* e. g. si id ut simplex desiderium exprimeretur in mandato, aut sit iam a iure requisitum non sub poena nullitatis: 5ª. ut raro, et consulto Episcopo admittatur procurator, praesertim pro muliere, ne scil. fraudibus et circumventionibus praebeatur occasio. Neque officit ratio sacramenti, quod unum idemque est cum contractu elevato a Christo Domino ad dignitatem sacramenti: sed de essentia cuiusvis contractus est ut possit contrahi per procuratorem.

95 Divisio seu species matrimonii.

Iure can. matrimonium distinguitur I. *Ratione validitatis* in verum et putativum. *Verum* quod rite contractum est a personis idoneis *arg. c. 7. de sent. et re iud.*, seu quod caret quocumque irritante vitio, et latissimam habet significationem;

quia comprehendit et ratum et legitimum, nec non ratum simul et legitimum. Dicitur verum ad oppositionem matrimonii praesumpti et putativi. *Putativum* est matrimonium *specie* validum, re irritum ob impedimentum latens *c. 11. Qui filii sint leg.,* sed dirimens. Porro matrimonium putativum in foro externo fere eosdem praestat civiles effectus ac verum, modo duplex servetur conditio: 1°. ut adfuerit bona fides ante matrimonium saltem in alterutro coniugum *c. ex tenore 14 Qui filii sint legit ;* 2°. ut omnes a iure praescriptae servatae sint solemnitates, ea praesertim, qua invitantur fideles ad impedimenta, si qua noverint, denuncianda. Quibus servatis, matrimonium ut verum habetur, filii legitimi existimantur *c. pervenit 11. Qui filii sint;* dos adesse intelligitur *arg. c. cum inhibitio ult. de cland. despons. Praesumptum* ut distinguitur a putativo, est cum, posito aliquo facto, ius praesumit illud initum fuisse: e. g. illud quod per decretum Leonis XIII. sublatum est, scilicet quod post inita sponsalia, accedente copula maritaliter admissa, praesumebatur matrimonium ubi Tridentinum non vigebat.

II. *Ratione modi,* quo contrahitur, dividitur matrimonium in publicum et occultum seu conscientiae. *Publicum* est quod publice contrahitur *can. 1. et seq. Cau. 30. q. 1. Occultum* est quod occulte et absque solemnitatibus contrahitur. Ad hoc tamen ineundum requiritur duplex conditio scilicet: *a*) Episcopi venia et *b*) gravis ac iusta causa *Bened. XIV. Constit. Satis vobis.* Unde sequitur triplex effectus: 1. omissio trium denunciationum; 2. descriptio ipsius in Libro aliquo particulari, qui sigillatus servatur in Cancellaria Episcopali; 3. descriptio prolis si nascatur, absque genitorum nomine in libro baptismi, conscio ea de re facto Episcopo.

III. *Ratione eius perfectionis* dividitur in legitimum, ratum et consummatum. *Legitimum* quod scilicet secundum gentium leges contrahitur absque Ecclesiae auctoritate *cap. 7. de divort.,* seu quod fit servatis omnibus ex iure patrio legibus; hinc matrimonium etiam infidelium potest esse legitimum. *Ratum* quod contrahitur ex regulis christianae religionis neque adhuc corporum commixtione est firmatum *c. 7. de divort. Conc. Trid. Sess. 24. c. 6. de R. matr.* quod scilicet a christianis celebratur et careat vitio irritante. *Consummatum* denique di-

citur cum copula carnalis inter coniuges intercessit et ad hoc proprie referuntur Christi Domini verba « *Quod Deus coniunxit homo non separet* ». *Math. 19. 5.* Cf. alias divisiones penes canonistas et moralistas, nominatim Ballerini Opus theolog. mor. *v. 6. n. 413.*

II. DE MATRIMONIO QUA SACRAMENTUM EST

Assertum I. — Ille idem contractus matrimonialis elevatus est a Christo Domino ad dignitatem sacramenti, non qua tantum late et improprie est sacramentum, uti inter infideles et in V. T.; sed proprie qua est signum efficax gratiae.

96. **Decl.** Dixi 1. *non tantum late et improprie,* ut inter infideles et in V. T. qua contractus matrimonii habitus est semper apud gentes quoque ceu sacer et religiosus, non mere civilis et profanus: quia *a*) Deum habet auctorem; *b*) tendit ad procreationem et formationem hominum filiorum Dei destinatorum ad gloriam aeternam; et *c*) repraesentat quadantenus unionem Christi cum Ecclesia; *d*) Innoc. III. *c. gaudemus de divort.* affirmare non veretur sacramentum coniugii inter fideles et infideles existere.

Dixi *proprie est sacramentum.* Nam quae tria ad constituendum proprie dictum sacramentum requiruntur, nempe signum seu symbolum externum rei sacrae, divina institutio, et gratiae promissio, ea omnia in matrimonio concurrere probant TT. prae ceteris *cf. Bellarm. t. 2. controv. l. 1. de matr. c. 1. et seq.* Idque auctoritate sacrarum utriusque Testam. Litterarum, Romanorum Pontificum, Patrum et Conciliorum generalium tum Florentini in *decr. union. Armen.* tum Trid. *Sess. 24. in decr.* de sacramen. Matr. *can. 1. ibid.*

Dixi *ille idem contractus matrimonialis elevatus est ad dignitatem sacramenti* ita, ut erroneum sit affirmare matrimonii sacramentum esse aliquam rem seu ritum contractui matrimoniali accessorium: imo certum sit Christum Dominum ita evexisse matrimonium ad sacramenti dignitatem, ut nequeat inter baptizatos valere in ratione contractus, quin simul sit sacramentum.

97. Inde sequitur I. *Ergo omne matrimonium inter Christianos validum habet rationem sacramenti* ita, ut nulla separatio, nulla realis et adaequata distinctio habeatur inter contractum et sacramentum, *Leo XIII. encycl. Arcanum, Pius IX. liter. ad regem Sardiniae 9. Sept. 1852. All. 27. Sept. 1852,* unde desumptae fuerunt prop. 66. et 73. damn. in Syllab.

98. II. *Ergo Christus Dominus elevans ad dignitatem Sacramenti matrimonium baptizatorum, non mutavit naturam contractus*, sed ordinem, quatenus illud reddidit supernaturale, ei adnectens vim producendi gratiam ex opere operato ita, ut fidelium matrimonium sit contractus supernaturalis et infidelium naturalis.

99. III. *Ergo inter baptizatos numquam separari potest ratio sacramenti a ratione contractus.* Notio quidem contractus a notione sacramenti in se distincta est, quin imo in infidelibus habetur reipsa contractus sine sacramento, et ante institutam Christi Ecclesiam in universo genere humano. At cum Christus Dominus matrimonium voluit habere rationem sacramenti: et statuit ut inter baptizatos matrimonium esset sacramentum; iam contractus ipse evasit ritus sacramentalis, ita ut contrahere matrimonium et efficere sacramentum sit unum idemque. Unde post ultima praesertim S. Sedis documenta supra cit. nullus dari potest casus separabilitatis contractus a ratione sacramenti non modo sensu pseudopoliticorum, sed iuxta sensum Catholicorum quorumdam *apud Pichler in tit. de spons. n. 77. et seqq.*

100. IV. *Ergo ipse quoque matrimonialis contractus civilis non civili sed ecclesiasticae subest potestati.* Cum enim ipsum matrimonium, seu contractus matrimonialis sit sacramentum a Christo Domino institutum, sequitur illud non amplius subesse potestati civili sed Ecclesiasticae: factum siquidem est res sacra: sacrae autem res ad Ecclesiam spectant, quin in illas quidpiam auctoritatis habeat princeps civilis. Hinc etiam sequitur potestas Ecclesiae statuendi impedimenta matrimonii.

101. V. *Ergo falsa est doctrina matrimonii mere civilis, quae statuit inter Christianos constare posse contractum matrimonialem mere civilem, qui perficiatur coram magistratu civili per mutuum contrahentium consensum* et huic contractui

suum esse matrimonii valorem adeo, ut contrahentes habendi sint ut veri et legitimi coniuges, etsi matrimonium non celebrent in facie Ecclesiae: imo etsi ab Ecclesia matrimonium verum haberi non possit, sive quia intercedit aliquod dirimens impedimentum, sive quia non servatur legitima contrahendi forma: *a*) nam qui non vult matrimonium sub ratione sacramenti inter Christianos iam hic non vult matrimonium sub ratione contractus; *b*) falsa quoque est haec matrimonii civilis doctrina ob damna promanantia.

102. Neque intentio contrahentium impedire potest sacramenti confectionem. In Concilio enim Florentino et Tridentino scimus sacramentum non a virtute ministri pendere, sed ex materia, forma et ex intentione faciendi quod facit Ecclesia. Unde illud Aug. *accedit verbum ad elementum et fit sacramentum*. Iamvero cum quis matrimonium contrahere vult quin sacramentum velit, sacramentum revera conficit licet invitus. Nam Christianus reapse matrimonium vult contrahere, licet protestetur se nolle sacramentum: scilicet nihil aliud facit, quam ponere materiam contractus, quae est materia sacramenti, et formam contractus quae est forma pariter sacramenti. Habet praeterea intentionem faciendi quod facit, quod adamussim est quod facit Ecclesia.

103. Assertum II. Contrahentes sunt ministri huius sacramenti, non sacerdos assistens: quia contrahentes sunt ministri contractus, qui ipse est sacramentum. Est praesertim contra Canum et quosdam alios, quorum opinio valde probabilis antea dicta a Bened. XIV. tot tantisque S. Sedis declarationibus omnem amisit probabilitatem. *Cf. probatos AA.*

104. Assertum III. De materia et forma plures adsunt sententiae, sed probabilior est ea cui subscribimus 2°. loco recensita a S. Alphonso scilicet materia remota huius sacramenti sunt corpora contrahentium mutuo tradenda sive ius mutuum in corpus alterius; proxima est ipsa traditio iuris in corpora, facta per verba seu signum consensum exprimens. — Unde sequitur quod sacramentum matrimonium sit unum non duplex. *Cf. probatos AA.*

105. Assertum IV. Fideles etiam post Trid. contrahere possunt per procuratorem matrimonium etiam in ratione sacramenti, quia matrimonia a fidelibus contracta sunt sacramenta, ut definit Florent. et Trident., sed matrimonia contrahi possunt a fidelibus per procuratorem *c. fin. de Procurat. in 6. Cf. probatos AA.*

Unde matrimonium ut sacramentum definiri potest « viri et mulieris animorum coniunctio individuam vitae consuetudinem retinens, cum gratia supernaturali a Christo Domino coniugibus collata ad matrimoniales leges adimplendas ». *Catech. Rom. c. 8. n. 5.*

EFFECTUS MATRIMONII INDE PATENT.

106. I. Alii communes utrique coniugi, quinque recensentur: 1. *Gratia,* quam matrimonium ut sacramentum confert coniugibus fidelibus, et dicitur bonum sacramenti.

2. *Vinculum coniugale* ex natura sua relativum dicens habitudinem mariti ad uxorem: per quod vinculum ex mutuo maritali consensu constituitur matrimonium in facto esse seu status coniugalis ex natura sua continens vitae societatem.

3. *Fides coniugalis* exigens *a*) ut coniuge vivente, etsi diutissime absit, cum alia persona matrimonium alter non contrahat, nec ullatenus commisceatur; *b*) ut vir et uxor sibi debitum reddant; *c*) ut ambo coniuges mutuo cohabitent amoremque et amicitiam mutuam sibi exhibeant: cohabitent ita ut communi mensa et toro utantur, nisi iusta causa excuset ad tempus.

4. *Bonum prolis, a*) quod continet legitimitatem prolis atque adeo in ea capacitatem succedendi in bona paterna et materna; *b*) rectam prolis educationem in moribus, vera religione, pietate et artibus; *c*) alimentationem eiusdem, quae praecipue onerat patrem.

5. *Mutua rerum et bonorum communio* non quoad proprietatem sed promiscuum usum.

Speciales effectus I) ex parte mariti sunt 1. potestas maritalis, vi cuius maritus est caput uxoris, quae non ut ancilla

sed ut socia subordinata tenetur marito obedire in iis, quae pertinent ad curam domesticam rectamque familiae administrationem: item potestas patria quoad liberos.

II) ex parte uxoris est quod uxor coruscet radiis mariti participando eius nobilitatem, dignitatem, privilegia.

Quoad petitionem et redditionem debiti, uno petente alter tenetur reddere; petere vero debitum per se neuter tenetur.

In dubio de valore matrimonii huc applicanda quae traduntur in dubio dominiorum, possessionum et eiusmodi iurium.

1°. Quidem si dubium sit positivum, dum pro et contra adsunt rationes probabiles, uterque licite petit et reddit debitum: quia ob rationem solum probabilem nemo privatur commodo possessionis.

2°. Si bona fide contraxit matrimonium, et superveniente dubio, incipit dubitare de valore illius, et veritatem comperire nequeat, deposito hoc dubio speculativo, post adhibitam sufficientem diligentiam, licite petit et reddit debitum quia ob superveniens dubium ex possessione b. f. acquisita deturbari nequit.

3°. Quod si unus bona et alter mala fide contraxit, veritate non comperta, coniux b. f. debitum petere potest ob dictam rationem; at non ita malae fidei contrahens, qui ex contractu malae fidei non acquisivit ius petendi. At reddere debitum tenetur si petatur a parte b. f.: coniux enim b. f. non debet privari iure et commodo possessionis ob malam fidem alterius, donec probetur matrimonium esse nullum.

4°. At si uterque mala fide contraxit neuter petere et reddere potest *c. 44. de sent. excomm.*

5°. Tandem si uterque post contractum b. f. matrimonium incipiat de huius valore dubitare ante sufficiens examen, neuter licite potest petere aut reddere; quia possessio dubia, non praemissa sufficienti investigatione veritatis, non tribuit ius utendi: sed deficiente tali iure, alter nec tenetur, nec potest dare usum corporis.

CAPUT II.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Agemus 1. de impedimentis matrimonii in genere: 2. de impedimentis matrimonii in specie; 3. de dispensatione ab his impedimentis seu generatim de dispensationibus matrimonialibus.

ARTICULUS I.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IN GENERE.

Summarium. — Breviter innuitur quid sit impedimentum, quotuplex, quis ferre possit; qui tollantur impedimenta. Quinam impedimentis teneantur. Enumerantur impedimenta dirimentia et impedientia.

107. Quid sit impedimentum matrimonii. Cum matrimonium coniunctio sit animorum maris et foeminae individuam vitae consuetudinem retinens, patet eos, qui ad huiusmodi coniunctionem peragendam inhabiles inveniuntur, matrimonium contrahere non posse: hinc dicitur inter eos haberi impedimentum; imo prohibitionem intercedere quominus contrahant. Quae prohibitiones cum possint venire ex ipso iure naturali vel divino positivo vel humano, hinc distinctio impedimentorum prout a iure naturali, divino, vel humano oriantur.

Prohiberi autem quis potest a contrahendo matrimonio ita ut, si forte matrimonium ineatur, hoc sit illicitum, sed validum; vel ita, ut sit etiam invalidum. Quae impedimenta vitiant valorem matrimonii ita, ut hoc valide non contrahatur, *dirimentia:* quae obstant honestati ita, ut matrimonium valide quidem non tamen licite contrahatur, *impedientia* tantum vocantur. Hinc matrimonii impedimenta duplicis generis sunt, *dirimentia* quae contrahendum impediunt, contractum tollunt *Trid. Sess. 24. can. 3,* et *impedientia,* quae vetant contrahi et contractum non tollunt. *Cf. tit. de matr. contract. contra interd. Eccl. per tot.*

108. Quotuplex. Divisio patet ex modo dictis 1. alia sunt ex *iure naturae* alia *iure divino,* alia *iure humano.*

2. Alia *absolute,* quae scilicet removent personam a quocumque matrimonio, alia *relative* impediunt, quae scilicet obstant matrimonio alicuius personae cum alia vel aliis.

3. Alia *publica,* quae scilicet aut natura sua, aut ob circumstantias sunt notoria, aut saltem in foro externo probari possunt; alia *occulta,* quae nemini aut tantum paucis discretis sunt nota.

109. Quis ferre possit impedimenta matrimonii.

Resp. 1. Patet in Ecclesia adesse hanc potestatem: sicut enim non potestati civili, quae ad religionem et sacra pertinent, subsunt sed Ecclesiae potestati, ita et quidquid Christus reliquerit determinandum in sacramentis: ergo etiam matrimonii sacramentum eidem subest, ita ut ipsi uni Ecclesiae competat potestas apponendi imped. matrimonii sacramento sive impedientia sive dirimentia. *Cf. Concilium Trid. et TTh.*

Resp. 2. Subiectum penes quod residet haec potestas est unus Romanus Pontifex ipse solus, vel ipse cum concilio oecumenico.

Tolluntur autem impedimenta 1. per abrogationem ab eo solo qui illa statuit; 2. consuetudine contraria; 3. per dispensationem Romani Pontificis pro casu particulari.

Si porro tenentur impedimentis pro quibus haec lata sunt, ab auctoritate legitima et quatenus hi subsunt iisdem tolluntur.

110. Enumerantur impedimenta impedientia et dirimentia.

I. Dirimentia notantur versibus:

> Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
> Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
> Affinis, aetas, si clandestinus et impos,
> Raptave sit mulier, parti nec reddita tutae:
> Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

II. Item impedientia:

Ecclesiae vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, iungito votum,
Incestus, raptus sponsatae, mors mulieris,
Susceptus propriae sobolis, mors presbyteralis
Vel si poeniteat solemniter, aut monialem
Accipiant, prohibent haec coniugium sociandum.

ARTICULUS II.

DE IMPEDIMENTIS IN SPECIE.

A. DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

Ordo tractationis. Impedimenta dirimentia triplici ex capite oriri possunt:

1. Ex *defectu consensus* quatuor recensentur, scilicet error, vis, raptus, conditio.

2. Ex *defectu formae* canonicae seu tridentinae habetur unum, quod impedimentum clandestinitatis audit.

3. Ex *defectu idoneitatis,* quae duplex est, *absoluta* unde impedimentum 1. *corporis duplex* impubertas scilicet et impotentia coeundi: 2. *animi triplex a*) quoad matrimonium subsequens *ordinum sacrorum susceptio,* et matrimonium cum alio aliave initum; *b*) quoad matrimonium etiam antecedens, modo sit tantum ratum, est *votum solemne.*

Altera idoneitas est relativa seu cuius defectu habentur cetera, quae supersunt impedimenta, de quibus infra.

I. DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS EX DEFECTU CONSENSUS.

§ 1. DE IMPEDIMENTO ERRORIS.

111. Notio. *Error est falsa rei apprehensio:* et triplex est: scil. **in personam** *can. 29. q. 1. per tot.,* vel **libertatem** *de coniugio servorum c. 2,* vel **qualitatem,** quae refunditur in personam, vel quae instar est conditionis sine qua non.

Non omnis error matrimonium impedit: nam si quis corruptam in uxorem accipit, quam virginem arbitratur, vel qui accipit meretricem, quam putat esse castam: uterque quidem errat, neutro tamen casu ob errorem matrimonium infringitur.

Solum igitur personae et conditionis error obstat matrimonio, qualitatis vero et fortunae non obstat. Est autem *error personae,* cum is, qui est Ioannes, Paulus putatur. *Conditionis* cum is, qui servus est, liber creditur. *Fortunae,* ut cum is, qui pauper est, dives existimatur, vel contra. *Qualitatis* cum is reputatur bonus, qui tamen est malus.

I. DE ERRORE PERSONAE.

Summarium. — 1) Quid, quotuplex error, qui dirimat matrimonium; 2) et quo iure 3) error circa qualitatem generatim non vitiat matrimonium; 4) *quaer.* **an vitiet error** *a*) **circa ipsum ius in corpus;** *b*) **circa essentialem matrimonii proprietatem, scilicet insolubilitatem;** *c*) **circa validitatem matrimonii.**

112. I. **Quid.** Error est falsa rei apprehensio; *errare enim* ait Aug. *est unum pro altero putare*: sic in venditionis contractu venditor putat se vendere vitrum, quod est gemma.

Quotuplex. Error in matrimonio potest esse facti vel iuris. *Error facti* est vel personae, vel qualitatis generice prout qualitas errorem fortunae complectitur vel conditionis. *Error iuris* cadere potest vel in ipsum ius in corpus in ordine ad prolem, vel in essentiales eiusdem proprietates i. e. perpetuitatem, unitatem. Insuper error potest esse antecedens, si dat causam contractui, qui secus numquam fieret, et tunc error efficit actum involuntarium; vel concomitans qui nec inducit ad contrahendum.

113. II. **Quinam error dirimat matrimonium?**

Resp. Ex iure can. regula generalis est quoad matrimonium: *ubi error cadat in re, sine qua non concipitur substantia matrimonii, matrimonium nullum erit; quod e contra validum erit si error cadat in re, sine qua matrimonium stare potest.* Iamvero certa omnium sententia est, quod error in personam et substantialis dirimat matrimonium et huius valori obsit: quia ad

valorem matrimonii necessario requiritur in idem placitum seu substantiale obiectum consensus *can. 2. Cau. 27. q. 2;* Trid. *Sess. 24. C. 1. de R. matr.;* sed errantis nullus est consensus, neque voluntas.

Hinc error omnis circa personam dirimit matrimonium iure naturae, ut patet.

114. III. **Error circa qualitatem** generatim **non vitiat** matrimonium. Nam hic error *a*) vel non dat causam contractui, sive concomitans est, et tunc non vitiatur contractus; quia per hunc errorem nullatenus impeditur consensus. Vel dat causam contractui, seu est antecedens, neque tunc vitiat: quia *a*) talis error non tollit consensum in personam, nec facit matrimonium involuntarium simpliciter, sed tantum secundum quid, seu circa qualitates et accidentia; *b*) id exigit natura status, qui per talem contractum assumitur; *c*) secus plura matrimonia dissolverentur magno reipublicae damno, prolium atque animarum scandalo.

Dixi *generatim non vitiat matrimonium;* quia per accidens fieri potest ut error circa qualitatem vitiet matrimonium; idque ex doctrina communi, duplici in casu 1. si quis absolute nollet consentire in personam, nisi tali conditione affectam; 2. si conditio seu qualitas iuxta mentem contrahentis transeat in conditionem personae seu substantiae, cum quis tantum ex qualitate aliqua cognoscit futuram coniugem, ob quam qualitatem tamquam ex causa finali consensum praestat; quod fieri maxime potest in matrimoniis per procuratorem. *Schmalz. in t. de sponsal. n. 448. et seqq.*

115. Ex dictis sequitur quod *a*) Error iuris, scilicet circa ipsum ius in corpus: i. e. non ad filios procreandos, sed in amicalem societatem consentiat... vitiat matrimonium; *b*) error circa essentialem matrimonii proprietatem, e. g. si contrahens putet vel vinculum matrimonii solvi posse saltem in aliquo adiuncto, vel post initum matrimonium maritum et uxorem posse alium vel aliam superaddi, vel non esse sacramentum, ut protestantes autumant.. Non vitiatur contractus, si sic contrahens omni quo potest modo vult inire verum matrimonium vel prout institutum est a Deo: vitiatur autem si contrahens explicito voluntatis actu excluderet essentialem proprietatem;

c) error circa validitatem matrimonii, si e. g. uterque vel alteruter contrahentium per errorem credat se laborare impedimento dirimente, non vitiat si contrahens quantum in se est verum intendat matrimonium: vitiat autem si contrahens intendat concubinatum.

II. DE ERRORE CIRCA CONDITIONEM.

Summarium. — 1. Quae sit servitutis conditio; 2. et quatenus dirimat matrim.

116. Vitiat matrimonium error circa libertatem: quod impedimentum *conditio* audit, cum is, qui servus est, liber creditur *c. 2. de coniug. servor.*

Porro *servi stricte* dicti, de quibus solis hic sermo est, sunt qui ex iure gentium vel civili contra naturalem libertatem alieno dominio ita subiecti sunt, ut instar aliarum rerum et patrimonii possideri, vendi et alienari possint; et quidquid adquirunt, dominis suis acquirant iisque ad perpetua servitia obstricti sint. Fiunt tales vel ex nativitate, si nimirum nati sunt ex serva vel *ancilla* stricte dicta; vel ex captivitate, si nimirum in bello iusto cum exteris nationibus gesto, capti et servati sunt.

Iure romano inter servos etsi non daretur matrimonium *iustum* quale erat inter cives, suis gaudens iuribus; agnoscebatur tamen quoddam matrimonium, quod contubernium vocabant. Triplex enim iure naturae validum habebant Romani matrimonium, scilicet iustas nuptias seu matrimonium *iustum*, quod initum fuit caeremonia confarreationis, *concubinatum*, quod initum fuit sine illa solemnitate (quae vox concubinatus sensu moderno romanis erat *pellicatus*) et tandem, *contubernium* quasi societatem quamdam.

117. *Communis regula est quod conditio servilis ignorata dirimat matrimonium inter liberum et servam, vel inter servum et liberam:* idque iure ecclesiastico tantum. Hinc quando liber contrahit cum serva putans liberam, vel libera cum servo putans liberum, matrimonium ex hac conditione ignorata est nullum *c. si quis homo ingenuus Cau. 29. q. 2. et c. f. h. t.*

Quod procedit, etsi haec ignorantia, aut error non dedisset causam contractui, et pars serva evasisset libera antequam pars libera errorem suum cognosceret. Dixi *ignorata:* unde si liber scienter contrahat cum serva, valide contrahit, quia sic conditio non obest sive perpetua sit sive temporalis. Dixi *si liber contrahit* cum serva putans liberam... unde si quis e servis contrahit cum libera putans esse servam, valet... quia ad hanc meliorem conditionem non reputatur invitus... Dixi *cum serva:* supponitur scilicet actualiter serva, unde si quis coniugum post matrimonium contractum evadat servus non ideo solvitur matrimonium.

Diximus hoc impedimentum dirimere iure ecclesiastico non naturali. Ita comm. cum Sanchez. Servitus enim absolute non repugnat substantiae matrimonii ex una parte, ex alia vero datur in ignorante servitutem simpliciter liber et voluntarius consensus in talem personam: quia error servitutis est qualitatis et accidentalis.

118. Qui revalidandum vel accusandum tale matrimonium?

Resp. 1. Pars innocens et libera si resilire nolit, ut ratihabeatur matrimonium, necesse est, si publicum sit hoc impedimentum, consensum coram parocho et duobus testibus renovare: revalidari enim debet ut cetera matrimonia nulla.

2. Quod si liber velit recedere a coniugio, statim si certus est de servili alterius statu, separare se potest propria auctoritate, imo debet quoad torum, ob notam coniugii nullitatem Ast quoad reliqua obsequia coniugalia et cohabitationem distinguendum est. Vel enim coniugium inter eos est occultum, ita ut neque parochi et testium testimonio probari possit, tunc permittitur separatio propria auctoritate. Si vero notum est eorum coniugium, tunc ad separationem exequendam iudicio ecclesiastico opus est. *Schmalz. De coniug. servor. n. 41–42.*

Cum vero ad imped. dirimens conditionis duo requirantur: 1. ut tantum una pars sit conditionis servilis: 2. ut pars libera id ignoret; vel per errorem putet alteram quoque esse liberam, vel ingenuam, ad sententiam separationis haec duo constare debent 1. servilis conditio in altero: 2. in altero ignorantia huius servilis conditionis.

§ 2. DE IMPEDIMENTO VIS ET METUS.

Coactio quoque seu vis et iustus violentiae metus matrimonium impediunt: cum enim solo consensu coniugium contrahatur, plena debet ille securitate gaudere, cuius est animus indagandus, ne metu impulsus dicat, sibi placere quod odit.

119. Assertum. — Metus gravis iniuste incussus et directe ad extorquendum matrimonium irritat matrimonium, at probabilius iure tantum positivo humano.

Decl. Consensui nil magis contrarium quam vis et metus. Sed inter vim et vim est differentia, ut ait Alex. III. *c. de muliere 6. de spons.* Vis dicitur: « *maioris rei impetus qui repelli non potest* ». Dividitur vis in absolutam, quae liberum consensum tollit omnino, et in conditionalem, quae voluntarium dumtaxat minuit: haec, seu vis conditionalis et metus pro synonimis vel saltem connexis habentur ceu causa et effectus. Metus autem in iure definitur « *Instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio* ».

Dividitur metus 1. *ratione causae* in eum, qui infertur a causa necessaria, et in eum qui infertur a causa libera: 2. *ratione modi* in eum, qui infertur *iuste,* et in eum, qui infertur *iniuste:* 3. *ratione qualitatis* in levem et gravem, quod dupliciter fieri potest vel directe, scilicet animo extorquendi consensum a metum passo, vel indirecte et ob aliam causam, ita tamen ut metum passus, eius occasione, metu se liberaturus consensum praestet.

Et cum *iustus metus exigatur,* qui dirimat matrimonium; metus intelligitur praesentis et gravis mali, qui *cadere possit in constantem virum, c. veniens 15. et consultationis 28. eod. tit.,* metus nimirum mortis, verberum, infamiae, amittendorum bonorum, iniuriaeve aut damni alterius, per violentiam seu impetum, cui resisti nequeat, mox inferendi. Et hic appellatur gravis, qui potest incuti iuste vel iniuste, prout metum passus occasionem iustam praebuit talis mali, vel non.

Hisce positis prob. assertum *quoad 1^m. membrum* ex toto tit. *de his quae vi metusve causa fiunt:* patet quoque *ex c. 14.*

15. 28. de sponsal. et c. 2. de eo, qui duxit. Et ratio est, quia talis metus tollit consensum spontaneum, quem tamen consensum spontaneum, seu a tali metu liberum, dicta iura ad valorem matrimonii requirunt. Assertum quoad 2^m^. membrum tenet communior cum Suarez et Sanchez. Nam ius naturale ad valorem contractuum plus non requirit, quam consensum simpliciter voluntarium ac liberum, atque titulum: sed consensus metu quocumque extortus est adhuc simpliciter voluntarius ac liber, etsi non spontaneus, quia coacta voluntas est voluntas *l. 21. ff. quod metus causa.* Titulus autem est traditio iuris in corpus, quam facit metum patiens.

Dixi *incussus directe ad extorquendum matrimonium:* si enim ex alia causa metus est iniuste incussus v. g. si Sempronius iniuste detinet Titium in carcere, vel iniuste impedit a consecutione praedii; Titius vero ad evitandum carcerem, vel ad consequendum praedium, atque ad redimendam iniquam vexam se offert ad ducendam Sempronii filiam in uxorem, eamque ducit; gravis est controversia inter DD.

Ex dictis collige conditiones, ut ob metum sit irritum matrimonium, quarum 1^a^. est ut metus sit gravis, h. e. cadens in constantem virum; 2^a^. ut metus iniuste fuerit incussus; 3^a^. ut metus sit ab extrinseco illatus; 4^a^. iuxta plures, ut metus sit directe incussus ad extorquendum in matrimonium consensum.

Quaer. Quis et quando accusare possit matrimonium ex metu irritum?

Resp. 1. Is, cui per iniustam vim consensus extortus fuit. 2. Tamdiu potest accusare, quamdiu irritum manet: manet autem tale quamdiu metus perdurat et quamdiu coniux, a qua consensus per vim extortus est, ob ignorantiam sui iuris et nullitatis matrimonii, declarationem nullitatis forte per plures annos omisit postulare. 3. Modo pars non exciderit iure accusandi. Excidit autem si post cessationem metus, licet opportunitatem et libertatem reclamandi adepta sit; tamen non reclamat, sed scienter et sponte manet cum comparte, quacum libere copulam et alia maritalia officia exercet. Ab allegante probandus est metus matrimonium irritans, quia metus non praesumitur.

Quaer. Qui purgetur metus, seu qui nullitas matrimonii metu initi sanetur?

Resp. Per consensum, sublato metu, sponte positum et vel verbis vel factis expressum. Imo et per cohabitationem spontaneam et diuturnam, vel per copulam sponte habitam: inde praesumitur consensus et saltem pro foro externo matrimonium censetur revalidatum *c. 21 et 30. de sponsal.*, modo altera pars continuet suum consensum, et pars metum passa sciat, matrimonium fuisse nulliter contractum: si enim putaret valide contractum fuisse, esset in errore, consequenter non poneret novum consensum: cum nihil tam contrarium sit consensui, quam error *l. 15. ff. de iurisdict. omn. Iud.*, et nil volitum quin praecognitum.

Cum in matrimonio ineundo maxime requiratur libera voluntas, non immerito Domini temporales et magistratus, qui directe vel indirecte subditos suos aliosve cogunt ad contrahenda cum certis personis matrimonia, ipso facto excommunicantur. *Trid. Sess. 24. c. 9. de R. M.*

§ 3. DE IMPEDIMENTO RAPTUS.

Assertum. — Raptus prout est violenta foeminae abductio de loco ad locum eo animo facta, ut raptor cum ea matrimonium contrahat, donec foemina sub potestate raptoris manet, dirimit matrimonium *ex Trid. Sess. 24. c. 6. de R. M.* **ibi: « Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat ». Tum Concilium statuit graves poenas in raptorem et auxiliantes.**

120. Dixi 1. *violenta:* sive violentia sit physica, per iniectionem manuum, sive moralis per graves minas et metum, violenta abductio duo dicit 1. violentiam in actu illatam sive physicam sive moralem; 2. detentionem mulieris in loco alieno, in quem dolo, blanditiis, amatoriis artibus allecta est; 2. *abductio mulieris* quaecumque illa sit, a viro, quia Tridentinum probabilius solos foeminarum raptores respicit; 3. *abductio de loco in locum* scilicet moraliter diversum: non enim sufficit si persona abducatur violente e. g. de platea in locum obscurum, aut de

domo in domum eiusdem viciniae; 4. *eo animo* facta, *ut cum ea matrimonium contrahat;* scilicet raptus patratus esse debet ad effectum contrahendi matrimonium: non vero vindictae vel explendae libidinis causa; 5. *donec foemina sub potestate raptoris manet:* seu durat impedimentum donec rapta loco sit reddita tuto. Locus autem tutus non recensetur, qui est *publicus,* neque *liber,* in quo quidam tantum actus libere exerceri possunt.

Notandum porro est 1. Non esse extra controversiam an raptus qui dicitur *seductionis,* matrimonium dirimat. Negant Devoti, Scavini aliique graves auctores: sed contra est tribunalium Romanorum praxis, qua raptum seductionis comprehendi quoque *cit. decr. Conc. Trid. S. C. C. 24 Ian. 1608* censuit Concilium procedere etiam in muliere volente, dum modo tamen sit raptus iuxta terminos iuris civilis: sed ceu *raptus* in iure civili Romano dirimens matrimonium considerata est abductio puellae consentientis, invitis vel ignaris parentibus, aut aliis sub quorum potestate et tutela maneret. *Cf. Instr. Austr.* § *12.*

2. Magnum discrimen esse inter raptum, prout est impedimentum matrimonii, qualem descripsimus, et raptum prout est crimen, ut species luxuriae, quod a legibus gravissime punitur: nam hoc definitur « *violenta abductio foeminae honeste viventis, libidinis exercendae causa sive dein violentia inferatur ipsi foeminae, sive parentibus, aut aliis quorum potestati illa subest* ».

3. Sponsalia tamen de futuro inita inter raptorem et raptam adhuc in illius potestate constitutam probabilius possunt esse valida: nam Tridentini dispositio irritans matrimonium est correctoria iuris antiqui *c. 6. et fin. de raptor.* et simul poenalis: ergo non est extendenda ad sponsalia, de quibus Tridentinum nil dicit, praesertim cum non subsit eadem ratio: et longe maior esse debet libertas matrimonii (utpote indissolubilis, si semel sit contractum), quam sponsalium, quae variis modis solvi possunt.

4. Tandem erui ex dictis, quo sensu impedimentum hoc, qua impedimentum est, non aliqua nititur praesumptione metus e. g. incussi, sed per se ratione sui dirimit matrimonium quamdiu rapta est in potestate raptoris, etsi evidens sit ipsam liberrime consentire. Quod dictum volo ob quosdam praesertim

recentiores canonistas, qui censent hoc impedimentum dirimere praesumptione iuris et de iure non consensus, qua Tridentinum reputans puellam sub raptoris potestate constitutam non esse liberam in ordine ad matrimonium cum raptore, praesumpsit in ea vim et metum.

§ 4. DE CONDITIONIBUS APPOSITIS MATRIMONIO.

Cum apponi conditio possit, quae matrimonii bono adversatur *c. 7. de Condit. appos.*, opus est de hisce loqui.

Summarium. — Quid, quotuplex conditio.

121. Definitio. Conditio proprie dicta est *qualitas actui vel contractui vel alteri dispositioni adiecta vim seu obligationem illius suspendens in eventum futurum incertum;* unde intelligitur quod vulgo fertur: *Conditio nil ponit in esse: sed perfectionem et obligationem actus differt ac suspendit usque dum aliquid eveniat vel non eveniat.* Hinc iuristae aiunt quod ante conditionis eventum vel existentiam, nec *cedat dies* h. e. nil adhuc debeatur, et obligatio nondum sit nata, nec *veniat dies* h. e. nihil exigi possit. Solet conditio plerumque exprimi particula *si, nisi, cum, ubi, quando, postquam, dum, donec, modo,* e. g. si Pater tuus consentiat, si doctoratus gradum receperis.

Quotuplex. Quod si conditionis existentia pendeat a libera voluntate eius in cuius arbitrium ponitur, vocatur *potestativa* e. g. promitto tibi libros si studio iuris te addixeris: ei opposita dicitur *causalis.* Dixi *proprie dicta:* scilicet de futuro contingenti, quod nempe potest et non potest evenire... *Conditiones impropriae* sunt de praesenti, vel de praeterito: non enim suspendunt dispositionem vel negotium, sed si subsistit conditio statim tenet, et obligat actus; si non subsit non obligat, nec unquam obligabit. Item impropria est conditio impossibilis et necessaria, quae scilicet numquam evenire potest v. g. si per aera volabis, vel necessario eveniet e. g. si cras sol orietur: quia eiusmodi conditiones non suspendunt valorem actus et obligationem: atque ordinarie vel vitiant actum vel vitiantur ipsae h. e. pro non adiectis habentur. Ad *impos-*

sibilem etiam refertur conditio *turpis:* quod enim non licet, censemur non posse.

Rursus impropria est conditio *tacita,* quae per se ac tacite inest negotio, licet diserte non adiiciatur, vel ex *natura rei* e. g. dono tibi fructus si nascantur; vel ex *dispositione iuris* e. g. duco te si mihi non sis consanguinea, et haec vocatur *intrinseca:* si insit cuilibet actui e. g. si Deus voluerit, *generalis* audit. Unde si tales conditiones adiiciantur, dispositionem vel actum non suspendunt: quare statim *dies cedit,* licet non statim *veniat,* si expresse adiiciantur per *l. 4. ff. de Part.*

Denique impropria conditio est, quae *resolutiva* vocatur, quaeque adiicitur, non ut valorem actus suspendat, sed ut possit resolvi: e. g. contraho tecum, donec aliam te ditiorem invenero.

Actui apponi potest causa, modus, demonstratio. **Modus** est moderamen vel gravamen actui adiectum, atque efferri plerumque solet per particulam *ut, pro, ad:* e. g. lego tibi mille ut studeas iurisprudentiae. Differt a conditione, in eo quod actum non suspendat: si tamen pars altera non impleat modum, aut onus, regulariter repeti potest, quod datum est, condictione causa data, causa non secuta per *l. 1. C. de donat. quae sub modo.*

Causa est ratio vel motivum, quo quis ad paciscendum, vel contrahendum fuit permotus e. g. dono tibi 100, quia diligenter curasti mea negotia. Effertur particula *quia;* neque actum suspendit; quamvis vitiet seu invalidet actum, si causa finalis, cui alligatus est consensus, non subsistat.

Demonstratio est appositio signi, quo denotatur vel persona, cum qua, vel res, de qua pactum, vel contractus, vel dispositio fit: et effertur relativis pronominibus *qui, quae quod:* e. g. lego Titio equum, quem emi a Caio: neque actum suspendit, aut vitiat, nisi habeat rationem conditionis, cui alligatur consensus, quia per se inducit errorem solum accidentalem. Hisce positis

Summarium. — Quando conditio apposita dirimat vel non matrimonium.

122. **Assertum I.** *a*) **Matrimonium sub conditione honesta de futuro contingenti valet quidem, at non absolute ante eventum conditionis, quousque suspenditur,** *c. 3. 5. fin. de condit. appos.*; *b*) **ea tamen eveniente et impleta, sine novo consensu absolutum consequitur valorem, licet contrahentes ignorent conditionem: modo neutra pars consensum revocaverit, uti docent plures Canonistae contra comm. TT., qui in materia contractuum posthabendi sunt Canonistis.** *S. C. C. apud Fagn. in c. super eo 5. de condit. appos.* c) **Neque necesse est, ut conditio impleatur coram parocho et duobus testibus,** *S. C. C. apud Fagn. l. c.*, **quia quando apponitur conditio, non quando haec purificatur, celebrari dicitur matrimonium.**

Dixi *matrimonium*... quod a fortiori de sponsalibus intelligi debet...; de *futuro* contingenti scilicet adiecta in ipso contractu matrimonii, non primum postea... *valet,* non vero licitum est, nisi gravis adfuerit causa contractum matrimonialem accelerandi ante eventum conditionis, cui alligatur consensus, ob nempe gravissima incommoda secus obventura... tam in ratione sacramenti, quia hoc inter fideles tum primum fiet, cum contractus matrimonialis in sua ratione est absolutus et perfectus... *sine novo consensu* quia prior, ut supponitur, moraliter perseverat. Hisce positis patet assertum quoad 1^m^. ex paritate cum aliis contractibus, qui sub conditione proprie dicta, scilicet de futuro contingenti honesta et extrinseca initi valent; licet non statim perfecte et absolute, sed suspenso valore usque ad impletam conditionem, quamvis interim utraque pars non modo expectare sed et non impedire, imo etiam curare purificationem conditionis debet. Lugo *de Iust. et Iur. XXII. 383.* Quoad 2^m^. quia haec est communis natura contractuum, ut per eventum conditionis sine novo consensu perficiantur et fiant absoluti: modo consensus ex neutra parte interim fuerit revocatus. Si in eo, qui contrahit per procuratorem, non debet renovari consensus, quia sufficit, ut datus perseveret tempore celebrationis per procuratorem. *Cf. Fagnan. in c. 5. de condit. appos.* Quoad 3^m^. ex allata ratione in asserto patet. Insuper licet *non eveniat conditio*

coram... quia finis Tridentini obtinetur, modo conditionate contractum sit coram parocho et duobus testibus, ne scilicet deserto primo matrimonio contrahatur aliud: neque secundum Ecclesia permitteret donec plene constiterit de non impleta conditione aut revocatione consensus, ea pendente. Non requiritur ut purificatio conditionis sit nota contrahentibus; ergo a fortiori parocho et testibus. Deinde non requiritur sint praesentes quando procuratori datum est mandatum pro alio contrahendi. Tandem in eo, qui ficte contraxit coram parocho et testibus, non requiritur nisi consensus verus absque nova praesentia parochi.

123. Assertum II. Matrimonium sub conditione de futuro necessaria vel intrinseca regulariter statim valet ut absolutum et purum, licet talis conditio expresse addatur.

Haec enim conditio habetur ut existens, cum vel per se insit, vel iam sit determinata in sua causa.

Dixi *regulariter* ut duos casus exciperem: 1. quando contrahentes putant conditionem, quae est vere necessaria, esse contingentem: cum enim in eorum intentione sit contingens, reipsa suspendit effectum usque ad eius eventum, e. g. si cras sol orietur; 2. si ex circumstantiis colligi possit eam non apponi ut conditionem ceu potius temporis praefinitionem e. g. contraho tecum *si* h. e. *cum* pater meus morietur.

124. Assertum III. Matrimonium sub conditione impossibili sive de futuro sive de praesenti initum regulariter valet statim, pariter ut absolutum et purum, adeoque vitiatur quidem conditio, non vero matrimonium.

Comm. *ex c. fin. de cond. appos.* quia matrimonium est causa favorabilis. Ratio iuxta DD. est, quia talis conditio ob matrimonii favorem praesumitur adiecta ioco, potius quam serio animo irritandi actum: quia matrimonium non minus est favorabile, quam ultimae voluntates testantium. Gregor. IX. cit. c. ait: « propter eius favorem a quo procedit praesumptio iuris: quia cum conditiones turpes vel impossibiles aliis contractibus adiectae vitient ipsum contractum; in matrimonio eaedem vitiant

seipsas et favor praecise in hoc est, ut sicut in coeteris favorabilibus causis ita et in matrimonio ius praesumat pro valore actus, donec contrarium ostendatur. Dixi *impossibilis conditio,* sive talis sit ex natura rei, sive de facto tantum. Dixi *regulariter* quia excipitur 1. si uterque vel saltem alteruter contrahentium conditionem a se matrimonio adiectam ignoravit esse impossibilem: tunc enim matrimonium esset irritum in utroque foro: e. g. « contraho tecum si patruus tuus te haeredem constituet » et patruus iam mortuus est. 2. Si contrahentes ignoraverint constitutionem huiusmodi, quia constitutio non obligat ignorantes *c. fin. de Const. in 6.* 3. Cum ex variis adiunctis praesertim qualitate, affectu, interesse... contrahentium colligatur, quod conscii impossibilitatis serio eam adiecerint animo, ut indicarent sese nolle obligare.

125. Assertum IV. Matrimonium sub conditione *turpi* de futuro e. g. si patrem tuum occides regulariter statim valet, et ut absolutum ita ut conditio habeatur pro non adiecta, modo conditio talis non sit contraria substantiae matrimonii.

Comm. *ex cit. c.* Dixi *regulariter:* quia *a*) si constet serio adiectam esse conditionem, cessaret praesumptio iuris consensum absolutum praesumentis; *b*) si contrahentes illam habent pro honesta; *c*) si ambo vel alteruter e contrahentibus ignoraverit hanc constitutionem, quae hasce conditiones pro non adiectis habet.

Dixi de *futuro:* si enim conditio turpis foret de praeterito v. c. si furata es dotem: vel de praesenti v. c. si blasphemes, non valeret matrimonium si conditio non subesset, vel non foret purificata. Ratio est, quia *cit. c. fin. de cond. appos.* utpote exorbitans a Iure communi non est extendendum ad conditiones improprias; praesertim cum in utrisque non reperiatur eadem ratio: nam istae non invitant ad delinquendum, bene vero conditiones turpes de futuro. Dictum *c. fin.* cum solum loquatur de matrimonio, tamquam exorbitans a iure communi extendi ad sponsalia non debet per *c. 15. 28. de Reg. Iur. in 6,* praesertim cum eadem ratio, scilicet tantus favor sponsalium, quantus est matrimonii, non sit. Unde sponsalia sub condi-

tione impossibili, quia haec purificari numquam potest, statim ab initio invalida sunt: inita vero sub conditione turpi valent, et licet non obligent ad expectandum eventum conditionis, cum ad illicitum obligatio dari nequeat, tamen post eventum conditionis sine novo consensu obligant.

126. Assertum V. Matrimonium sub conditione turpi substantiae matrimonii contraria initum, non valet *cit. c. f.* **cui concordat ius naturale.**

Quia nulla res sine sua substantia subsistere potest. Tales conditiones *d. c.* recensentur, quae ex natura sua repugnant tribus bonis matrimonii scilicet 1. *bono prolis,* contraho tecum *si generationem prolis evites* positive scilicet per poculum sterilitatis, imperfectum coitum... si prolem natam occides... 2. *bono sacramenti* aut indissolubilitatis e. g. contraho tecum donec inveniam aliam te ditiorem: 3. vel *bono fidei coniugalis* e. g. contraho tecum si pro quaestu adulterandam te tradas.

Hinc DD. aiunt cum c. cit. conditiones contra substantiam matrimonii vitiare matrimonium, non vitiare seipsas. Et re quidem vera, *quaeritur:* ab utroque ne an ab uno tantum adiecta fuit talis conditio. Si *ab uno* tantum altero contradicente, matrimonium valebit perinde ac si apposita non fuisset: quia si ille, qui conditionem apponebat, non obstante alterius contradictione (imo suffecisset silentium, ait Schmalz. in *h. t. 116*) ad contractum matrimonialem processit, in favorem matrimonii ab eadem conditione recessisse censetur. Si ab utroque tunc casus est Greg. IX. *l. c.* declarantis ius naturae, quo invalidum est matrimonium. Porro in iis, quae sunt contra substantiam, notandum est 1. aliud est contrahere cum intentione negandi debitum, vitandi prolem vel etiam non educandi, moechandi: aliud est si illa intentio deducatur in pactum. In hoc 2°. casu certe matrimonium tam illicite quam invalide contrahitur: at 1^{us}. casus dupliciter potest intelligi: scilicet *a*) quod contrahens habet animum contrahendi verum matrimonium et suscipiendi huius proprias obligationes, etsi simul intendat has vel illas haud implere (modo res non sit de perpetuitate): *b*) quod animo ita sit comparatus, ut absolute nolit contrahere quam-

piam ex illis obligationibus, quae substantiam matrimonii respiciunt. Porro si primo sensu accipiatur validum est matrimonium pro utroque foro: si autem secundo sensu, tunc etsi in pactum seu conditionem non deducatur, tamen quoad conscientiae forum invalidat contractum, quia contractus matrimonialis ex sua essentia consensum in eas obligationes exigit.

Card. de Lugo *de sacram. disp. 8. sect. 8. n. 127–132.* proposito casu de iis, qui erronee existimantes quibusdam in casibus licere uxoris repudium connubia ineunt, cum incertum sit, quo demum animo circa vinculi indissolubilitatem contrahant, pro variis hypothesibus circa eorum intentionem varias statuit regulas communiter cum DD. quarum 1ª. Quando hi contrahunt cum pacto expresso ut possint uti repudio in casibus sibi permissis matrimonium est nullum, nec cogendum ad illud servandum. 2ª. Si quis contrahat cum eo animo interno, ut liceat sibi uti repudio, licet non deducat in pactum externum, etiam nullum est matrimonium: quia non vult nisi dissolubiliter contrahere. 3ª. Si coniuges sciant in republica sua licere repudium, nec tamen tempore contractus addiderint limitationem se non aliter obligandi, quam sub eo ritu repudii, tunc si ea scientia, quam habebant se habuit antecedenter h. e. ideo contraxerunt, quia sciebant licere repudium, secus non contraxissent, iam videntur se implicite noluisse obligare ad perpetuitatem: ergo nullum est matrimonium. 4ª. Si vero contrahentes ignorabant omnino an vinculum foret perpetuum, vel si credebant etiam esse dissolubile, sed non limitarunt suam intentionem tempore contractus ad eam existimationem, atque veram habuerunt voluntatem generalem contrahendi matrimonium validum ita, ut illa ignorantia seu existimatio se habeat concomitanter, cum etiam sine illa aeque contraherent, tunc matrimonium videtur validum. *Cf. Bened. XIV. de Synod. l. 13. c. 22. n. 7. Pii VI. epist. 11 Iulii 1789, ad Archiep. Pragensem.*

127. Assertum VI. Matrimonium *sub modo* **initum statim valet ut absolutum, si modus sit honestus et possibilis, imo etsi impossiblis sit vel turpis e. g.** *ut montem aureum in dotem afferas, ut patrem tuum occidas: c. 4. de condit. appos.*: **non vitiatur matrimonium, licet vitietur modus, seu pro non adiecto habeatur.**

Dixi *turpis simpliciter*. Si vero adiiciatur modus turpis substantiae matrimonii repugnans, ut generationem prolis positive impedias, tunc vitiatur ipsum matrimonium, seu redditur nullum. Ratio est quia contrahentes sub tali modo per unum indivisibilem contractum se simul obligare intendunt ad matrimonium et ad matrimonii eversivum: quod implicat ut serio fiat, sed conf. Schmalz. *in tit. de condit. appos. n. 144.*

128. Assertum VII. Matrimonium *sub causa* **honesta vel turpi, possibili, vel impossibili, vera vel falsa initum, (modo non sit causa finalis, eaque falsa, vel causa non adiiciatur per modum conditionis) statim valet: uti et initum sub demonstratione honesta vel turpi, possibili vel impossibili, vera vel falsa, modo ei non alligetur consensus, si falsa sit.**

Arguitur a paritate cum ultimis voluntatibus, quae per adiectionem causae vel demonstrationis nec suspenduntur, nec vitiantur. Nec matrimonium est minus favorabile, quam ultimae voluntates. Insuper causa et demonstratio ordinarie non spectant ad substantiam, sed ad qualitatem tantum accidentalem contractus. Quae porro intelligi debent *per se* et *regulariter*, quia per accidens vitiari potest matrimonium, vel eius valor suspendi; *a*) si modus, causa, demonstratio induat naturam conditionis ita, ut contrahens nolit valere contractum ni existat modus, causa... *b*) si causa vel demonstratio involvat errorem substantialem personae vel status.

129. Ceterum ad liceitatem quod attinet, prohibetur sub gravi, ne matrimonium sub conditione ineatur, et differendae sunt nuptiae, donec conditio impleatur. Quod siqua urgeat necessitas huiusmodi conditiones apponendi, petenda prius est Episcopi licentia, ni periculum sit in mora e. g. quoad mori-

bundum ad legitimandam prolem. Insuper conditio vel in ipsa copulatione coram parocho et duobus testibus exprimi, vel saltem si paulo ante apposita sit, parocho et testibus communicari debet ita, ut hi, consensum sub conditione praestitum esse, probe intelligant.

Pendente conditione contrahentes de iure tenentur, ut adiectae conditionis purificationem expectent. Quod si quis resiliat et cum alia ineat matrimonium ante impletionem dictae conditionis, hoc 2^m. matrimonium valet. Si non resiliat, sed consummat matrimonium cum illa, quacum sub conditione contraxit, censetur renuntiasse conditioni.

II. DE IMPEDIMENTO EX DEFECTU FORMAE

SEU § 5. DE IMPEDIMENTO CLANDESTINITATIS.

Summarium. — Quid sit haec forma, et quaenam eius vis. Quis parochus et testes quinam et quam assistentiam praestare debeant.

130. Ex defectu formae canonicae oritur impedimentum dirimens clandestinitatis, in eo consistens, quod matrimonium absque parochi ac testium praesentia contrahatur. Clandestina coniugia fuerunt semper *illicita* seu ab Ecclesia graviter prohibita *c. nullus Cau. 30. q. 5.* Ast S. Trid. Synod. advertens prohibitiones illas propter hominum inobedientiam non prodesse, et gravia peccata perpendens, quae ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent, eadem clandestina matrimonia nulla et irrita deinceps futura decrevit, fecit, et declaravit sic « *Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat* ».

Ex his patet non solum requiri consensum utriusque contrahentis partis verbis de praesenti declaratum; sed etiam parochum proprium duosque saltem testes, coram quibus declaratus sit consensus: et quidem irritum sit matrimonium sine hac forma substantiali contractum in locis, ubi hoc Tri-

dentini decretum *Tametsi* fuerit promulgatum. Addit enim in fine dicti decreti « Decernit insuper ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post 30 dies habere incipiat a die primae publicationis in eadem parochia factae, numerandos ».

131. Nulla igitur et irrita sunt matrimonia sine hac forma substantiali celebrata, dupliciter *a*) *directe*, quum irritus et nullus decernatur ipse contractus; *b*) *indirecte*, quum inhabiles reddantur personae ad clandestina ineunda coniugia. Unde sequitur invalide matrimonium inire et eos, qui invincibiliter ignorant hanc Trid. legem, et celebrant sine tali forma. Lex namque irritans actum, effectum sortitur independenter ab agente sive hic legem noverit sive ignoraverit, ita tamen, ut ignorantes non afficiat quoad graves poenas, quas Conc. Trid. clandestine contrahentibus infligendas praecipit arbitrio Ordinarii.

Exinde regulam efformare liceat « matrimonia clandestina sunt prorsus invalida in omnibus locis, in quibus Concilii decretum rite promulgatum fuit, idque etiamsi in mortis articulo, vel quaecumque fuerint, urgente necessitate, contracta. Valida contra sunt in locis, in quibus decreti promulgatio defuerit sive culpanda sive non culpanda omissione ».

Ut autem servetur haec forma 1. matrimonio debet assistere non quivis **parochus** sed **proprius** contrahentium; 2. debet esse parochus animarum curam actu exercens, si agatur de iis parochis, in quibus cura animarum habitualiter residet penes Capitulum, exercetur autem per plures sacerdotes; 3. si sponsi diversarum sint parochiarum, sufficit praesentia parochi alterutrius, non modo si is assistit in propria parochia, quod omnes concedunt, sed etiam si assistat extra propriam parochiam, quod pene omnes DD. communiter docent; 4. debet esse parochus domicilii vel quasi domicilii, non originis tantum seu nativitatis; parochus autem domicilii est is, in cuius parochia contrahentes acquisiverunt domicilium. Parochus quasi domicilii est is, in cuius parochia contrahentes habent quasi domicilium, quod acquisiverunt etiam post mensem habitationis; si eo venerint per notabilem anni partem moraturi, etsi nolint perpetuo manere, neque per annum: e. g. qui stu-

diorum, famulatus, negotiationis vel professionis causa alicubi versantur, modo non venerint paucos dies moraturi ob rusticationes, nundinas etc.; 5. qui habitat in duabus parochiis una parte anni in una, alia in altera (dummodo tempore moraliter aequali in utraque habitet, subdit Lugo), si domo instructus fuerit in unaquaque, eius matrimonio poterit assistere parochus unius vel alterius parochiae; 6. eorum porro, qui neque verum, neque quasi domicilium habent, qui vagi dicuntur, parochus proprius is est, in cuius parochia actu vagantur. Porro sive una sive utraque pars vaga sit, magna cautio parochis a Conc. Trid. iniungitur, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. *Sanchez, de Matr. l. 3. disp. 25. n. 14.*

132. Qualis porro debet esse **ista parochi praesentia**?

Resp. Docent omnes DD. debere esse praesentiam meri testis licet authorizabilis, qui scilicet mutui consensus praestationem de iure attestari valeat: et matrimonio assistere non est actus iurisdictionis. Unde matrimonium valet 1. si parochus assistat metu et vi coactus « *scire* enim, *non velle* debet testis » ait Lucius Ferraris: 2. si fraudulenter vel alio, quam matrimonii obtentu accersitus fuerit: modo ante consensus declarationem *a*) moneatur, qua de re agatur; *b*) et ipse nupturientes non modo audiat, sed etiam *videat*: secus de hoc actu certam fidem facere nequeat: 3. si parochus sit irregularis, suspensus, excommunicatus modo non sit actualiter depositus: 4. si parochus sit *putativus* tantum, dummodo adsit error communis et titulus coloratus. Unde non valet, si assistat *intrusus*: 5. si parochus non sit sacerdos: 6. si contra Episcopi interdictum assistat.

Testes porro praeter parochum qualescumque sufficiunt ad validitatem sive mares sint, sive foeminae, modo usum rationis habeant et eodem ambo tempore simul cum parocho, corporali et morali praesentia assistant, atque ut contestes de contracto matrimonio testari valeant. Unde horum omnium testium praesentia debet esse non modo materialis, sed et *formalis*.

Caeterum ut parochianorum matrimonio valide assistat

parochus, sic matrimonio dioecesanorum valide assistit Episcopus, Vicarius generalis, aut Capitularis, vel quivis sacerdos de eorum licentia; matrimonio demum omnium fidelium Rom. Pontifex vel quivis ab eo delegatus.

Nam *c. Tametsi* expresse tradit parochum ac Ordinarium proprium posse alii sacerdoti licentiam dare adsistendi matrimonio, qui actus dandi licentiam est actus potestatis substituendi sibi, quam testis auctoritativus habet a Concilio: unde haec licentia aequiparatur mandato ad nudum assistendi ministerium. Hinc sequitur *a*) quod quoties parochus, aut ordinarius non potest ipse matrimonio assistere, potest delegare et alium sacerdotem, etsi parochus, aut ordinarius sit excommunicatus, modo in officio perseveret..; *b*) si parochus aut ordinarius non habeat potestatem assistendi, neque alteri eam communicare potest; *c*) hic autem delegatus debet esse sacerdos et talis, qui expresse vel tacite acceptaverit; *d*) subdelegare autem delegatus 1) *non potest* si delegatus sit ad *adsistendum matrimonio huic;* ni fuerit delegatus a R. Pontifice et sine personae intuitu: 2) *potest,* si delegatus sit ad adsistendum *matrimoniis in genere:* licet totam adsistendi facultatem subdelegare nequeat.

Porro haec ab Ordinario licentia adsistendi matrimonio committi potest verbo, scripto, vel alio signo externo, sive per se, sive per intermediam personam, nec solum specialiter, sed etiam generaliter seu data sit alicui cura muneris parochialis, seu commissa sit administratio sacramentorum. Valet etiam licentia tacita; non valet licentia futura, qua praesumatur parochum ratam habiturum talem praesentiam.

133. Ad exigendam hanc formam substantialem Tridentini supponitur in regione, ubi celebratur matrimonium, **publicatum** fuisse (et **vigere**) **caput Tametsi** in paroecia, lingua vernacula, ut decretum Concilii Tridentini. Praesumitur autem facta promulgatio quando ipsum decretum in quapiam parochia ceu decretum Tridentini constat aliquo tempore iam fuisse servatum.

Loca autem, in quibus aut certe promulgatum, aut certe non promulgatum, aut dubie promulgatum de facto censetur, confer sis penes *Perrone de matr. l. 2. sect. 1. c. 4. n. 4; Mansella*

de Imped. matr. I. IV. IV; et magis complete apud *Gasparri Alleg. VI. de matr.*

Ex dictis sequitur: 1. Si e loco, ubi caput *Tametsi* non vigeat, veniant sponsi in locum, ubi usu receptum est, validum dici nequit matrimonium, si absque forma Tridentina contrahatur.

2. Si incola loci, ubi Tridentinum decretum receptum est, se confert ad locum, ubi receptum non est, ibique contrahat *cum incola illius loci* sine forma Tridentina, valet matrimonium.

3. Si tam vir quam mulier sint incolae loci, ubi Tridentinum receptum est, et eum in locum transeunt, ubi non est receptum neque viget Tridentinum, modo se transferant animo ibi figendi domicilium vel quasi domicilium, valet matrimonium sine forma Tridentina celebratum.

4. Si iidem incolae in praedictum locum, ubi non viget Tridentinum se conferant sine intentione domicilii, vel quasi domicilii, non tamen cum fraude, i. e. cum intentione contrahendi clandestine, valide ibi contrahunt absque forma Tridentina: ita Sanchez, Reiff., Engel, Leurenius, Barbosa.. aliique comm.

5. Quod si iidem incolae ad locum a Tridentino exemptum se conferant in fraudem legis, si contrahant absque forma Tridentina invalide contrahunt.

134. Regulae ad dignoscendum quinam teneantur, vel non, decreto Tridentini, praecipuae sunt:

1. Si unus contrahentium ratione loci in quo habitat, vel societatis in qua vivit, eximatur ab hoc decreto, eius exemptio communicatur et alteri parti. *Bened. XIV. de Syn. VI. 6. 12.*

2. Si in parochia decretum promulgatum fuit nec postea revocatum, omnes obligantur sive incolae, sive alienigenae, sive peregrini et vagi, quia *locus regit actus.*

3. Non obligatur autem etsi fuerit publicatum decretum, si physica aut moralis oriatur impossibilitas sive quoad parochi, sive quoad testium praesentiam ita, ut si impossibilitas sit parochi, non testium habere praesentiam, coram his saltem sit ineundum sub poena invaliditatis. *Bened. XIV. de Synod. l. 12. c. 5. n. 5.* Sedulo distinguunt DD. hanc impossi-

bilitatem seu difficultatem *communem,* quae pro omnibus vel fere omnibus, et *particularem,* quae pro uno et non pro aliis verificatur. Si est communis aut particularis, urgente necessitate e. g. morte, cum moribundus matrimonio est coniungendus et parochus longe absit: conveniunt DD. non urgere formam Tridentinam: pro aliis casibus *particularis* difficultatis seu impossibilitatis sunt nonnulli apud Sanchez autumantes probabile tunc valere matrimonium absque parochi praesentia: queis adhaeret Ballerini ad Gury II. n. 840. dicens in casu perplexo valde probabile est ex benigna interpretatione voluntatis Ecclesiae cessare impedimentum: nempe necessitatem particularem reddere habilem, qui lege erat inhabilis; proinde a pari etiam in particulari impossibilitate valde probabile est impedimentum clandestinitatis cessare; in quo dubio iuris impedimentum certe non urget.

4. Ad Haereticos quod spectat, ii per se hoc decreto tenentur, ubi est promulgatum *S. C. C. 8. Ian. 1663. et 7. Sept. 1772. 8 Ian. 1678.* Dixi *per se:* quia non tenentur ibi, ubi non solum non fuit promulgatum, sed ubi publicatum fuit *solum* pro Catholicis: aut ubi fuit publicatum, cum omnes vel fere omnes erant Catholici et dein nova haereticorum societas introducta est, quae ea publicatione non afficitur. Dixi *ubi decretum est promulgatum,* quod praecise scitu difficillimum est, ita ut dicatur potius in genere matrimonia haereticorum inter se, vel mixta, absque Tridentini forma valida sunt in illis locis, pro quibus S. Sedes ea valida declaravit.

Et *Declaratio* quidem celebris edita fuit a *Bened. XIV. Const.* quae incipit *Matrimonia* pro foederatis statibus Belgii et Hollandiae *4. Nov. 1741. Cf. Bened. XIV. de Synod. l. 6. c. 6. n. 7–10.*

Declaratis autem validis matrimoniis inter utramque partem haereticam initis, etiam mixta coniugia valida declarata fuerunt ob individuitatem actus.

Porro non dispensatio, sed declaratio simplex fuit Bened. XIV ut patet *a*) ex ipso nomine: *b*) ex Pii VII. literis apostol. *Etsi Fraternitatis, ad Archiepiscopum Moguntinum 8. Oct. 1803;* *c*) ex Bened. XIV. epist. *Singulari nobis 9. Febr. 1747.* § *17.*

135. Ex quibus licet concludere matrimonia sive haereticorum inter se, sive mixta, non coram parocho et testibus celebrata valida esse *a*) ubi decretum Trid. aut non fuit publicatum, aut numquam servatum ceu Concilii decretum, aut si publicatum, longo intervallo in desuetudinem abiit: *b*) in locis comprehensis a Bened. declaratione i. e. in Hollandia et Belgio; ac in aliis locis, ad quae S. Sedes eam extendit: *c*) in locis, pro quibus Apost. Sedes derogavit praedicto Tridentino decreto. Dixi ac *in aliis locis*, ad quae S. Sedes extendit Benedictinam Declarationem quae cf. penes Mansella; et praecipue sunt Bavaria, Hibernia, Hungaria, Universum regnum Russiacum et Poloniae eidem subiectae, Provinciae Rhenanae sub ditione Borussica-Georgia. Cf. Baller. opus theol. mor. *v. 6. n. 1195–1197.*

III. DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS EX DEFECTU IDONEITATIS ABSOLUTAE EX PARTE CORPORIS.

Succedunt impedimenta quae habentur ex defectu idoneitatis, quae ut innuimus duplex est absoluta et relativa. Defectus idoneitatis est ex parte corporis et ex parte animi.

Defectus idoneitatis absolutae ex parte corporis est duplex, alter impubertas, alter impotentia coeundi; de quibus statim.

§ 6. DE IMPEDIMENTO AETATIS.

Summarium. Ad complementum doctrinae inquirunt DD. *in t. de desponsatione impub.* non solum quaenam aetas requiratur ad matrimonium, sed et quae requiratur ad sponsalia. Prius de aetate ad sponsalia, tum de aetate ad matrimonium requisita, defectu cuius habetur impedimentum; tandem de cessatione et dispensatione impedimenti aetatis, dicendum erit.

136. **Aetas ad sponsalia.** Dico sponsalia de futuro *a*) ante septimum aetatis annum, *b*) et quidem completum non valent. Constat 1. clare ex *can. un. Ca. 30. q. 2.; c. 4. 5. de desp. impub.; c. un. eod. in 6.* Constat 2. ex iisdem *citt. c. 4. 5. et un.* quae adhibent, *complesset* et *compleverat.*

Attamen valent sponsalia a minore septennio inita si malitia seu potius prudentia suppleat aetatem h. e. si usus rationis acceleratur ante septennium *S. Th. in 4. dist. 27. q. 2. a. 2:* quia ius praescribit septennium ex sola praesumptione facti, quod usus rationis citius non adsit: ergo si usus rationis acceleretur, praesumptio ista cedit veritati.

Sponsalia porro impuberum ex beneficio iuris firma non sunt, quia imbecillis est consensus eorum. *a*) Si uterque impubes contraxit sponsalia, haec dissolvi non possunt ante pubertatem: sed, nisi uterque simul, vel alteruter citius pubertatem adeptus, resiliat, solvuntur; si non resiliat statim censetur saltem tacite ea rata habuisse. *b*) Si pubes cum impubere sponsalia contraxit, ille resilire nequit, sed expectare debet alterius pubertatem, qui si non resiliat, efficaciter puberem obligabit ad ineundum matrimonium: probabile est, quod dissensus in impubertate factus, si continuetur in pubertate, sufficiat ad solvenda sponsalia. *c*) Sponsalia iurata ab impuberibus pubertati proximis inita non possunt a puberibus, alterutrius consensu contrario dissolvi *c. 10. de sponsal.*

Sponsalia quae *parentes* pro filiis puberibus vel impuberibus contrahunt, ipsi filii si expresse vel tacite consenserint, e. g. si praesentes fuerint et non contradixerint, obligantur. Idem dicendum si expresse vel tacite ratificaverint, postquam resciverint sponsalia pro ipsis absentibus vel ignorantibus inita a parentibus. Quod de tutoribus asseri nequit.

137. Aetas ad matrimonium, inspecto iure naturae, nulla determinata requiritur, sed ea necessaria est et sufficiens, in qua perfectus adest rationis usus, aut obligare se possit contrahens ad copulam, media potentia tractu temporis, habendam.

At inter fideles illicitum prorsus et irritum est matrimonium ante pubertatem i. e. ante completum 14^{m}. pro mare, ante completum 12^{m}. annum pro foemina, initum, quia natura per pubertatem demonstrans evolutionem virium physicarum et corporis perfectionem, demonstrat etiam facultatum moralium evolutionem. *C. ubi non est 2, c. puberes 3, c. continebatur 6, c. attestationes 10. de desp. impub.* Haec igitur praescribitur aetas, quia hac aetate puberes, ut plurimum ad eam ma-

turitatem spiritualem et corporalem perveniunt, qua talem contractum inire, et actuali ad generandum potentia uti valeant.

Ex his patet *a*) fundamentum impedimenti aetatis esse duplicem defectum, discretionis scilicet iudicii ad consensum coniugalem, et potentiae actualis proximae ad generandum; qui defectus a iure praesumitur in pueris ante 14^{m}, in puellis ante 12^{m} aetatis annum. *b*) Quod impedimentum est iuris naturalis ante debitam in utraque parte mentis discretionem ad ineundum matrimonium; est iuris ecclesiastici si impubes de facto careat actuali potentia ad generandum, et adest tamen mentis discretio sufficiens: *c*) utramque conditionem i. e. sufficientem discretionem intellectus et potentiam proximam ad generandum copulative iure ecclesiastico requisitam praesumi in anno 14°. completo pro pueris, in 12°. completo pro puellis.

138. A qua regula generali *c. 10 de Desp. impub.* excipitur expresse in iure nisi pubertas sit proxima et malitia suppleat aetatem *c. 9. eod. Cf. Bened. XIV. Const. Magnae nobis;* vel nisi prudentia suppleat aetatem c. *ult. eod.* in quibus textibus patet malitiam seu prudentiam, quae supplet aetatem esse actualem potentiam generandi, una cum iudicii maturitate necessaria iure naturali. Hinc si vel in alterutra deest haec iudicii maturitas, quamvis adsit actualis potentia generandi in utraque, matrimonium est nullum iure naturae; si deest vel in alterutra parte actualis potentia est nullum iure ecclesiastico, cum nondum ad pubertatem pervenerit.

139. Qui cesset impedimentum aetatis? *an per dispensationem?*

Resp. Ab hac lege communi impedimenti, quâ est defectus actualis potentiae ad generandum unus Romanus Pontifex per se dispensare potest. Non cessat autem impedimentum aetatis *solo temporis legitimi lapsu,* manente defectu discretionis iudicii; cessat qua est impedimentum iuris ecclesiastici etiam sine speciali declaratione superioris, cum ad pubertatem pervenerint, neque dubium sit de sufficienti discretione iudicii. Solo temporis lapsu a momento libertatis adeptae, ni secus approbetur, non convalescit matrimonium invalide contractum ob

impedimentum aetatis. Iterum ergo contrahendum et quidem coram parocho et duobus testibus, ubi viget c. *Tametsi:* agitur enim de publico impedimento.

§ 7. DE IMPEDIMENTO IMPOTENTIAE COEUNDI.

Summarium. — Alter defectus idoneitatis ex parte corporis est impotentia coeundi: cuius inquiritur 1. notio et divisio: 2. quaenam impotentia matrimonium dirimat: 3. quaenam causae impotentiae, easque removendi obligatio: 4. quid agendum si iam contracto matrimonio occurrat certitudo, vel dubium de impotentia.

140. I. **Definitio.** Impotentia stricte definitur *inhabilitas ad habendam copulam carnalem perfectam, quae per effusionem virilis seminis in vas muliebre de se capax est ad concipiendum.* Dixi *per se,* etsi de facto generatio non sequatur, puta ob alterutrius sterilitatem, quae dicitur *impotentia generandi.*

Unde duplex distinguenda impotentia, altera coeundi, altera generandi. Impotentia coeundi est vitium naturale vel accidentale impediens maris ac foeminae carnalem commixtionem, quae eo redit essentialiter, ut semen virile vas seu vaginam foeminae subintret, quatenus virilis virga vaginam ingreditur. Impotentia generandi est vitium naturale, vel accidentale impediens quominus ex maris et foeminae copula carnali perfecta sequatur generatio prolis, ut contingit in senibus aut sterilibus.

Dividitur impotentia coeundi:

1°. In *perpetuam,* quae tolli nequit citra miraculum, aut peccatum, aut periculum vitae, et in *temporalem,* quae opportunis remediis tolli potest, quae scilicet sine periculo mortis aut gravi damno salutis per media naturalia ac licita, vel progressu annorum tolli potest. *C. Fraternitatis 6. de Frigid.*

2°. In *absolutam,* quae est respectu omnium h. e. quae carnale commercium cum omnibus alterius sexus personis impedit, et *relativam,* per quam quis est impotens cum *certis personis,* sed potens est respectu aliarum.

3°. In *antecedentem,* quae scilicet praecedit matrimonium et

in *consequentem,* quae nimirum matrimonio iam contracto supervenit.

4°. In *naturalem,* cuius nempe ratio habetur in ipsa natura seu originali constitutione corporis, adeoque huic congenita, et in *accidentalem,* quae naturae supervenit ex causa accidentali vel intrinseca e. g. ex morum intemperantia, vel excessu caloris.

5°. Impotentia tum absoluta, tum relativa alia dicitur *publici iuris* alia *privati iuris. Publici* iuris est quando est vitium notorium e. g. in eunuchis, aut publico actu de ipso constat. In hoc casu iudex ecclesiasticus et parochus *ex officio* procedere tenetur. *Privati* iuris est, ubi solis coniugibus innotescit; et tunc iudex ecclesiasticus non procedit, nisi ad instantiam partium, quibus integrum est litem movere.

141. II. **Quae impotentia matrimonium** *dirimat.*

Resp. 1. Impotentia mere superveniens non dirimit sive consummatum sit, sive non.

Resp. 2. Neque dirimit impotentia temporanea etiam antecedens, sive relativa sit, sive absoluta, quia haec non est impotentia ad copulam simpliciter, sed ad copulam certo tempore.

Resp. 3. Impotentia antecedens perpetua sive absoluta *c. 1. de Frig.* sive relativa *c. 6. in fin. de Frig.* dirimit matrimonium, quia potestas copulae habendae est de essentia huius contractus *c. 3. 7. de Frigid., S. Thom. in 4. dist. 34. a. un.:* nec refert utrum innotuerit contrahentibus impotentia. Dixi sive *relativa,* qua probata, utrique parti ad alias nuptias per se convolare licet: tamen hodie parti impotenti non permittitur, nisi venia a S. C. C. obtenta. Unde collige confessarium non posse permittere, ut quis cum *dubia impotentia* matrimonium contrahat, quia contrahenti certo constare debet, actus fore certo coniugales: non fornicarios. Impotentiae igitur dirimentis matrimonium duplex qualitas est 1. *perpetua et incurabilis* humana opera, vel sine vitae discrimine *c. 6. de Frig. et mal.;* 2. *antecedens matrimonium, can. 25. Cau. 32. q. 7.*

142. III. **Causae impotentiae** *a) generatim* vel ab intrinseco et naturae vitio sunt, vel ab extrinseco opera hominis aut diaboli. In viro adesse censetur impotentia cum sit eunuchus, qui verum semen non emittit, aut intra vas natu-

rale foeminae seminare nequeat: in foemina quando aut propter arctitudinem non potest virum pati, aut careat utero.... *b*) Causas *in specie* ad quatuor revocat S. Alphon. quae provenit scilicet: 1. ex maleficio; 2. ex frigiditate; 3. ex improportione; 4. ex mixtione sexus. *Prima* causa scilicet maleficium sine temeritate negari nequit, quum Concilia, Ritualia, Canonistae et RR. Pontifices id admittant. *Secunda* est frigiditas, ex qua oritur cum provenit ex temperamento ipsius maris nimis frigido ita, ut seminare omnino non possit ob defectum spirituum ad copulam et seminationem excitantium; qui defectus provenire potest ex causis quoque extrinsecis: ut sunt medicamentum, cibi, exercitiorum usus, morbus... Huc revocat S. Alphon. *a*) abominationem viri erga mulierem, cum ob huius deformitatem nullatenus ad copulam excitari possit, ad quam excitaretur cum non deformi; *b*) casum, quo vir ob nimiam caliditatem nimis propere effundat semen, extra, prius quam vas possit penetrare. *Tertia* causa est improportio genitalium saltem huius viri ad hanc mulierem, vel huius mulieris ad hunc virum; quo revocatur arctitudo seu arctatio propria foeminae ita, ut vas foemineum vel propter duritiem membranae, qua os eius clauditur, vel propter cohaesionem parietum nequeat intra se recipere semen, seu vir nequeat illud penetrare. *Quarta* causa est mixtio sexus ita ut aliquis coniugum sit ermaphroditus.

Quaer. **An adsit obligatio removendi causas impotentiae?**

Resp. S. Alphonsus quaerenti: « *An mulier inepta ad copulam ob arctitudinem teneatur pati incisionem cum periculo gravis morbi, ut apta reddatur* » respondet: tres adsunt sententiae: 1. obligat mulierem modo absit periculum mortis: 2. negat foeminam unquam teneri ad incisionem: 3. communissima obligat foeminam modo absit periculum mortis et *gravis morbi*. Quae ultima non displicet S. Alphonso, modo addatur quod in praxi « si incisio non possit fieri nisi per manum chirurgi, non tenetur mulier hanc incisionem pati cum tanta verecundia, quod esset onus gravissimum ». Ex his responsum ad totam quaestionem, quae obligatio sit removendi tales causas.

Si nonnisi cum gravi periculo vitae aut damno salutis corporalis tolli potest, impotentia est perpetua idcirco matrimonium est nullum; etsi mulier consentiat in operationem, instauratur matrimonium et renovatur consensus...

Quî autem maleficium et aliae causae auferri possint cf. TT. et Zacchiam Medicina legal.

143. IV. **Quid agendum si iam contracto matrimonio occurrat certitudo vel dubium impotentiae?**

Resp. 1. Si certa est impotentia et petunt, statim facienda est separatio quoad torum, quia matrimonium est nullum. At cum separatio omnimoda fieri nequeat sine periculo scandali, adeundus est iudex ecclesiasticus, qui sententiam publice de matrimonii nullitate proferat *arg. c. 3. de divortiis.*

Resp. 2. Si certa est impotentia, sed dubitatur antecedens ne sit vel consequens, dissentiunt TTh. et Can. atque in quatuor abeunt sententias: quarum 1ª. est Layman, Pirhing, qui praesumendum volunt, quod impotentia praecesserit, quia res praesumitur nunc esse, qualis antea fuerat, ni probetur mutatio; 2ª. contendit quod fuerit subsecuta, quia quisque praesumitur potens quousque contrarium probetur; 3ª. distinguit inter naturalem et accidentalem ita, ut *naturalis* praecessisse praesumatur utpote qualitas, quae a natura inest, semper inesse praesumitur; 4ª. est Schmalz. Wiestner.., qui reiicientes distinctionem inter naturalem et accidentalem (naturale enim vitium supervenire quoque potest matrimonio contracto) considerant an eiusmodi dubium statim ortum sit, vix a contracto matrimonio, post illius consummationis attentationem, an vero post intervallum temporis notabilis e. g. duorum vel plurium annorum. Si 1ᵐ. impotentia praesumitur praecessisse, quia a potentia, quam homo a natura habet, non praesumitur ad impotentiam tam brevi tempore transiisse. Si 2ᵐ. praesumi debet supervenisse, eo quod quilibet praesumitur cum iis qualitatibus, quae sunt a natura, ni contrarium probetur.

Re diligenter investigata si reperiatur certo superveniens, matrimonium validum est, et tale manet etsi illa usum ita impediat, ut soli contactus et oscula liceant citra periculum pollutionis, idque cum impotentia est certa; quia, si incerta est, tamdiu licet conari ad copulam quamdiu probabilis spes

sit ad vaginae os semen adfundere. *Cf. Pichler de Frigid. et Malef. n. 6.*

Resp. 3. Si dubitatur an temporalis sit impotentia vel perpetua, distinguatur si dubium praecedat nuptias: qui de sua potentia dubitat, nequit inire nuptias donec, re diligenter investigata, dubium deponat ob gravem iniuriam, quam alias tum Sacramento, tum parti potenti irrogaret.

Resp. 4. Si dubium nuptias subsequitur de impotentia alterutrius, tum ad iudicem ecclesiasticum re delata, hic procedet ad normam Bened. XIV. Const. *Dei miseratione* et S. C. C. Instruct. 22 Aug. 1840. Et, ut heic innuam dumtaxat, praxis moderna Curiae Romanae paucis huc revocatur.

1. Si per probationes omni exceptione maiores, plene constet de impotentia antecedente et perpetua ex signis sive physice sive moraliter certis: statim declaranda nullitas matrimonii ad *signa physice certa.* Ad signa vero moraliter certa nonnisi accedente iuramento coniugum se non posse coire, cum septima propinquorum manu, ac etiam adstipulante concordi peritorum iudicio, statim declarari potest matrimonii nullitas.

2. Si vero *non plene* constat de dicta impotentia, tunc hodie vix unquam locus est experimento triennali; sed potius in casu, quo matrimonium non est consummatum, consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati. Cf. cetera infra *lib. 3. de iudic. ubi de causis matrim.*

IV. IMPEDIMENTA DIRIMENTIA EX DEFECTU ABSOLUTAE IDONEITATIS QUOAD ANIMUM.

Nexus materiae... Absolutae idoneitatis defectum ex parte animi triplicem enuntiavimus scilicet 1. ordinum sacrorum susceptionem *Extrav. un. Ioan. XXII. de voto:* 2. matrimonium cum alio, aliave initum unde impedimentum ligaminis; quae duo dirimunt matrimonium subsequens: at 3. animi ligamen est votum solemne *c. un. de voto in 6.* quod non modo subsequens seu contrahendum, sed etiam antecedens seu iam contractum, modo ratum dumtaxat manserit, dirimit matrimonium.

§ 8. DE IMPEDIMENTO ORDINIS SACRI.

Summarium. — Praesuppositis iis quae *l. 1. de Personis* **de caelibatu attigimus, breviter exponitur ordo sacer** *a)* **qua est impedimentum dirimens in Ecclesia Latina:** *b)* **tum in Ecclesia graeca. Deinde dicemus** *c)* **de dispensatione ab hoc impedimento et tandem de poenis.**

144. I. **Qua est impedimentum dirimens in Ecclesia Latina**, dicimus hoc certum esse ex Decretal *c. 1. et 4. de Cler. coniug. c. 1. et 2. Qui Clerici vel voventes. Clem. un. de affin. et consang...* ita ut nullum dubium supersit de invaliditate attentati matrimonii ab iis, qui in maioribus ordinibus constituti sunt, cum praeter dicta iura, *Trid. sess. 24. de Sacram. matr. c. 9.* lex caelibatus non solum ut impedimentum dirimens fuerit confirmata, sed etiam canon dogmaticus hac de re editus sub anathematis interminatione.

Ex quibus patet *extensio* huius impedimenti dirimentis; afficit enim in ordine ad matrimonium contrahendum et inhabiles reddit solum constitutos in sacris; modo servetur conditio triplex scilicet: 1. ut valida sit ordinatio; 2. sufficiens habeatur cognitio saltem de vitando a clericis maioribus matrimonio et perfecta castitate servanda; 3. ut S. Ordinis susceptio voluntaria fuerit, et a coactione immunis *arg. c. 12. Cau. 32. q. 1. et c. 2. Cau. 38. q. 3. Bened. XIV. Constit. Et quamvis 4. maii 1745.*

Inde patet etiam **quo iure** existat impedimentum dirimens; scilicet **ecclesiastico.** Neque enim ex iure naturae, neque ex iure divino positivo status clericalis foret incompatibilis cum statu matrimonii, quod permittitur Ecclesiae graecae; et a qua lege Romani Pontifices quandoque dispensarunt.

Ad 3^{m}. conditionem quod s. Ordinis susceptio voluntaria esse debeat: advertatur id significare non absolute obligari hac lege metu aut vi ordinatum, sed ab hac dispensandum esse: quia metus haud officit validitati ordinationis, et tantum vi ordinatus, sacri ordinis exercitio perpetuo interdictus, a lege continentiae dispensatur, si ostenderit metu gravi se ordinatum nec postea suae ordinationi libere consensisse. Haec est sententia in Tribunalibus ecclesiasticis usu recepta contra eos, qui

volunt, Ordinem vi susceptum neque dirimere neque impedire matrimonium. Etsi namque doctrina Ecclesiae eiusque disciplina sit, quod metu ordinatus non teneatur lege caelibatus; semper tamen Sedis Apostolicae iudicium, seu late dicta dispensatio, seu rescriptum gratiae, seu declaratio interveniat necesse est, quae non conceditur, nisi metu probato, facto processu ad formam *Const. Bened. XIV. 4 Mart. 1748,* super nullitate Profess. religiosae. *Cf. Fagn. in c. Maiores de Bapt.*

Quaer. *utrum Clerici ex voto an ex lege tantum teneantur ad Caelibatum.* Cf. l. 1. de Personis.

145. II. **Ordo, qua est impedimentum in Ecclesia Graeca.** Clericus in minoribus ordinibus constitutus usque ad subdiaconatum potest ducere uxorem sive caelebs, sive viduus sit, neque per hoc ullatenus decidit e statu clericali, neque ullum ex beneficiis, officiis et privilegiis clericalibus amittit ita, ut usque ad Presbyteratum promoveri possit.

Semel ac quis in sacris ordinatus est, nequit amplius matrimonium inire, etsi uxor ante s. ordinationem ducta moriatur. *Instr. S. C. de P. F. ad Archiep. provinc. Fogarasien. et Alba Iulien. 24 Maii 1858. Trullan. Synod. c. 6.*

Quaer. *an horum matrimonium non modo illicitum sed et invalidum sit?*

Resp. *Controvertitur* inter Canon. teste Bened. XIV. c. Const. *Eo quamvis...,* et Const. *Anno vertente* § 13. ait: « Cum gravis illa controversia adhuc vigeat an matrimonium in Ecclesia Orientali post ordinem sacrum contractum perinde nullum sit, ac in Ecclesia occidentali... et cum huiusmodi controversia (exceptis Italo-Graecis) quoad ceteros orientales graecos nullo adhuc decreto apostolico definita fuerit ....»

Attamen excipiendi sunt aliqui Graeci, pro quibus irritum absque controversia est matrimonium. Pro Italo-Graecis nullum est matrimonium, *Bened. XIV. Const. Etsi Pastoralis;* pro Ruthenis Synodus Tamascensis invalidum matrimonium presbyteri *an. 1720 tit. 3. § 8,* et pro Maronitis Synodus Libanensis *an. 1736. p. 2. c. 11. § 9. n. 9.* matrimonium diaconi, presbyteri, et Episcopi irritum declararunt. Notandum harum Synodorum decreta in forma specifica approbata ab Apostolica Sede vim Apostolicae auctoritatis nacta esse, atque adeo

s. ordinem pro iis Ecclesiis evasisse impedimentum dirimens matrimonii.

Ad alios vero Graecos quod attinet, quamvis nondum expressa definitio a Sede Apostolica edita sit; tamen *a*) tribunalia huius almae Urbis iam a tempore Bened. XIV. *Const. anno vertente,* opinioni eorum adhaerebant, qui nulla esse censent huiusmodi matrimonia, quae sententia apud eadem tribunalia etiam nunc viget; *b*) Quia haec sententia cohaeret cum ipso iure, quo regitur Orientalis Ecclesia. Synodus Trullana haec coniugia nefaria appellat; Iustinianus Imper. ea vocat ad normam ss. canon. *nefaria et incestuosa; c*) Romana Ecclesia quid sentiat hac de re sat indicat *Instruct. cit. C. de P. F.* « Quod si aliqui deinceps (quod Deus avertat) post sacros ut praefertur ordines, matrimonium *attentare* praesumpserit.. » ubi matrimonium attentatum est nullum et irritum. Ex consulto *S. U. I. 22 Decr. 1875* concessa est a Sede Apost. presbytero graeco, redacto prius ad statum laicalem, dispensatio ad valide nuptias ineundas.

146. III. **Dispensatio-Cessatio.** Porro dicta inhabilitas in utraque Ecclesia Orientali et Occidentali est *a*) Perpetua, neque ullatenus cessare potest et auferri, quam per viam dispensationis. Non igitur cessare potest per delictum, cui forte perpetua irregularitas, suspensio vel depositio ab officio et ordinum exercitio, aut per haeresim, degradationem, schisma... quibus a statu clericali deiiciantur. *b*) Unus Romanus Pontifex dispensare potest, neque ulli Episcopo, aut missionario generalis facultas fit dispensandi cum subdiaconis et diaconis ad matrimonium denuo contrahendum. *c*) Iusta autem debet esse causa in bonum publicum praesertim religionis catholicae redundans, cum dispensatio conceditur. Quod si pro subdiaconis gravis: pro diaconis gravior, pro presbyteris gravissima esse debet. Clericus tandem hanc obtinens dispensationem ad statum laicalem redactus, ordines susceptos nullatenus exercere potest.

Facilius conceditur Graecis haec dispensatio, quae petenda est a Sede Apost. si agatur de matrimonio ineundo. Si de matrimonio inito, in singulis casibus particularibus processus informatorius ad necessaria documenta et motiva colligenda

fieri debet ab Ordinario, qui dein, non prolata sententia, causam deferat ad Sedem Apost. *Bened. XIV. Const. Anno vertente* § *12. 19 Iun. 1750.*

147. IV. **Poenae** et **inhabilitates** in Clericos attentantes matrimonium. 1. In minoribus ordinibus constitutus ipso iure privatur *a*) omnibus beneficiis et iuribus ecclesiasticis, si quae habet ex *c. 1. 3. 5. 8. de clero coniug.* quia iuxta *Innoc. III. c. 5.* in eorum conversatione cithara cum psalterio male concordat; *b*) privatur privilegiis omnibus clericalibus, excepto privilegio canonis 1. si cum unica et virgine contraxerit; 2. si tonsuram et vestes deferat clericales.

2. Clerici in maioribus ordinibus constituti, etsi depositi, vel degradati, aut apostatae, si contrahere praesumant *a*) incurrunt excomm. l. s. Ordinariis reservatam; *etsi attentent matr. civile; b*) quod matrimonium si consummare praesumunt irregularitatem quoque contrahunt ex bigamia similitudinaria; *c*) et quamvis ipso iure officium et beneficium ecclesiasticum non amittant, tamen per sententiam iudicis privandi sunt.

3. Italo-Graeci si post s. ordinem attentent, easdem incurrunt poenas... pro aliis omnibus Graecis est depositionis poena decreta iam a Synodo Trullana *c. 6.*

4. Tandem relate ad uxores, quarum mariti, ipsis consentientibus, ordinem s. suscepere, mortuis maritis, notanda est inhabilitas ad novum matrimonium ineundum. *Cf. Schmalz. in t. Qui clerici vel voventes n. 40.*

§ 9. DE IMPEDIMENTO PROFESSIONIS SOLEMNIS CASTITATIS.

Agimus hic, ut patet, de solemni voto castitatis, quod quis *sponte* emisit in religione approbata. Dixi *sponte,* quia metus gravis irritat professionem: dixi *solemni,* quia votum simplex impedit tantum, non dirimit.

Summarium. — Tradita 1) **notione,** 2) **exhibetur existentia iuridica,** 3) **quis dispensare valeat,** 4) **et quas poenas incurrat voto solemni ligatus attentans matrimonium.**

148. I. **Notio** huius impedimenti paucis exprimitur, ut scilicet dicatur impedimentum dirimens ob solemnem profes-

sionem *inhabilitas absoluta viri religiosi vel monialis ad contrahendum valide matrimonium ob votum castitatis, solemnizatum per expressam et solemnem professionem, factam in aliquo ordine religioso proprie dicto,* scilicet a Sede Apostolica approbato. Duplex enim praesertim post S. Ignatium de Loyola inducta est professio, scilicet professio votorum solemnium et professionem votorum simplicium.

149. II. **Existentia iuridica** patet ex *c. un. de voto in 6. ex Trid. Sess. 24. can. 9.* « Si quis dixerit Clericos in sacris ordinibus constitutos... vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto... A. S. » Ubi adverte votum solemne professionis religiosae posse vel praecedere, vel subsequi ad matrimonium: porro votum praecedens dirimere contrahendum patet ex his cit. text.; quod votum subsequens ad matrimonium, hoc scilicet valide iam contractum dirimat patet ex *can. 27. Cau. 27. q. 2.; cap. 2. 7. 14. de convers. coniug. et Trid. l. c. can. 6.* prorsus definitum. Hinc permittitur novis coniugibus spatium duorum mensium ad deliberandum, utrum in Religionem ingredi vel in matrimonio perseverare velint, illud consummando: imo licet post duos menses, unus vel uterque ingrediatur in religionem (modo ratum manserit) *c. 7. Qui clerici vel vov.,* istud dissolvitur. Ratio apponendi tale impedimentum dirimens est, quod cum per tale votum ac professionem se suumque corpus Deo publice ac solemniter religiosus offerat et tradat, aequum fuit, ut Ecclesia tale impedimentum adiiceret, ne Religiosi pro lubitu possent e statu perfectiori, in quo se Deo stabiliter obligarunt, ad statum imperfectiorem transire ac fidem Deo datam cum publico scandalo violare.

Unde solvitur quaestio *quo iure* per professionem solemnem castitatis dirimatur matrimonium.

Resp. Ex *solo iure ecclesiastico.* Nam *a*) si vis ista repetatur ex natura actionis scilicet promissionis Deo factae, tunc eumdem effectum haberet ex voto simplicis, quod nemo admittit. *b*) Si vis dirimendi esset ex iure naturali et divino, incredibile est in Ecclesia usque ad XI. saec. monachalia vota hanc vim dirimendi non habuisse, vel in Ecclesia contra dictum ius na-

turale et divinum esse semper toleratum, imo ab ipsa Apostolica auctoritate permissum fuisse. Unde firma non est ratio S. Thomae *4. sent. dist. 48. q. 1. a. 3. q. 3.* non posse Ecclesiam contrarium statuere. Si enim per tot saecula id in Ecclesia viguit, ergo potest illud statuere. *c*) Solemnitas ea, qua hanc habet efficaciam, « ex sola Ecclesiae constitutione est inventa » *Bonif. VIII. c. un. de voto,* seu Ecclesiastica lege fit, ut actus illis votis contrarii non solum illiciti, sed etiam irriti sint. *d*) Tandem favet praxis Romanorum Pontificum, qui solemniter religionem professis nuptias inire concesserunt.

150. III. **Dispensandi proinde facultas** debet esse in Ecclesia, ex qua religiosi vinculo solemnis castitatis soluti, et ad statum laicalem redacti, nuptias contrahere possunt; quae porro dispensandi potestas penes unum residet Romanum Pontificem, ni Ordinarius indultum obtinuerit ab eo, quod omnes ordinarii habent in articulo mortis, cum recurrendi ad S. Sedem tempus non suppetat.

Ad usum quod attinet huius potestatis urgentissima requiritur causa, respiciens regulariter bonum publicum praesertim, quae in utilitatem vergat religionis. Dixi *regulariter,* quia quandoque conceditur ex causa respiciente quoque bonum privatum.

Hac porro dispensatione solvitur quidem professionis solemnis vinculum, quo religioni suae obstringitur, sed ipsa castitas solemniter professa commutari solet in votum castitatis coniugalis.

Tandem facultas celebrandi nuptias ad unum restringitur matrimonium, et nova opus est dispensatione ad 2^{m}. contrahendum.

151. IV. **Poenae,** quas incurrunt regulares voto solemni castitatis ligati, si attentent matrimonium: sunt 1. excommunicatio l. s. reservata Ordinariis; 2. irregularitas; 3. suspicio de haeresi.

§ 10. DE IMPEDIMENTO LIGAMINIS.

Ultimus ex parte animi defectus est matrimonium cum alio vel alia initum, unde impedimentum ligaminis: matrimo-

nium dico valide cum altero contractum, quo stante secundum nullatenus contrahi potest, tum ob matrimonii indissolubilitatem, tum ob vetitam polygamiam. Itaque coniugi, etsi longissimo tempore is coniugem expectaverit absentem, frustraque de illius morte aut vita exquisierit, tamen non datur venia transeundi ad secundas nuptias, ni mortem coniugis certo documento probaverit.

Summarium. — Itaque nonnihil dicendum *a)* **de ligaminis impedimenti natura, speciebus**; *b)* **iuridica existentia**; *c)* **effectibus et poenis**; *d)* **tandem de cessatione et dispensatione ab hoc impedimento.**

152. I. **Natura impedimenti ligaminis.** Supposito quod matrimonium monogamum sit, atque indissolubile, ex Theol. Dogm. evidens est, quod quis, uxore sua adhuc vivente, alteri nubere non possit, ita ut si novum contrahatur matrimonium superstite priori coniuge, sit prorsus invalidum, et ad 1^m. redeundum sit *cf. 1. Cor. c. 7*, ita ut simultanea polyandria et polygamia non modo inter Christianos, sed etiam apud ethnicos prorsus repugnet. Et merito quia postquam vir vel mulier ius in corpus iam tradidit uni, sui corporis potestatem non amplius habet, nec illud in alium vel aliam valide transfert.

Itaque impedimentum ligaminis intelligitur *matrimonii vinculum quod eodem iunctos ad aliud matrimonium contrahendum inhabiles reddit.* Oritur autem non solum ex matrimonio consummato, sed ex matrimonio dumtaxat rato. Ex matrimonio christianorum valido et consummato oritur quidem absolute, seu sine ulla exceptione aut dispensatione. Hinc pro hoc matrimonio *absolute* regula valet: *matrimonium a Christianis contractum, postquam consummatum fuit, nonnisi morte solvi potest.*

Ex matrimonio solum rato, sed nondum consummato non absolute oritur, sed sub duabus exceptionibus; scilicet modo per solemnem religiosam professionem alterius coniugis, vel dispensatione Romani Pontificis non dissolvatur.

Unde patent **requisita** ut habeatur ligamen dirimens novum matrimonium, scilicet 1) ut matrimonium praecedens non sit nullum sive ex defectu consensus, sive ex alio canonico

impedimento; 2) ut matrimonium prius sit vere initum et saltem ratum: ex sponsalibus enim de futuro non oritur impedimentum ligaminis; 3) ut vinculum matrimonii consummati morte vel privilegio paulino, matrimonii vero rati etiam solemni professione religiosa vel Romani Pontificis dispensatione solutum non sit.

153. II. **Iuridica existentia** impedimenti ligaminis. Polygamia seu pluralitas uxorum non solum iure positivo humano seu canonico et civili, ut patet ex tit. *de sponsa duorum, c. 7 et 5. de divort.* atque *ex l. 1. ff. de his, qui not. infamia;* sed et etiam iure divino prohibita est, ut habet communis Catholicorum et certa, ut ex lege monogamiae et indissolubilitatis matrimonii patet.

Quaer. An etiam dirimat ex iure naturae?

Resp. Polyandria certo dirimit ex iure naturae; polyandria enim excludit fines omnes matrimonii. Quoad polygamiam idem tenent perinsignes DD. ob gravissima, quae inde sequuntur damna. Alii DD., ut *Bened. XIV. de Synod. l. 13. c. 21. n. 9,* melius distinguunt inter praecepta, quae sint primigenia eorum principia, alia vero veluti consequentia, quae a primis illis oriuntur... Posteriora regulam et ipsa continent rectitudinis, ita tamen ut, circumstantiis rerum et personarum mutatis, et ipsa mutari possint mediante dispensatione, quae tamen a sola potest auctoritate divina procedere. Porro ad hanc classem praeceptorum posteriorum pertinet lex monogamiae...

154. III. **Effectus ligaminis** 1. ut omne matrimonium post prius, si fuerit attentatum dirimat; 2. est inhabilitas ad contrahendum cum muliere etiam post mortem viri sui, quacum tamen attentavit inire et consummavit matrimonium vivente priori marito: ita tamen ut *a*) qui attentavit scienter fecerit, seu sciverit illam esse uxorem alterius; *b*) eamque cognoverit, vivente adhuc priori viro; tertius effectus sunt poenae statutae in bigamos; quarum 1ª. est impedim. criminis; 2ª. quod utroque iure ipso facto haberetur infamis; 3ª. in eum procedatur tamquam suspectum de haeresi; 4ª. nolens separari excommunicandus est; 5ª. liberi sunt illegitimi; 6ª. bigami donec resipiscant excludendi sunt a benedictionibus Ecclesiae et Sa-

crammentis imo et a sepultura ecclesiastica, si absque poenitentia decedant.

155. IV. **Cessatio impedimenti ligaminis.** Nonnisi per mortem alterutrius coniugis cessat impedimentum ligaminis: imo, stante prioris matrimonii validitate, impedimentum ligaminis iure divino inde ortum nulla humana auctoritate neque Romani Pontificis in casibus particularibus tolli potest. Per haec autem non negamus Romanum Pontificem ex iusta et gravi de causa dissolvere posse et solere matrimonia rata et non consummata, quia hinc Romanus Pontifex rescindit vinculum prioris coniugii ita, ut non ligamine nodatus, a quo dispenset Romanus Pontifex, sed plane liber sit coniux ad aliud ineundum. *Schmalz. in tit. De sponsa duorum n. 28.*

Neque manente 1°. matrimonio cessat ligamen ex consuetudine: haec enim induci nequit contra ius divinum et naturale.

A fortiori, contra indissolubilitatem matrimonii vinculum matrimoniale ex valido matrimonio ortum non cessat privato coniugum arbitrio, sive primum matrimonium consummatum sive ratum dumtaxat fuerit. Si post consummationem primi novum attentet, atque adeo studeat consummare, tenetur redire ad 1^m^. semper usque ad mortem.

V. IMPEDIMENTA DIRIMENTIA EX DEFECTU IDONEITATIS RELATIVAE.

Ratio transitus ad seqq. Explevimus de iis agere impedimentis, quae originem ducunt ex defectu idoneitatis absolutae, **nunc ad ea descendimus, quae oriuntur ex defectu idoneitatis relativae:** unde impedimentum quintuplex 1. **cognationis** sive **naturalis** sive **civilis:** illa est impedimentum, quod oritur ex mutua relatione cum communi generante intra certos gradus, sive intra certam ab eodem distantiam: haec, i. e. **cognatio civilis,** quae provenit ex proximitate iure civili inducta ad imitationem eius, quae ex naturali generatione oritur: quibus addatur **spiritualis cognatio** ex proximitate iure ecclesiastico inducta in susceptione baptismi et confirmationis, ad eius imitationem, quae ex naturali generatione oritur;

2. **est affinitas** seu personarum proximitas ex coitu proveniens; 3. **publica honestas** orta tam ex matrimonio rato, quam ex sponsalibus validis; 4. **crimen**; 5. **cultus disparitas plena,** seu quando res est cum infideli.

156. Praenotanda ad impedimenta ex variis cognationibus naturali, spirituali et legali, scilicet de gradibus consanguinitatis seu de arbore genealogica. Arctius enim vel latius vinculum dignoscitur ex arbore consanguinitatis, quae conficitur *stipite, lineis, gradibus.* Dixi *stipite* a quo nempe ceteri descendunt. Dixi *lineis,* quarum *definitio* est series personarum, *divisio* in lineam rectam et transversam. *Linea recta* est linea simplex generantium et genitorum, ita ut ambae personae, de quarum cognatione quaeritur, in eadem contineantur. *Linea transversa* continens scilicet coniunctos a latere, est linea ex duabus constans ab eodem generante profectis, quarum altera desinit in unam, altera in alteram personam, de quarum cognatione quaeritur. Dixi *gradibus* quorum *definitio* est, ut sint intervalla inter personam ac personam: *computatio* fit in linea recta omnes enumerando gradus; in linea transversa *aequali* tot enumerando gradus, quot sunt in alterutra usque ad stipitem exclusive; *inaequali* tot enumerando gradus, quot sunt in linea longiori usque ad stipitem exclusive.

Itaque, ut haec declarentur, in omni consanguinitate reperiri et attendi debet linea et gradus per quos distinguuntur consanguinei et stirps seu stipes. Et 1. quidem *attendi debet* **stipes,** a quo communem habent originem proximam personae, de quarum consanguinitate quaeritur. Vocatur *stipes* ut in arbore; siquidem tota consanguineorum series dicitur arbor, ac proin sicut ex arboris stipite seu trunco nascuntur rami alii in eadem serie, et gradu, alii in diverso et altiori; ita ex eodem communi genitore vel matre prodeunt filii, nepotes... velut rami diversi ordinis et gradus.

2. **Linea** est ordinata series vel collectio personarum ab uno stipite descendentium per varias generationes, diversos continens gradus. Distinximus rectam ab obliqua: aliis verbis *recta* est, quae continet *illas personas,* quarum una est ab altera, et *gradus directos,* per quos recta et sine declinatione ad alterutrum latus vel adscenditur ad progenitores, et tunc vo-

catur *adscendens*, vel descenditur ad progenitos, et tunc dicitur *descendens*: obliqua *seu transversa* est, quae compiectitur personas, quarum nulla ab altera ducit originem, licet procedant ab uno communi stipite eamdemque radicem habeant. Haec autem subdividitur in *aequalem*, in qua dictae personae distant aequaliter a communi stipite, uti duo fratres, vel frater et soror... *inaequalem*, in qua distant inaequaliter, uti frater ac filia fratris.

3. **Gradus** nil est aliud, quam distantia unius personae ab altera in eadem consanguinitatis linea, qua cognoscitur quanta sit illarum inter se propinquitas.

157. **Ad computandum regulae,** ut dignoscatur quo gradu quis distet ab alio consanguineo: eaeque ex iure can. in ordine ad matrimonia contrahenda.

Regula 1. respectu lineae rectae tam adscendentium quam descendentium sumitur *ex can. 6. Cau. 35. q. 5.* « Tot sunt gradus, quot personae, una dempta scilicet communi stipite, vel tot gradus, quot generationes intercedant ».

Regula 2. pro linea transversa aequali *cit. c.* § 2. est: « quo gradu distant personae a communi stipite, eodem distant inter se ». Sic per descensum sunt in 1°. gradu fratres; in 2°. patrueles seu liberi ex fratribus; liberi ex sororibus seu consobrini... ceteros cf. penes probatos AA.

Regula 3. pro linea transversa sumitur ex § 3. *q. c.*: « Quo gradu remotior distat a communi stipite, eodem distant inter se »: quia ex transversis non potest aiter alteri esse propinquior, quam sit propinquus stipiti, a quo communis sanguis trahitur: ergo necesse est ut remotior ad suum gradum trahat propinquiorem: licet in dispensationibus inaequalitas seu mixtio graduum exprimenda sit. Cf. quoad ceteros probatos AA. et Declar. arboris consang. post *can. 6. Cau. 35. q. 5.*

Hisce praenotatis, veniamus ad impedimentum cognationis generatim ex quadam proximitate ortum, cuius reverentia matrimonium interdicitur inter personas eàdem invicem affectas: quod triplex esse diximus prout personarum coniunctio procedit ex carnali propagatione, et dicitur impedimentum ex cognatione naturali seu consanguinitate; aut ex adoptione, et di-

citur impedimentum cognationis legalis; vel tandem ex sacramento baptismi aut confirmationis, et dicitur impedimentum cognationis spiritualis.

§ II. DE IMPEDIMENTO EX CONSANGUINITATE SEU NATURALIS COGNATIONIS.

Summarium. 1) Notione ac divisione cognationis naturalis breviter indicata, quaeritur; 2) an dirimat, quatenus et quo iure cognatio dicta in linea recta; 3) an et quousque in linea obliqua; 4) an et quatenus dispensetur in consanguinitate; 5) tandem poenae statutae in consanguineos attentantes matrimonium in gradibus prohibitis.

158. I. **Notio seu definitio** est: « *vinculum personarum per generationem ab eadem persona descendentium* ». Declar. arbor. consang. l. c. § 6. **Divisio**: est alia cognatio naturalis in linea recta, alia in linea obliqua.

159. II. **An dirimat**... *Resp.* 1. Consanguinitas **in linea recta** dirimit matrimonium **in infinitum** saltem **iure canonico**. Nicol. I. ad Bulgaros « de consanguinitate generationum... aviam et nepotem et usque ad infinitum ». Dixi saltem iure canonico, quia de iure naturae τὸ in infinitum non liquet et controvertitur inter DD.

. *Resp.* 2. **quo iure?** quoad 1^m. gradum lineae rectae dirimit iure naturae. Connubium patris cum filia pugnare cum lege naturae, in singulorum cordibus scripta, ait Ambr. ep. ad Paternum: quod dici nequit de ulterioribus gradibus lineae rectae e. g. inter avum et neptim. Nam communio sanguinis, quo iste magis dividitur, eo fit debilior, ita ut consanguinitatem in morali aestimatione fundare nequeat; ergo de iure naturae in infinitum non irritat matrimonium.

160. III. **In linea obliqua** dirimit **usque ad 4^m. gradum** inclusive, saltem ex **iure ecclesiastico**. *Conc. Later. IV. c. 8. de consang. et affin.* Sed *quaer.* an ex iure naturae? *Resp.* Cum in linea obliqua praesertim inter personas, quae a communi stipite aequaliter distant, ordo dependentiae amplius non inveniatur; hinc maxima incertitudo quoad coniugii prohibitionem in linea

obliqua. Et controvertitur quidem in 1°. gradu lineae obliquae inter fratrem et sororem: at quoad alios gradus usque ad 4^m. certo iure ecclesiastico: quod patet etiam ex facto Ecclesiae, quae dispensat quidem in inferioribus gradibus, at non in 1°. lineae collateralis.

Merito porro Ecclesia matrim. inter consanguineos prohibuit 1) scilicet *ob bonum morale,* ne inter has personas sub spe futuri matrimonii nimia familiaritas et illicita oriatur conversatio; 2) *ob bonum sociale,* ut diversae familiae per matrimonia connectantur et charitas ex una familia ad plures sese porrigat; 3) *ob bonum naturale,* quia natura ipsa saltem in propinquioribus gradibus haec matrimonia aversatur, quam aversionem vocant *horrorem sanguinis:* praeterquam quod per has coniunctiones familias enervari dicunt, et pessimas haberi sequelas, e. g. abortus, filios deformes, mutos, surdos... et infortunia sexcenta docent medici et physiologi.

161. IV. **Ad dispensationem** quod attinet, patet hanc dari non posse ubi impedimentum est iuris naturae. In gradibus, in quibus impedimentum est iuris ecclesiastici, unus Romanus Pontifex dispensare valet, sive concessione generali tacita vel expressa, sive in particularibus casibus. Hinc Romanus Pontifex inter facultates quinquennales multis Episcopis delegare solet facultatem dispensandi in 3°. et 4°. gradu; et pro matrimoniis contractis haereticorum conversorum etiam in 2°. gradu simplici.

Ex Trid. *Sess. 24. c. 5. de R. matr.* dicitur: « in 2°. gradu numquam dispensetur, nisi inter principes et ob publicam causam » quamvis etiam cum plebeis et pauperibus ex iusta causa, quae publica non sit, etiam dispensatur. Quaenam porro sit iusta causa, disces ex stylo Curiae et prob. AA.

162. V. *Poenae* ipso iure incurrendae quamvis sublatae sint, e. g. excommunicatio; tamen Episcopi possunt plectere incestuosos coniuges excommunicatione f. s. aliisque. Interim vult Tridentinum ut separentur sine spe dispensationis... nam *Sess. 24. c. 5. de R. M.* « Si quis, ait, intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit, separetur et spe dispensationis consequendae careat...» quae profecto dicuntur tantum ad reddendam difficiliorem dispensationem.

§ 12. DE IMPEDIMENTO EX COGNATIONE LEGALI.

Summarium. – 1. In quonam consistit; 2. ambitus huius impedimenti.

163. I. **Quid sit.** Civilis seu legalis cognatio definitur: « *propinquitas personarum ex adoptione,* arg. c. un. de cogn. leg., seu *propinquitas personarum, quae per fictionem iuris ex adrogatione vel adoptione perfecta oritur* ». Dixi per *fictionem iuris,* quia inducta iure civili ad eius imitationem, quae ex naturali generatione oritur. Dixi *ex adoptione perfecta:* duplex enim distinguitur adoptio perfecta et imperfecta: perfecta, quae et *adrogatio* audit, est ea per quam persona, principis auctoritate vel rescripto cum filiis transit in familiam et potestatem adoptantis, fitque illius haeres necessarius tam ab intestato, quam ex testamento. Imperfecta vero est, qua quis magistratus inferioris auctoritate in filium quidem assumitur, sed non transit in familiam et potestatem adoptantis, neque fit haeres necessarius, sed tantum ab intestato.

164. II. **Ambitus Impedimenti.** Porro nuptias impedit haec cognatio 1. *ratione ipsius initae cognationis* in linea recta ad infinitum, etiam adoptione soluta § 1. *Instit. de nupt.* In linea transversa inter fratrem et sororem tantum *(arg. l. 12. § adoptivae ff. de rit. nupt. c. un. de cogn. leg.),* donec adoptio solvatur vel filius naturalis emancipetur *can. 6. Cau. 30. q. 3.* Ratione *debitae reverentiae* inter adoptantem et uxorem adoptati, et vicissim *l. 14. ff. de rit. nupt.*

Unde veluti tres lineae constituuntur: quarum prima est quasi linea recta ad analogiam cognationis naturalis: hinc irritum est matrimonium inter adoptantem, adoptatum et ab adoptato descendentes sub paterna eius potestate adoptionis tempore constitutos: est *paternitas legalis.*

Secunda linea quasi collateralis est, et matrimonium dirimit inter adoptatum et adoptantis liberos carnales, legitimos, sub potestate paterna constitutos: est *fraternitas legalis.*

Tertia linea est quasi affinitas, et haec nascitur inter adoptantem adoptatique uxorem, et adoptatum vicissim adoptan-

tisque uxorem; et est veluti *affinitas legalis*. Paternitas et affinitas etiam adoptione per emancipationem aut obitum soluta, dirimunt matrimonium, fraternitatis autem impedimentum per talem solutionem cessat.

Quaer. An Ecclesia uti Romanam adoptionem acceptavit, ita et inductam nunc a novis legibus civilibus acceptet ad impedimentum cognationis legalis. *Resp.* Probabile omnino est Ecclesiam non acceptare adoptionem per moderna civilia iura inductam ad constituendum impedimentum dirimens matrimonii. Nam si notio adoptionis attendatur ex lege v. g. Gallica et Italica, statim apparet hanc non esse adoptionem Romanam, quam Ecclesia approbavit ut constituens impedimentum dirimens matrimonium. Est enim adoptio praesens iuris civilis similis adoptioni simplici Romanae non adrogationi. Porro cum saltem probabilius *sola adrogatio* sit ex iure canonico impedimentum dirimens, et quod moderna adoptio ab adrogatione differat in re maxime essentiali, qualis est transitus in familiam adoptantis; probabilius etiam erit adoptionem modernam non esse impedimentum dirimens, quamdiu eam inter impedimenta dirimentia lege sua non recenseat Ecclesia: atqui nulla adhuc extat lex universalis, qua Ecclesia adoptionem modernam inter impedimenta dirimentia recenseat. *Cf. Ball. Palm. Opus theol. mor. t. 6. n. 984. et seqq.*

§ 13. DE IMPEDIMENTO EX COGNATIONE SPIRITUALI.

Summarium. — Breviter indicatur 1) notio; 2) quo iure; 3) inter quas personas dirimat matrimonium; 4) sub quibus requisitis; 5) quinam munus patrini obire possint vel non; 6) quî cesset spiritualis cognatio.

165. I. **Notio** seu definitio: Cognatio spiritualis est *propinquitas personarum ex collatione et susceptione baptismi et confirmationis resultans,* ac iure ecclesiastico dirimens matrimonium inter certas personas. Dicitur *propinquitas personarum,* quia sicut per naturalem generationem ita arctius coniunguntur quaedam personae, ut reverentiam quamdam sibi invicem debeant, vi cuius reputatur indecens, quod inter se matrimonio ad actus coniugales copulentur; ita per generationem

spiritualem, quae fit per baptismum et confirmationem, statuit Ecclesia coniunctionem spiritualem et parentelam, vi cuius ob reverentiam sibi invicem competentem matrimonio ad actus carnales copulari non possint: ex collatione... baptismi et confirmationis, non ex aliis sacramentis: quia ut habet S. Th. *3. p. in suppl. q. 56. n. 2. ad 1.* sicut duplex distinguitur generatio carnalis, altera in utero per conceptionem, infusionem animae, altera ex utero per editionem foetus in lucem; ita duplex generatio spiritualis scilicet *baptismus*, quo homo spiritualiter primo nascitur scil. in utero Ecclesiae concipitur et animatur; et *confirmatio* per quam in aciem educitur.

Dividitur ratione extensionis in paternitatem (directam), quae est cognatio spiritualis inter baptizantem vel confirmantem vel patrinum et baptizatum vel confirmatum; in compaternitatem (directam), quae est cognatio spiritualis inter baptizantem vel confirmantem vel patrinum ex una parte et patrem vel matrem baptizati vel confirmati ex altera, compaternitas autem subdividitur in simplicem et multiplicem.

166. II. **Quo iure**. Ut missa faciam, quae vigebat ante Trid., certum est nunc eam solam vigere et sub iis limitibus statuit *Concil. Trid. Sess. 24. c. 2. de R. M.,* scilicet ut unus vel una sive vir sive mulier, aut unus et una i. e. vir et mulier baptizatum susciperet, ut susceptores designarentur a parentibus vel ab iis, quorum sub potestate essent baptizandi: ut spiritualis cognatio orta censeretur inter baptizatum et susceptores, inter susceptores baptizatique parentes, inter baptizantem et baptizatum, baptizatique parentes. Atque haec etiam quoad confirmationem constituta sunt. Hinc est quod, si susceptorum facta non fuerit designatio, suscipientes pro talibus non habebuntur, ideoque neque spiritualem contrahent cognationem.

Cum ex iure ecclesiastico inductum sit, sequitur eo non obligari infideles.

167. III. **Inter quas personas dirimat** matrimonium cognatio spiritualis, audivimus modo ex Tridentino. *Quaeri* heic potest, an parentes contrahant cognationem spiritualem. *Resp.* si pater baptizet vel levet prolem suam in casu necessitatis, non incurrit hoc imped.: quod idem dicendum si id faciat ex pro-

babili ignorantia iuris vel facti. Si extra hos casus, si prolem suam ex fornicatione susceptam baptizet vel levet, incurrit impedimentum. Probabilius autem non privatur iure petendi, neque liberatur obligatione reddendi debitum, si ex propria uxore susceptam prolem suam baptizet vel levet.

168. IV. **Requisita** porro ad contrahendam hanc cognationem sunt:

1. Ut baptismi et confirmationis sacramentum sit valide collatum, quia *ex reg. 52. Iur. in 6.* « non praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum ».

2. Ut patrini in baptismo non sint plures quam duo, quorum alter vir, altera foemina. *Gonzal. in c. fin. de cognat. spir. n. 9.*

3. Ut a parocho in apposito registro referantur.

4. Ut patrinus intendat patrini munus exercere: agitur enim de suscipienda obligatione.

5. Ut dum baptizatur, patrinus ita tangat baptizatum, ut dici possit eum suscepisse, levasse...

6. Ut a patrini munere persona non arceatur.

7. Relate ad patrinos baptismus solemnis esse debet, quia etsi certum sit etiam *privatim* baptizantem contrahere cognationem spiritualem; controvertitur tamen de patrinis suscipientibus in baptismo privato.

169. V. **Qui obire possit munus patrini?** *Resp.* omnis catholicus, rationis usu praeditus. Unde debet esse baptizatus et pro confirmatione etiam confirmatus, ita instructus atque edoctus in veritatibus fidei, ut loco parentum debeat docere catechesim puerum suum.

Hinc sequitur ab hoc munere patrini arceri 1. non baptizatos, qui proin si illud exerceant, non contrahant cognationem spiritualem; 2. haereticos ita tamen, ut illicitum tantum sit eos admittere ad patrini munus, et si susceperint contrahant cognationem; 3. infames e sententia iudicis, eo modo, quo haeretici; 4. regulares utriusque sexus, ne scilicet a religionis suae instituto removeantur: quamvis et Regularibus id hodie licere doceat Martinez de Prado apud *Gonzal. in c. fin. h. t. in 6.* Haec omnia et in confirmatione sunt servanda.

170. VI. **Cessare** per se non potest cognatio spiritualis, prout est impedimentum dirimens; est enim perpetuum sicut

paternitas carnalis, ita et paternitas spiritualis; etsi per mortem personae, qua mediante contracta fuerat paternitas, extinguatur.

At cum sit iuris ecclesiastici potest mediante Romani Pontificis dispensatione cessare. Porro Romanus Pontifex sive per se, sive per delegatos hanc facultatem exercet. Admodum raro concedi solet dispensatio a cognatione spirituali inter levantem et levatum: in paternitate vero difficilius... levans dicit tam baptizantem, quam patrinos. In petenda dispensatione exprimi debet, an agatur de paternitate vel compaternitate, an cognatio una sit, vel multiplex, an per baptismum vel confirmationem fuerit inducta.

§ 14. DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS.

Summarium. — 1. **Notio**; 2. **varietas affinitatis**; 3. **an et quousque dirimat ex copula illicita**; 4. **an et quousque ex copula licita.**

171. I. **Notio.** Succedit impedimentum affinitatis, quae dicitur *propinquitas personarum procedens ex copula carnali perfecta et consummata sive licita in matrimonio, sive illicita extra matrimonium inter consanguineos viri et foeminam carnaliter cognitam, et vicissim inter virum et consanguineas foeminae carnaliter cognitae.* Sic attento iure canonico definitur affinitas, secus ex iure civili, in quo tantum ex nuptiis affinitas nasci statuitur. Unde affinitas non ex matrimonio tantum rato, ex quo solum publica honestas.

Dixi *propinquitas ex copula carnali ex c. 1. Can. 33. q. 10.* « Si una caro fuerit (maritus et uxor) quomodo poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere nisi pertineat alteri? » Inde ergo vocatur affinitas, quia hac carnali copula una pars accedit *ad fines* cognationis alterius. Dixi *ex copula sive licita sive illicita,* ita ut ob sanguinis communicationem duae cognationes uniantur, copulentur et ita sanguis unius tangat sanguinem alterius. Dixi *ex copula perfecta* h. e. apta ad generationem sive haec postea sequatur, sive non, modo virilis virga penetret vas muliebre atque in uterum semen verum effundat.

Inde patet quod ipsa propinquitas personarum, per copulam sive licitam sive illicitam enascens, est ex iure naturae: quamvis impedimentum dirimens, huic propinquitati innixum, sit ex iure ecclesiastico.

172. II. **Varietas affinitatis.** Spectata copula, unde oritur affinitas, alia dicitur ex fornicatione seu ex copula illicita, alia ex matrimonio consummato seu ex copula licita, alia *superveniens* quae contrahitur ex copula post matrimonium iam contractum: alia simplex, alia multiplex.

Notandum autem est quod affinitas habet lineas et gradus instar cognationis: at linea et gradus affinitatis sequuntur omnino lineas et gradus cognationis. Itaque ad cognoscendum gradum et lineam affinitatis, quae est inter unum coniugem et quemvis consanguineum alterius coniugis, satis erit cognoscere lineam et gradum cognationis, quae est inter coniugem eiusque consanguineos: e. g. Bertha soror Agnetis nuptae cum Petro erit affinis huic seu marito suae sororis in 1°. gradu lineae obliquae.

173. III. **An et quousque dirimat affinitas ex copula illicita?**

Resp. Affinitas orta ex copula illicita dirimit in perpetuum matrimonium usque ad 2^m^. gradum inclusive. *Trid. Sess. 24. c. 4. de R. M.*

Unde efformatur duplex regula quoad affinitatem ex copula illicita 1. ante matrimonium contrahendum ortam; 2. matrimonio iam contracto supervenientem.

1. Cognoscens copula fornicaria consanguineam suae sponsae de futuro *a*) contrahit impedimentum dirimens matrimonii contrahendi, cum consanguineis cognitae de iure canonico; *b*) sed novissimo usque ad 2^m^. gradum inclusive *Trid. l. c.* Item *c*) et qui cum consanguinea copulam aliam illicitam exercet v. g. incestuosam, adulterinam, sacrilegam. I^m^. habetur *c. 2. S. et 9. De eo qui cognovit consang. uxor. suae;* II^m^. constat ex *Trid. cit.;* III^m^. sumitur *ex can. 12. Cau. 32. q. 4. can. 5. Cau. 35. q. 2. 3. c. 10. eod. t. Trid. l. c.* Dixi *cognoscens* h. e. copulam perfectam exercuit: *consanguineam* h. e. veram carnaliter: *suae sponsae* de futuro, quia si sponsa de praesenti iam esset, non dirimeretur matrimonium. Dixi *cum consanguineis*

cognitae ita, ut neque cum sua sponsa contrahere amplius posset, adeoque sponsalia de futuro cum ea cessent. Item qui *copulam aliam illicitam* exercet, quia Trid. per το *ex fornicatione* intelligit, iuxta communem interpretum, quemcumque illicitum concubitum.

Regula 2ª. Cognoscens consanguineam suae uxoris *a*) contrahit impedimentum affinitatis dirimens matrimonii contrahendi cum huius consanguineis usque ad 2ᵐ. gradum inclusive: *b*) si id faciat scienter et libere habendo copulam cum consanguinea uxoris in 1°. vel 2°. gradu, privatur etiam ipso facto iure petendi debitum coniugale a sua uxore. Constat Iᵐ. ex *c. 2. cit. tit. et Trid.* quia per copulam perfectam illicitam oritur affinitas, quae ex Trid. restricta est ad 2ᵐ. gradum; constat IIᵐ. ex *c. 1. eod.*

Dixi *consanguineam uxoris suae* i. e. affinem suam scilicet in 1°. vel 2°. gradu, quia copula haec est incestuosa: impedimentum *dirimens,* quia impediens *c. 1. et 2. eod.* est abrogatum; *matrimonii contrahendi,* quia iam contractum non dissolvitur: privatur *iure petendi* ita, ut absque peccato lethali petere nequeat: ita tamen ut uxor petere possit et ipse non liberetur obligatione reddendi.

Etsi ignorantia iuris non excuset ab affinitate incurrenda, atque ab impedimento dirimente contrahendo, quod est ceu inhabilitas, tamen probabile est privationem ad petendum debitum non incurri a cognoscente consanguineam uxoris et ignorante hanc privationem esse a iure adnexam huic delicto: haec enim privatio poenae instar habetur.

174. IV. **An et quousque dirimat ex copula licita?**

Resp. Affinitas orta ex copula licita in linea obliqua dirimit matrimonium contrahendum usque ad 4ᵐ. gradum inclusive, ut constat ex *c. 8. de consang. et affin.* Dixi in *linea obliqua,* quia in linea recta ex copula coniugali dirimit probabiliter in infinitum, ut habet communis.

Quaer. An ex iure naturae haec affinitas dirimat matrimonium?

Resp. Certum est in nullo gradu lineae transversae dirimi matrimonium iure naturae ob affinitatem ex copula fornicaria, ut patet ex praxi Ecclesiae dispensantis per S. Poenitentiariam.

Quin imo affinitas etiam ex copula coniugali orta probabilius nec in 1°. gradu lineae rectae dirimit matrimonium iure naturae *Sanchez de matr. l. 7. disp. 67. n. 7. S. Thom. 2. 2. q. 134. a. 9. ad 3. Gonzalez. Bonac. Cleric.* aliique plurimi inter quos Lugo *l. 1. Resp. Mor. dub. 40. n. 29.* notat quod *indubium sit* id esse irritum *tantum* iure ecclesiastico.

175. V. Ad **poenas** quod attinet contra affines attentantes matrimonium eaedem heic recensendae sunt, quas supra vidimus statutas iure *clem. c. un. de consang. et affin.* contra consanguineos.

Dispensatio autem ab uno Romano Pontifice regulariter concedi potest excepto 1°. gradu affinitatis in linea recta ex copula licita, in quo non solet dispensare. Si unus sit in 1°. gradu affinitatis ex copula illicita et alter in III°. nulla dispensatione opus est, quia remotior trahit ad se propinquiorem.

§ 15. DE IMPEDIMENTO PUBLICAE HONESTATIS.

Summarium. – Alterum impedimentum est Publica honestas, quae 1) definitur « Reverentia sine propinquitate, sponsi sponsaeve consanguineis debita *(can. 14. Can. 27. q. 2)* ex matrimonio rato licet nullo, nisi tamen ex defectu consensus *(Pius V. Const. ad Rom.)* vel sponsalibus validis orta »; 2) quaeque nuptias dirimit ex matrimonio rato ad 4. gradum inclusive *(Paulus V. l. c.)* ex sponsalibus validis in 1. gradu *Trid. Sess. 24. c. 3. de R. M.*: 3) unde patet impedimentum hoc totum esse iuris humani: 4) ab eoque dispensari posse.

176. I. **Notio.** *Sine propinquitate* dicitur i. e. carnali, sed supponitur coniunctio animorum; unde illa reverentia seu decentia, quod est fundamentum huius impedimenti, quodque consistit in externa decentia, ob quam haud convenire censetur, ut quis matrimonium cum consanguinea eius contrahat, cuius maritus fuisse dicitur et reputatur *Alex. III. c. 3. de sponsal.* Itaque publica honestas potest quoque dici propinquitas, quae per coniunctionem non corporum, sed animorum oritur tum ex sponsalibus inter unum sponsum et consanguineos alterius, tum ex matrimonio rato inter unum coniugem et alterius consanguineos.

177. II. Quousque se porrigat publicae honestatis impedimentum ortum ex sponsalibus.

Resp. Impedimentum publicae honestatis ortum ex sponsalibus de futuro validis et certis (i. e. non suspensis a conditione adhuc pendente) inter consanguineos sponsi et sponsam, et vicissim inter sponsum et consanguineas sponsae dirimit usque ad 1. gradum ex iure novissimo Trid. Conc.; licet sponsalia soluta fuerint per mortem sponsi, aut sponsae vel per mutuum dissensum. Dixi *validis* quia ante Trid. nascebatur impedimentum etiam ex invalidis modo invalida non fuissent ex defectu consensus. Dixi *usque ad 1. gradum* quia ante Trid. extendebatur usque ad IV. gradum iuxta Decret. Bonif. VIII. *c. un. de sponsal. in 6.* Dixi *certis* unde si sponsalia conditionata fuissent, nonnisi post purificatam conditionem impedimentum induceretur *c. un. cit.* Dixi licet *soluta fuerint post mortem* aut dissensu, quia hoc impedimentum de se est perpetuum ita, ut non solum per mortem sponsae aut sponsi cessare nequeat, sed neque si mutuo dissensu sponsalia solvantur. Cf. *S. C. C. 11. Iul. 1658.* declaratio approbata ab Alex. VII. 10. eiusd. mens. qui teste Gobat *n. 362.* et Fagn. *in c. 4. de sponsal. n. 9.* iussit de hac doctrina non amplius esse dubitandum. Ante hanc Declarationem omnes admittebant permanere impedimentum ex sponsalibus solutis ex morte, professione religiosa, susceptione ordinum, fornicatione vel alia iusta causa, sed disputabant solum de sponsalibus ex mutuo consensu solutis.

Ex dictis sequitur nullum oriri impedimentum ex sponsalibus *a*) apparenter tantum validis: *b*) neque ex sponsalibus dubiis: *c*) bene quidem oriri ex sponsalibus occultis, sed validis.

Impedimentum publicae honestatis ex matrimonio rato non consummato, licet sit invalidum (modo id non sit ob defectum consensus) inter maritum et consanguineas uxoris, ac vicissim inter uxorem et consanguineos mariti dirimit usque ad 4. gradum inclusive. Nam etsi novissimo Trid. iure honestas publica ex sponsalibus validis orta dirimat matrimonium usque ad 1. gradum, tamen orta ex matrimonio rato dirimit iuxta antiquum ius usque ad 4. gradum inclusive, *Pius V.*

Constit. ad Roman. 1. Iulii 1568. « Motu proprio auctoritate apostol ». Dixi *licet sit invalidum...* quia ante Trident. oriebatur quoque ex matrimonio nullo e. g. ex capite impotentiae, ligaminis, affinitatis, consanguinitatis... Dixi *modo id non sit ob defectum consensus...* quae exceptio fit in ipso iure. Imo addendum quod impedimentum publicae honestatis non habet vim retroagendi, quo fit ut non praeiudicet prioribus sponsalibus: expresse Bonif. VIII. *c. un. de sponsal. in 6.* Unde si Titius post sponsalia cum Bertha, contraheret matrimonium cum Lucia, Berthae sorore, contraheret quidem impedimentum publicae honestatis propter quod non posset contrahere cum caeteris consanguineis Luciae usque ad 4. gradum, nil tamen derogaretur sponsalibus contractis cum Bertha, quae implere deberet, modo matrimonium cum Lucia non fuerit etiam consummatum, quia tunc arceretur a matrimonio cum Bertha ob impedimentum affinitatis.

Tandem est strictae interpretationis principium « *matrimonium etiam* invalidum, praeter quam ex consensus defectu, producere *publicam honestatem* » est enim contra reg. 52. Iur. *in 6:* Unde *a*) non parit publicam honestatem matrimonium ita nullum, ut nec speciem aut figuram veri matrimonii habeat, sed solum mere caeremoniam civilem, *b*) nec matrimonium nullum ob impedimentum deinceps a Trid. inductum e. g. ex defectu formae Trid. ex raptu.... Qua in re nos subscribimus sententiae Sanchez *de matr. VII. LXX. n. 14.* Conrad. *de dispens. VIII. VII. 10.* De Iustis *II. VIII. 13.* Pirhing. *in tit. De consang. et affin.* aliorumque veterum atque etiam recentiorum nominatim Gaspar. *de matr. n. 728.* et D'Annib. *Summ. t. 3. n. 304. n. 27.* in cuius fine haec habet « Nunc videamus quibus nitatur sententia nostra; haec pauca et expedita et obvia...

« 1°. Nullo neque veteri neque novo iure cautum est matrimonia irrita, omissa forma tridentina parere p. h. impedimentum.

« Sed 2°. nec parere possunt: scilicet aliud est actum *irritum* esse, aliud esse *nullum:* irritus est qui aliquo vitio laborat, nullus qui non sua forma constat: *ille* non plane inutilis est, v. c. in iure civili usucapiendi conditionem praestat (II. 153. 19.); *hic* pro infecto est, nempe *forma est, quae*

dat esset rei. Quamobrem clandestina matrimonia, si proprie loqui velimus, irrita dicenda non sunt, sed omnino non sunt, non entis autem nullae sunt qualitates.

« 3°. Impedimentum quo de agitur receptum est contra eam regulam iuris, *non praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum 52. de reg. Iur. in 6, ergo non est producendum ad consequentias (LL. 13. 14. De Leg.).*

« Demum 4° odiosum est, quia libertatem naturalem contrahendi matrimonia coercet, adeoque strictam interpretationem recipit *(c. 15. de Reg. Iur. in 6.);* lata autem interpretatione in his uti, *a regulis iuris;* extensiva (qua contrarii utuntur) a ratione quoque alienum est (V. Proleg. 186. 37) ».

Huic nostrae sententiae bene consonare videtur soluta a S. C. C. 13. Mart. 1879 quaestio « quod matrimonia civilia non producant publicam honestatem », scilicet ob decretum Leonis XIII. die 17. martii 1879 quo *declaravit et statuit* talibus matrimoniis non induci publicam honestatem.

178. III. **Quo iure existat** hoc impedimentum.

Resp. totum esse ex iure humano, ut patet ex dictis. Nam quoad sponsalia habetur *c. iuvenis 3; c. ad audientiam 4. de sponsal.; ex Trid. l. c.;* ex Bonif. VIII. *c. un. de sponsal.* Quoad matrimonium ratum sunt loca cit. iuris, quae quamvis illud ex sponsalibus oriri decernant, ita tamen canonici iuris sanctiones a DD. accipiuntur, ut argumento a fortiori illud per eas induci colligant ex sponsalibus etiam de praesenti. Vinculum enim, quod ex matrimonio rato exurgit, fortius quidem est, quam quod ex sponsalibus oritur.

Patet posse dispensare Romanum Pontificem ab hoc impedimento: eius est enim solvere, cuius est ligare; dispensat autem accedente causa iusta.

§ 16. DE IMPEDIMENTO CRIMINIS.

Summarium. — Quid, quotuplex impedimentum criminis et variae species, — qui dispensetur ab impedimento criminis — quinam hoc impedimento ligentur.

179. I. **Notio.** Impedimentum criminis est *impedimentum dirimens matrimonium non propter quodvis delictum, sed propter cri-*

men specificum adulterii vel coniugicidii, vel utriusque simul cum certis tamen adiunctis, quae verificari debent inter virum et mulierem criminis complices, ab Ecclesia constitutum.

180. II. Unde **Divisio** patet in suas species, seu modos, quibus eiusmodi crimen committi potest: scilicet hoc impedimentum quadrupliciter contrahi potest: 1. per adulterium cum promissione matrimonii futuri post mortem coniugis: 2. per adulterium cum promissione matrimonii de praesenti, seu cum matrimonio attentato (utique invalide), cum complice vivente adhuc priori coniuge: 3. per adulterium una cum coniugicidio: 4. per coniugicidium sine adulterio, seu per machinationem in mortem coniugis, effectu sequuto, ex mutua conspiratione eaque intentione, ut duo illi in mortem coniugis machinati matrimonium ineant: quorum duo primi continentur *c. 1. 2. 4. 6. 7. De eo qui duxit in matr. quam polluit per adult.*; posteriores duo *c. 1. 3. 6. eod. c. 1. de convers. infid.* Notetur autem perinde esse sive a marito occidatur uxor, sive uxor maritum occidat.

Ex his intellige **quo iure existat** hoc impedimentum *iure nempe ecclesiastico*. Et merito Ecclesia huius criminis reos inhabiles inter se reddidit ad matrimonium contrahendum tum in poenam, scilicet commissi criminis, iniuriae nempe innocenti illatae, tum ut incolumitati innocentis coniugis consuleret, ne spes futuri matrimonii det ansam captandae illius mortis, tum quia hoc matrimonium foret publice inhonestum, tum tandem, ut in actuali coniugio existentes et alienis amoribus irretiti, per inhabilitatem ad matrimonium cum persona illicite adamata, tamquam per poenam absterreantur ab adulteriis.

Ast ut bene intelligantur eiusmodi species seu modi, quibus contrahi possit impedimentum criminis, notentur sqq.

1. **Adulterium sine coniugicidio** est... dirimens si adulterium coniungitur cum promissione matrimonii. Requiritur autem ad incurrendum hoc impedimentum ex hoc capite: 1) ut adulterium commissum sit *materiale* seu verum, i. e. ut matrimonium, cuius fides violata est, sit validum: 2) ut sit *formale ex utraque parte*, i. e. ut uterque coniux sciat exsistere illud matrimonium: quia ab ignorante non committitur adulterium

formaliter: 3) ut sit *perfectum* i. e. intercedente copula carnali perfecta consummatum: 4) ut sit *promissio matrimonii sufficienter data et acceptata* ab altera parte, sive haec promissio praecedat, aut comitetur, aut subsequatur adulterium, modo ante adulterium, non fuerit retractata; 5) ut tum promissio, tum copula nefaria consummentur *stante priore matrimonio.*

2. Per **adulterium cum attentato matrimonio** de praesenti, vivente adhuc priori coniuge. Unum tantum discrimen est ab antecedenti crimine, quod in antecedenti promittebatur futurum matrimonium, in hoc attentetur de praesenti matrimonium. Idem ergo impedimentum tanto magis inducitur, si priori et eodem coniugio durante, matrimonium novum inter coniuges attentatum est, supposito quod prius matrimonium utrique parti innotuerit et cetera modo enumerata adsint requisita.

3. **Coniugicidium sine adulterio.** Coniugicidium inter coniugem eiusdem reum et personam, quacum ad crimen patrandum conspiravit, matrimonium invalidum efficit, quando vel una tantum pars facinus ea intentione perpetravit, ut cum altera matrimonium inire possit *Instr. Austr.* § *37*. Unde ex hoc capite requiritur 1) *mutua conspiratio* in necem: sufficit tamen ut circa eam necem consentiant, licet unus tantum eamdem exequatur; 2) *intentio* per hoc crimen parandi sibi ad matrimonium viam; iuxta probabilem sat est, si haec intentio, quae pro foro externo adfuisse semper praesumitur, ab alterutra tantum parte sit admissa; 3) *mors realiter secuta* ex actione physica vel morali alterutrius complicis, non vero ex imperitia medici, vel alia de causa.

4. **Adulterium cum coniugicidio** tunc dirimit matrimonium quando, ut habet *cit. Instr.* § *36*. vel una tantum pars ea intentione ut cum altera matrimonio iungi queat, in mortem coniugis, cuius iura adulterio violavit, machinata fuerit effectu secuto. Ergo ex hoc capite tunc contrahitur impedimentum cum adulter vel adultera coniugi innocenti necem minatur et inde mors sequatur, siquidem id fiat cum intentione saltem ab uno habita matrimonii contrahendi. Notetur tandem conspirationem utriusque partis ad necem haud requiri, sed

sufficere, si alteruter caedem physice aut moraliter, etiam inscio altero, perpetraverit.

181. III. **Qui dispensetur.** Cum hoc impedimentum semel contractum de se perpetuum sit, per se cessare non potest, etsi quis post absolutam promissionem datam et acceptatam ac post adulterium discedat, etsi complices matrimonium attentatum consummaverint, in eoque diu perseveraverint: unde nonnisi dispensatione tolli potest: dispensatione scilicet concessa ab auctoritate suprema, i. e. a R. Pontifice, qua hoc impedimentum constitutum est. Sed ad praxim quod spectat dispensationis, notandum *a*) quod si impedimentum oriatur ex coniugicidio, utraque parte machinante, aut ex adulterio, alterutro adultero machinante, si publicum est, R. Pontifex non solet dispensare ob scandali enormitatem; *b*) quod si occultum sit, Sedes Apost. per S. Poenitentiariam pro foro conscientiae impertitur dispensationem, sed raro, cum gravi difficultate et nonnisi ex urgentissima causa.

182. IV. **Qui ligentur hoc impedimento.**

Resp. a) Cum impedimentum criminis sit iuris ecclesiastici, patet ligari solos fideles. *b*) Ad Ecclesiam orientalem quod attinet, eodem modo generatim orientales ligantur ac Occidentales fideles. *Cf. Mansell. de Imped. matr. heic* et *Papp-Szilagyi Enchir. iur. eccl. orient. Cath. p. 2. § 117. c*) Valde tandem probabilis est sententia negans ligari ignorantes hoc impedimentum suo crimini esse adnexum.

§ 17. DE IMPEDIMENTO DISPARITATIS CULTUS.

Agimus hic non de disparitate cultus imperfecta et lato sensu de qua lis est, inter fidelem haereticum et catholicum, quo casu est impedimentum impediens et *mixtae religionis* audit; sed de perfecta, strictiori sensu sumpta, scilicet *cultus disparitas plena* quando res est cum infideli.

Summarium. — Disparitatis cultus 1. origo iuridica: 2. limites: 3. Qui cesset hoc impedimentum.

183. I. **Origo iuridica.** Matrimonium fidelis cum infideli *a*) licet iure naturali per se semper fuerit illicitum et adhuc

sit; *b*) numquam tamen eodem iure naturali fuit invalidum, *c*) neque iure divino. Restat ergo *d*) ut sit invalidum iure ecclesiastico consuetudinario *can. 15. Cau. 28. q. 1.* Ratio 1ª. est ex periculo perversionis vel ipsi coniugi fideli, vel liberis ordinarie imminenti, atque ex *7. Deuter. et 2. Cor. 6. Nolite iugum ducere cum infidelibus.* « Dixi autem *per se* seu extra casum, quo gravis causa occurreret, ob quam recta ratio huiusmodi matrimonium suaderet. Ratio 2ª. est ex eo quod tale ius non irritavit prohibendo, et est comm. DD. sent., cum cultus disparitas ceteroquin non repugnet substantiae matrimonii. Ad 3m. Sed neque iure divino positivo: cum nullus revelatus textus existat id continens: neque divina idem referens traditio; ergo Ratio 4ª. patet ex iis, quae profert Bened. XIV. *Const. Singulari nobis 9. Febr. 1749. ad Card. Eboracen.* § *10.* « *Cum impedimentum illud de iure canonico statutum non fuerit, perquiramus an communi Ecclesiae Catholicae consuetudine susceptum atque firmatum inveniatur. Qua quidem in re omnes sentiunt ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, non quidem iure ss. canonum, sed generali Ecclesiae more, qui pluribus abhinc saeculis in Ecclesia viget ac vim legis obtinet. Consulatur Card. Bellarminus...* ».

184. II. **Limites.** Ut hoc obtineat impedimentum, requiritur, ut saltem *unus ex contrahentibus* sit valide baptizatus, altera vero pars nullatenus. Quod si baptismus unius est dubius cum propter dubium prudens conditionate et secreto ille sit iterandus, id fit sine praeiudicio validitatis matrimonii iam contracti, uti constat ex pluribus responsis *S. C. C. et Inquis. 29. Sept. 1734, 9. Sept. 1868, 18. Sept. 1890.*

Hinc sequitur *a*) ob hoc impedimentum non esse verum matrimonium quando alter est baptizatus, alter solum catechumenus; *b*) hoc impedimento teneri etiam haereticos vel apostatas *Bened. XIV. Const. cit.* § *1*; *c*) cum agitur de matrimoniis mixtis, vel admittendis heterodoxis in sinum Ecclesiae, non est negligendum rigidum examen, an haeretici illi verum baptisma susceperint; quia si constaret heterodoxum pertinere ad sectam e. g. Quacquerorum, quae nullo modo baptizat vel certe cum forma substantialiter vitiata, perinde iam foret, ac si esset ethnicus *S. C. S. Off. 17. Nov. 1830.*

185. III. **Cessat** hoc impedimentum *a*) si pars infidelis vel solum baptizetur in quacumque christiana secta; *b*) vel si R. Pontifex dispensat a sua lege irritante, modo ad liceitatem adsit iustissima causa et amoveatur periculum perversionis coniugis fidelis, et proles in christiana religione educetur: atque probabilis adsit spes conversionis partis infidelis.

Dixi *requiri iustissimam* seu gravissimam *causam:* quia ordinarie periculum adest perversionis: praeterquamquod 1) animorum coniunctio propria matrimonii: 2) bonum prolis: 3) pax, tranquillitas, felicitas temporalis curanda inter coniuges utriusque partis verae religionis i. e. catholicae exercitium exigat.

B. DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIUM IMPEDIENTIBUS.

Summarium. — Impedimenta impedientia octo recensentur: 1. sacratum tempus, vetitum Ecclesiae, sponsalia, votum, cultus disparitas seu mixta religio, dissensus parentum, omissio trium denunciationum, inscitia elementorum christianae religionis: quorum sextum et octavum si reducantur ad Ecclesiae vetitum, erunt sex hisce versibus:

> Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum,
> Mixtaque religio, si proclamatio desit.

186. I. **Ecclesiae vetitum** est « *interdictum Ecclesiae speciale,* quo matrimonium quibusdam personis auctoritate Ecclesiae redditur illicitum ex causa legitima ». Dicitur *auctoritate ecclesiastica,* quae potestas competit *a*) Romano Pontifici, qui etiam cum clausula irritante seu sub poena nullitatis matrimonium interdicere valet; *b*) competit Episcopo ex rationibus expressis in Instr. austr. § 67: « Quando fundata habetur suspicio, nupturientibus impedimentum quoddam obstare, sive in metu est ne nuptiae magnis litibus, vel scandalis, aliisve malis ansam praebiturae sint; sacrorum antistiti ius competit et respective obligatio incumbit matrimonii celebrationem interdicere. Quamdiu interdictum ab eodem sublatum non fuerit, matrimonium contrahere illicitum est ». *c*) Etiam parochus potest impedire, praesertim si matrimonio opponatur impedi-

mentum: extraiudicialiter scilicet interdicere, imo debet ex officio, donec causa discutiatur et decidatur a iudice ordinario. Dixi *redditur illicitum,* scilicet sub mortali, modo prohibitio non fiat levi de causa. Dixi ex *causa legitima,* e. g. suspicio impedimenti dirimentis vel etiam impedientis, si graves inde timeantur rixae, inimicitiae, scandala... et cetera ex Instr. Austr. modo indicata. Huc reduci possunt sqq.

187. II. Causa **Dissensus parentum** iusta, quoad filios familias *c. 1. Cau. 30. q. 1. Conc. Trid. Sess. 24. c. de Ref. matr.* quin imo ob hanc causam invalida sunt sponsalia de futuro.

188. III. **Catechismi ignorantia** seu inscitia elementorum christianae religionis *Rit. rom. tit. de matr.;* unde parochus interdicere potest non solum si imped. opponatur, si documenta desint Ecclesiae lege requisita, si sponsi indigne sacramentum suscepturi cognoscantur, si quis matr. inire vult cum nominatim excommunicato... sed etiam si catechismi scientia sufficiens in sponsis non reperiatur.

189. IV. **Sacratum tempus** seu clausum, quod est illud cuius termini definiuntur Conc. Trid. « Ab adventu D. N. Iesu Christi usque in diem Epiphaniae, et a feria IV. cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus praecipit, in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit ». Hinc sequitur quod tempore vetito

Non licent solemnis sponsae benedictio infra missam fieri solita, festiva et publica eiusdem traductio in domum et ecclesiam, convivia splendidiora et alia laetitiae profanae indicia, quia haec veniunt nomine solemnium nuptiarum:

Licet vero ipsa matrimonii contractio atque consummatio, aut denuntiatio, aut privata sponsae ad domum sponsae deductio: cum iuxta *Rit. Rom.* atque ex Ecclesiae more quocumque tempore matrimonium contrahi possit.

190. V. **Sponsalia** cum alio aliave inita *c. 17. de sponsal.* Nam priora sponsalia certa et valide inita non modo dirimunt matr. inter unum ex sponsis et consanguineos alterius usque ad 1.^{m} gradum, sed etiam impediunt *a*) ne nova fiant; quod si fiant, illicita sunt proindeque et invalida *c. sicut 22. de sponsal.* Cum enim suam fidem totam uni quis obligaverit, eamdem al-

teri obligare non potest: sed etiam impediunt matr. cum tertia alia quacumque persona, licet si contrahatur, fiat validum. Impedimentum impediens non tantum sponsalia, sed consequenter matrimonium cum qualibet alia tertia persona, dici solet: *nihil transeat.*

191. VI. **Omissio trium denunciationum**, quae ex Trid. *sess. 24. c. 1. eod.* praemittendae sunt, nisi Episcopus dispenset, est impedimentum impediens scilicet, Publicae denuntiationes tribus diebus, continuis dominicis vel festis, fieri debent inter missarum solemnia a proprio parocho de certis personis, inter quas matrimonium contrahi proponitur. Porro ad has parochus graviter tenetur, ut patet ex gravium tenore verborum, atque ex poenis gravissimis e. g. suspensione per triennium ab officio infligenda sacerdoti, qui sine proclamationibus assistere audet; ut praeteream aliorum e. g. testium poenas satis graves.

192. VII. **Votum simplex castitatis** *c. 6. Qui clerici vel voventes.* Hoc votum simplex intelligitur non solum quod emittitur in congregatione religiosa, aut in ordine religioso proprie dicto, cum illud praemittunt ceu praeambulum ad vota solemnia, sed etiam quod privatim extra claustrum emittitur votum scilicet vel perpetuae castitatis, vel sacri ordinis suscipiendi, vel ingrediendi religionem, vel non nubendi. Porro ligatus his votis, licite non contrahit matrimonium nisi dispensatio (et quidem quoad votum perpetuae castitatis et ingrediendi religionem ab ipso R. Pontifice) legitime impetretur.

Si quis ergo ligatus uno ex his votis nuptias contrahat, profecto graviter delinquit ita, ut etsi valeat matrimonium, hoc contracto, voti obligatio non semper penitus extinguatur. Nam

1°. *Qui emisso castitatis voto* sine dispensatione matrimonium contraxit, nequit petere debitum coniugale, quamvis reddere debeat: quod si prima vice iam petiit et consummavit, vel aliter virginitatem amiserit, non solum reddere sed et petere potest. Attamen, mortuo coniuge, ipsis ad alias nuptias transire non licet, etsi pro priori matrimonio dispensationem impetrasset: opus est igitur nova dispensatione.

2°. Si quis ligatus *voto non nubendi* matrimonium contra-

xit, votum quidem violavit, sed is neque ab usu coniugii, neque probabiliter a secundis nuptiis interdicitur, quia voti observatio iam impossibilis facta est.

3°. Si quis *votum ingrediendi religionem* emisit, ante matrimonii consummationem religionem ingredi atque ab usu matrimonii abstinere omnino tenetur: ast matrimonio semel consummato et reddere et petere debitum potest, ita tamen ut matrimonio etiam consummato, religionem adhuc ingredi teneatur quoties, illaeso compartis iure, id fieri potest.

4°. Tandem qui *votum* emisit *suscipiendi ordines,* tenetur, si possit ordines suscipere, obtento uxoris consensu. Si vero nolit haec consensum dare, aut aliter non possit recipere ordines, matrimonium consummare potest.

Notamus duo postrema vota, soluto per obitum matrimonio, reviviscere.

VIII. **Impedimentum mixtae religionis.**

Summarium. — 1) **Quid sit,** 2) **quo iure existat,** 3) **cessatio, dispensatio huius impedimenti.** 4) **Ad hanc dispensationem cautelae, iustae causae;** 5) **quid servandum quoad ritum.**

193. I. **Quid sit.** Est prohibitio Ecclesiae ne fideles cum acatholicis matrimonia contrahant, licet contracta valida sint. Merito autem Ecclesia haec prohibuit: *a*) adest enim semper vel fere semper periculum perversionis partis catholicae, quae cum individuam vitae consuetudinem cum coniuge servare debeat, manifesto se periculo exponit religionem suam unice veram vel negligendi, vel ab ea omnino deficiendi. *b*) Insuper semper vel fere semper sequitur inde nasciturae prolis prava institutio: nam etsi haec institutio promittatur danda in catholica religione, tamen experientia diuturna testatur educationem malum exitum semper habere sive parentis acatholici exemplo, sive catholici inertia atque neglectu. *c*) Adest quoque flagitiosa communio in rebus sacris. Dixi *valere haec matrimonia* si contrahantur: quia nulla lege ecclesiastica aut consuetudine declarantur irrita; imo supponuntur valere pluribus iuris loci e. g. *c. decrevit 14. de Haereticis in 6.* ubi mulieres nuptae haereticis dicuntur quidem privandae dote, sed non separandae, et *Ur-*

ban. VIII. 13 Mart. 1630 statuit tolerari posse mulieres haereticas, quae maritos habent catholicos, cohabitare arbitrio Ordinariorum, quamdiu fuerit aliqua spes conversionis et nullum perversionis periculum.

194. II. Porro illicita seu **prohibita** sunt *a*) **ecclesiastico iure**; ut constat ex pluribus Conciliis, quorum sanctiones confirmavit *Bonifac. VIII. cit. c. decrevit:* unde Bened. XIV. haec matrimonia vocat detestabilia, quae s. mater Ecclesia perpetuo damnavit, atque interdixit *Const. Matrimonia 4 Nov. 1741. § 3.* et *Const. Magnae nobis 29 Iun. 1748: b*) *ipso iure naturali,* si adest periculum perversionis coniugis catholici, vel malae educationis prolis in haeresi, aut etiam gravium iurgiorum inter coniuges. Haec autem generalis prohibitio talis non est, quae suas exceptiones seu dispensationes non admittat; si dictae causae praecipuae prohibitionis cessant, et aliunde occurrant iustissima motiva dispensandi.

195. III. **Cessatio** huius impedimenti simpliciter habetur per acatholici conversionem antecedenter ad matrimonium. Non potest autem dici cessare per consuetudinem longissimi temporis: quia, ut recte monet Bened. XIV., vix evenire potest, ut a connubiis catholicorum cum haereticis ea amoveantur pericula, quae cum ipsis plerumque coniuncta esse solent: dicta namque consuetudo corruptela potius dicenda est. Et fuerunt quidem praesertim in Germania, qui hanc consuetudinem adseruerunt; sed haec sententia nequit dici amplius probabilis post tot S. Sedis documenta. Sufficit vel ad unam *S. Off. instruct.* provocasse, quae data est *an. 1871 ad Archiep. Corcyren.*

Unde restat inspicere casum particularem, an in eo rationes, quibus haec coniugia sunt illicita iure naturae, sublatae fuerint, aut de facili tolli queant.

196. IV. **Cautiones praestandae.** Quod si in casu singulari rationabiliter expectari potest periculum proximum tum coniugi catholico, tum proli imminens periculum vel cessare, vel saltem posse mutari in remotum; a sponsis praestari debent *opportunae cautelae,* quae ad hasce tres reducuntur sponsiones ab contrahentibus faciendas. Scilicet pars haeretica scriptam assecurationem, quam vocant, edere tenetur, qua promittit se permissurum comparti 1) usum liberum religionis catholicae,

2) atque in eadem educaturum omnes utriusque sexus liberos. 3) Contrahens vero catholicus insuper polliceri debet se effecturum fore, ut efficaciter procuret conversionem contrahentis acatholici. Et haec cautio opportuna de qua *S. C. S. Off. 30 Iun. 1842* « cautionem opportunam esse ait talem promissionem, quae in pactum deducta praebeat morale fundamentum de veritate executionis, ita *ut prudenter eiusmodi executio expectari possit* ». Quae cautiones, si unquam requirendae, nunc maxime, cum leges civiles praescriptionibus Ecclesiae nullum praestent auxilium.

Causae esse debent praeter dictas cautiones. Si enim desint causae iustae, quamvis conditiones ceterae adsint, dispensatio impertiri non solet. Tres praecipuae dispensandi causae solent adsignari a DD. i. e. 1ª. spes sopiendi graves discordias: 2ª. spes alicuius magni boni pro Ecclesia: 3ª. spes conversionis coniugis haeretici; addunt 4ª. si mulier nequeat inter catholicos reperire coniugem paris conditionis: cf. alias penes *Zitelli de Disp. matr.*

V. Quid servandum quoad *ritum. a*) In mixtis nuptiis Pius VI. ep. ad Archiep. Mechlin. prohibuit *publicationes. b*) Prohibentur etiam caeremoniae, quae sunt in Rituali Rom. ab initio usque ad Missam, scilicet receptio consensus per verba: *ego vos coniungo,* benedictio anuli et ceterae orationes: *c*) benedictio nuptialis et quae habentur in missali una cum missa pro sponso et sponsa: *d*) aliae sacrae caeremoniae seu ritus, quibus iuxta Rit. dioec. celebratur matrimonium: *e*) matrimonii celebratio in Ecclesia aut sacristia *Instr. S. C. Inq. penes Gury v. 2. n. 829,* sed extra Ecclesiam aut in *cappella: f*) tandem usus alicuius vestis sacrae ex parte parochi, e. g. superpellicei et stolae.

Notandum denique quod obtenta dispensatione ab hoc impedimento, nequeunt coniuges vel ante, vel post matrimonium coram parocho initum, adire ministrum acatholicum *S. C. S. Off.* ad Episcopos Regni Hannoveriani *17 Febr. 1864,* adeo ut pars catholica, quae matrimonium cum acatholica iniit coram acatholico ministro *uti sacris addicto,* excommunicationem Romano Pontifici simpliciter reservatam incurrat (1).

(1) Ex recensione supradictorum impedimentorum patet esse quaedam

ARTICULUS III.

DE DISPENSATIONE IMPEDIMENTORUM.

Summarium. — 1) In quibus causis Romanus Pontifex dispensationem concedit 2) circa impedimenta impedientia quibus de causis, 3) quae impedimenta dirimentia dispensat et causae dispensationi sufficientes.

Praenot. 1) Cf. DD. in tit. *de spons.* vel in tit. *de matrim. contracto contra Interd. Eccl.* et qui hac de re tractatus speciales edidere, nominatim Pyrrhus Corradus, Vincent. de Iustis, Zitelli, Mansella, Van de Burgt, Aichner in compend. Iur. can. Giovine etc.

2) Distinguenda est dispensatio a cessatione *simpliciter*, e. g. in impedimentis aetatis, ligaminis; quae tractu temporis cessant, vel per abrogationem vel derogationem, per consuetudinem, ut accidit quoad plura impedimenta impedientia.

Quaer. an imped. dirimentia consuetudine abrogari valeant, cf. dissensionem AA. penes Schmalz. in t. De Spons. n. 278.

3) Porro dispensatio in hac materia triplicem actum significare solet. Nam 1. significatur facultas, quae, non obstante impedimento, fit nuptias ineundi, seu actus potestatis, per quam id, quod impedimentum est, desinit pro certis personis in futurum, sive, ut aiunt, *ex nunc*, habere rationem impedimenti; 2. significatur actus potestatis, quo solvitur vinculum matrimonii rati, qui actus minus proprie dispensatio est, cum potius aufertur subiectum legis, quam ipsa lex; 3. si-

impedimenta, quae uno tantum modo solvuntur e. g. impedimentum erroris, metus, ligaminis: alia plus uno modo sc. dispensatione, cessatione causae, trahendo moram; puta impedimentum conditionis quod solvi potest tum libertate, tum dispensatione; impedimentum disparitatis cultus conversione et dispensatione, impedimentum aetatis dispensatione et expectando tempus pubertatis. In impedimento tamen disparitatis cultus proprie dictae dispensatio non conceditur nisi gravissima ex causa e. g. quando matrimonium civile iam contractum est et proles nata. *Dispensatio* porro est modus ordinarius, qui longe maiorem impedimentorum numerum respiciat: de qua art. 3.

gnificatur actus potestatis, qua sanatur matrimonium in radice. Nos heic agimus de dispensatione 1° et 3°. sensu accepta.

197. *Declaratur et prob. 1m.* Romanus Pontifex **iure gaudet dispensandi,** quia ipse unus legislator. Tale ius ei adserit constans et perpetua traditio, praxis item constans et perpetua Romanae Sedis: semper enim, Romanus Pontifex exercuit et proclamavit hanc sibi a Deo factam facultatem.

In quibus causis. Resp. *a) Non potest dispensare* in impedimentis dirimentibus iure naturae primario aut iure divino positivo constitutis. *b) Iure* dispensandi *potitur super omnibus* impedimentis dirimentibus, quae certo sunt *iuris ecclesiastici;* cum ipse sit supra omnes humanas leges divinitus constitutus; et ut *Innoc. III. c. 4. de Concess. praeb.* dicat: « Qui secundum plenitudinem potestatis de iure possumus supra ius dispensare ». *c)* Impedimenta *in quibus numquam dispensatur,* sunt ea, de quibus controvertitur an ex iure divino proveniant, e. g. consanguinitas primi gradus lineae transversae, primus affinitatis gradus lineae rectae ex copula licita, e. g. inter socerum et nurum. *d)* Alia sunt, in *quibus raro dispensatur* ex gravi causa, e. g. clandestinitatis, crimen utroque vel alterutro machinante, si machinatio occulta mansit. *e)* Dispensare porro *frequenter solet* in impedimentis consanguinitatis et affinitatis, exceptis gradibus, de quibus supra. Idem plus minusve de impedimentis impedientibus dicendum.

Porro organa per quae Romanus Pontifex solet dispensare sunt. 1. Dataria pro foro externo in publico tantum impedimento. 2. S. Poenitentiaria, quae nativo iure dispensat pro foro interno in occultis *Benedict. XIV. Constit. Pastor bonus 13 Apr. 1744:* speciali facultate dispensat et pro foro externo favore pauperum in impedimentis consanguinitatis quoad gradus collaterales, excepto 1°. gradu aequali, in impedimentis affinitatis, publicae honestatis, criminis sub clausula *dummodo neuter in prioris coniugis necem machinatus fuerit.*

198. *Declaratur et prob. 2m.* Ex impedimentis **impedientibus** duo sunt iuris ecclesiastici, a quibus patet quatenus dispensare valeat, i. e. quoad *vetitum* et *sacratum tempus.* Duo sunt iuris divini aut naturalis, scilicet *sponsalia* et *votum.* Iamvero quoad sponsalia Romanus Pontifex gaudet iure dispen-

sandi fidem sponsalitiam alicui datam: quodque ipse solus gaudeat, patet ex eo quod potestatis socialis supremae competit posse iuribus quaesitis subditorum derogare ob commune bonum, imo debere quandoque ob excellentius bonum, quod in ea societate intenditur. Potest insuper Romanus Pontifex dispensare in matrimonio rato: ergo a fortiori in sponsalibus.

Quod possit Romanus Pontifex dispensare in voto, vel potius declarare voventi per promissarium, nempe Deum, remitti promissionem obligationis hisce in adiunctis patet: praeter enim casum obligationis cessantis ob materiae mutationem, aut ob irritationem ex voluntate illius, qui potestatem dominativam habet in alterum, debet admitti alius modus per dispensationem quamdam: omnis quippe lex humana interdum indiget dispensatione; ergo et votum, quod est quasi privata lex humana. Ergo potest Romanus Pontifex dispensare in voto. *Cf. Suarez de voto l. 6. c. 9. n. 8.*

Requiritur autem **causa sufficiens,** cum relaxatio sit in lege superioris. Et cum raro contingat causam sufficientem adesse, et quia etiam aequa commutatio voti castitatis et religionis difficilis sit, usus frequentior est, ut cum aliqua commutatione dispensetur. Dixi requiri causam et quidem ad validitatem in lege superioris.

Quaenam sint huiusmodi causae regula generalis est, ut ratio habeatur honoris Dei, utilitatis Ecclesiae et Spiritualis voventis, ut quantum fieri potest per dispensationem aut commutationem, ea bona compensentur. In specie a DD. recensentur 1. periculum valde magnum incontinentiae, praesertim in foeminis, si sint pauperes et pulcrae atque orbatae parentibus; 2. difficultas valde notabilis exequendi votum; 3. maius bonum communitatis, quod speratur a nuptiis.

Dispensatio ad nubendum non solet concedi absolute, sed partialis seu limitata ad primum matrimonium validum: quandoque est limitata ad certas personas ob causam illas afficientem: tunc extra eas non valet dispensatio... sed de his aliquid supra innuimus.

199. *Declaratur 3^m^.* Quoad impedimenta **dirimentia** 1) *iuris naturalis et divini regulariter nec Romanus Pontifex* dispensandi potestatem habet, nisi impedimentum supponat determinatio-

nem humanae voluntatis. Communiss. TTh. et Can. et prob. *c. inferior 4. dist. 21. c. 6. 7. 8. Cau. 25. q. 1. c. 16. de maior. c. 13. de Restit. spol.* tum quia inferior nil potest in lege superioris, ni specialiter ipsi concedatur, tum quia praxi sua Ecclesia numquam dispensavit, etiam cum gravissimae occurrerint causae. Dixi *regulariter*, quia ligamen matrimonii rati et professio religiosa, licet sint iuris naturalis, ab eo possunt relaxari.

2) *Potest tamen* Romanus Pontifex *in omnibus* impedimentis dirimentibus *iuris ecclesiastici* absolute dispensare; quia ipse est conditor iuris et omnis lex ecclesiastica ab ipso vim habet *c. 8. de consang. et affin. c. 24. de sent. excomm. in 6.* Dixi *absolute,* quia ut vidimus, in quibusdam nunquam dispensat, in aliis dispensat quidem sed non solet nisi ob gravissimam causam et difficillime: in aliis saepe et facile.

3) Etsi ad valorem dispensationis absolute nulla iusta causa requiratur, si Romanus Pontifex ex plenitudine potestatis agere velit; ad liceitatem tamen et honestatem tanto gravior requiritur causa, quanto gravius est impedimentum. Inferior autem Romano Pontifice, ab hoc accepta facultate dispensandi, non potest valide dispensare sine iusta et gravi causa.

4) Porro causae distinguuntur I. in *publicas* et *privatas;* hae se tenent ex parte mulieris seu sunt in eius favorem, licet ex iisdem quaedam possint et pro viro allegari: II. in *honestas,* quae nullius delicti notam habent, et *infamantes,* quae originem habent ex delicto oratorum, vel eorum nituntur infamiae: III. in *finales* et *impulsivas:* finales sunt, quae superiorem movent ad dispensandum ita, ut sine iis dispensatio, aut nullatenus aut nonnisi sub certis conditionibus et limitationibus concederetur: impulsivae sunt, ob quas superior non quidem ad dispensandum movetur, sed ob quas facilius solum dispensat, ut sine iis quoque dispensaret. Causa necessaria ad valorem est finalis ita ut, si in ea etsi bona fide erretur, nulla sit dispensatio illi causae innixa.

5) **Praecipuae causae** recensentur seqq. 1. angustia loci, cuius foci non sunt plusquam 300, sive cuius incolarum numerus non excedit 1500; 2. aetas foeminae superadulta si an. 24 aet. iam egressa hactenus virum paris conditionis nunc

non invenit; 3. est defectus dotis, si scilicet foemina non habet actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus, neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. 4. Paupertas viduae gravatae filiis. 5. Bonum pacis familiarum stabiliendae vel confirmandae. 6. Revalidatio matrimonii bona fide contracti. 7. Nimia, suspecta, periculosa familiaritas, vix distincta ab alia causa, quae est *infamia mulieris* ex suspicione orta. 8. Infamia mulieris ex copula habita: scandala inde timenda. 9. Remotio gravium scandalorum. 10. Cessatio publici concubinatus, cum tunc habeatur ratio scandali removendi. 11. Periculum matrimonii mixti vel coram acatholico ministro celebrandi. 12. Periculum incestuosi concubinatus. 13. Periculum matrimonii civilis. 14. Praerogativae regiae dignitatis. 15. Conservatio illustris familiae ex eodem sanguine. 16. Conservatio amplissimae haereditatis inter familias illustres. 17. Bonum pacis inducendae aut conservandae inter familias illustres, quarum scilicet concordia necessaria sit, aut utilis reipublicae. 18. Excellentia meritorum in Ecclesiam. 19. *Componenda,* quam oratores solvant ad piam causam.

Summarium. — 1) **Quoad petitionem quaer.** α) **cui, et a quo:** β) **qua forma facienda petitio sit:** γ) **quaeque in ea sint exprimenda.** - 2) **Quoad concessionem** *a*) **sub qua forma et clausulis concessio fiat; et** 3) **executioni qui sit dispensatio mandanda.**

200. *Declaratur* I^m^. **Petitio.** Si sufficientes adsunt causae, supplex libellus ad legitimum superiorem, qui potest dispensare, mittendus est. Quoad romanas dispensationes prae reliquis differentia notanda est inter dispensationes a Dataria obtinendas et dispensationes a Poenitentiaria. Dispensatio pro foro externo et in impedimentis publicis a Dataria; in occultis impedimentis et pro foro interno a S. Poenitentiaria dispensatio petenda est (1). Unde primum videndum, an pu-

(1) Ex ordinaria facultate (licet extraordinaria plus possit) Card. Poenitentiarius Maior dispensare potest in impedimentis occultis sequentibus (ideoque dispensatio in iis peti potest fictis nominibus).

blicum vel occultum sit impedimentum. Sunt enim quaedam natura sua publica e. g. consanguinitas, affinitas ex copula licita: *b*) quaedam sunt publica si maiori parti communitatis constant per notorietatem iuris (per sent. vel confessionem iudicialem) aut facti, ita ut evidenter communitati ignota esse non possent. Quaedam tandem impedimenta censentur publica, quia ita per rumorem, famam, praesumptiones divulgata sunt, ut nonnisi cum scandalo nuptiae celebrari possint. E contra impedimentum occultum omnino dicitur, quod nullatenus per duos saltem testes probari potest: simpliciter occultum, quod paucis tantum notum est (1).

In ordine ad *contrahendum matrimonium* in impedimentis *prohibentibus,* nominatim voti simplicis castitatis, ingrediendi ordinem religiosum, suscipiendi sacros ordines, numquam ineundi matrimonium, in impedimento prohibente ex sponsalibus, in denuntiationibus, in impedimento *dirimente* honestatis publicae ex sponsalibus, affinitatis ex copula illicita, in impedimento criminis, super circumstantia occulta incestus.

In ordine ad *revalidandum matrimonium nullum* dispensare potest in praemissis; insuper in gradu II. consanguinitatis et affinitatis ex copula licita, si impedimentum saltem per decennium duraverit *occultum* et oratores simul publice contraxerint et convixerint, et uti coniuges legitimi reputati fuerint: in gradu III. et IV. occultis: in iisdem III. et IV. gradibus *publicis* revalidare potest matrimonia ex causa obreptionis vel subreptionis *occultae* Literarum Apostolicarum nulliter contracta... in impedimento cognationis spiritualis. Super casibus quibusvis occulti impedimenti ad petendum licite debitum.

(1) Quandonam impedimentum *publicum,* ait Van de Burgt (de dispens. mat. n. 11) dicitur, quando *occultum?* Signum distinctivum inter utrumque impedimentum in eo est, quot personis manifestum seu notum sit... Bened. XIV. Inst. 87, n. 40, ut autem determinetur quot personis notum esse possit, ut nihilominus occultum dicatur, et quot personis notum esse debeat, ut dicatur publicum, necessarium est perscrutari quid vocabulo occulti impedimenti a sacro Tribunali Poenitentiariae, quae dispensat in occultis, intelligatur.

A. Impedimentum quod notum est duabus vel tribus in parvulo loco, quinque aut sex personis in parva urbe, septem vel octo in civitate, occultum dici potest in respectivis illis locis, modo non habeatur divulgationis periculum, seu modo non appareat ex circumstantiis rem quidem nunc occultam facile famam publicandam. E contra dum pluribus personis in memoratis locis notum est, vel esto pluribus notum non sit, modo habeatur manifestationis periculum, impedimentum publicum dicitur. Ut iudicetur num immineat periculum divulgationis, animadvertendum est, qualibus

Ab ipsis oratoribus, vel ab horum confessario aut parocho, mediante episcopo, ad aliquem mandatarium (vulgo *agente ecclesiastico*) Romae degentem mitti debet supplex libellus. Vetitum est autem sub poena nullitatis, ne oratores post aditam unam congregationem, quae gratiam negaverit, vel quam contrariam habituros suspicentur aliam adeant, ut tamquam minus informata, ipsis concedat quod altera vel denegavit vel denegasset. *Innoc. XII. Decr. 4 Iun. 1693.*

Exprimenda porro sunt etiam sub poena nullitatis, quae de iure vel consuetudine aut stylo Curiae exprimenda sunt, scilicet, 1. Nomen et cognomen oratoris utriusque distincte, integre ac nitide. 2. Dioecesis originis vel actualis domicilii. 3. Species etiam infima impedimenti. 4. Gradus consanguinitatis vel affinitatis aut honestatis: ortus ex matrimonio rato, et an sit simplex vel mixtus gradus, non tantum remotior sed etiam propinquior. 5. Numerus impedimentorum si duplex aut multiplex adsit impedim. 6. Variae circumstantiae, an matrimonium sit contractum vel contrahendum. *Instr. S. Congreg. de Prop. F. 9 Mart. 1877,* ubi addebatur incestuosa copula necessario exprimenda in supplicibus literis: quod mutatum est per decret. *S. Off. 25 Iun. 1885* a SSmo P. Leone XIII. probatum.

201. *Declaratur 2m.* Sub triplici **forma** fit concessio, scilicet alia dispensatio est in forma *gratiosa,* alia in forma *com-*

personis cognitum sit impedimentum, num personis consanguineis, amicis, inimicis, loquacibus, prudentibus, imprudentibus etc. Ex his concludi potest, non occultum, sed publicum dici impedimentum, quod a) *notorium* est *iure,* id est, quod constat ex confessione rei in iudicio aut ex sententia iudicis: quod b) *notorium* est *facto,* seu quod constat quia publice factum est, seu absque iudiciali notitia publicum est, ideoque nulla tergiversatione potest celari: quod c) est *manifestum,* seu quod aliquibus personis certo constat et insuper certo rumore per communitatem spargitur. Cfr. Marcus Paulus Leo... apud Bened. XIV. *Instit. 87, n. 40:* quod d) famosum est, seu quod publica fama licet ut dubium, attamen gravibus innixum motivis divulgatur et creditur a prudentibus....

B. Impedimentum omnino occultum illud est, quod solis oratoribus innotescit. In rescripto dispensationis super impedimento criminis ex coniugicidio, clausula inseri solet: *dummodo impedimentum omnino occultum sit:* quo casu necessarium est, ut delinquentibus solis innotescat.

Porro quod occultum quidpiam esse possit *materialiter* aut *formaliter*.... Cf. lib. nostr. Isagog. n. 103.

missoria, alia in forma *mixta:* prior est cum *ipsa Apost. Sedes* directe *dispensat* ita, ut aliud non restet nisi dispensationis executio. Altera est cum Sedes Apost. alicui delegato potestatem confert aliquem dispensandi ita, ut *tunc* dispensatio *data* dicatur, *cum ipse delegatus* ex potestate sibi facta *dispensat.* Tertia est cum Sedes Apostol. petitioni *annuit,* mandans delegato, ut dispenset, verificatis precibus, et quibusdam sub conditionibus: qua ultima *uti solet hodie* Apost. Sedes.

Quoad rei familiaris, qua oratores fruuntur, conditionem, item triplex distinguitur forma, qua Dataria dispensationem concedit: 1. pro nobilibus i. e. pro principibus et illustribus; 2. forma communis pro aliis divitibus; 3. forma pauperum pro canonice pauperibus. Si dispensatur in forma pro nobilibus, aut in forma communi, maior taxa, pro diverso gradu nobilitatis vel facultatum solvenda est. Pauperes vero, causa gravi subsistente, gratis dispensantur, modo verificentur conditiones, quod sint *miserabiles* ac de labore manuum tantum vivant. Si paupertas oratorum falso allegetur dispensatio a Dataria impertita valida censenda est. Secus de Poenitentiaria: ubi si Poenitentiarius Maior pro foro externo vi concessae sibi potestatis dispenset, invalide dispensat, ex defectu potestatis dispensantis, qui nonnisi pro pauperibus dispensare potest. Ceterum qui in forma pauperum a Dataria dispensari volunt, testimonium paupertatis a suo parocho datum et ab Ordinario confirmatum supplicationi adiungere debent.

Clausulae plures inseri solent dispensationibus matrimonialibus, quarum aliae continent *conditiones* sub peccato et dispensationis nullitate servandas, aliae monitionem, cum praecepto sub peccato tantum. Ut hae ab illis dignoscantur, tradunt DD. regulam « esse conditionem, si clausula exprimitur verbis *postquam, si dummodo, non aliter, sic, nec alio modo,* aut ablativo absoluto: vel si clausula continet *quod alias de iure communi necessarium est ad actus substantiam;* aut *secus* nullatenus necessarium ». Quae tamen regula sub limite accipienda est nisi ex stylo Curiae, et rei, de qua agitur, natura, et ex communi DD. sensu aliud constet: e. g. praemissis publicationibus continet monitionem....

Quae porro sint clausulae in specie cf. penes probatos AA. nominatim *Van de Burgt de dispens. matr. n. 75. et seqq.* (1).

202. *Declaratur 3^m.* 1) **Executio** stricte sumpta est applicatio dispensationis concessae, et dici solet ultra montes, *fulminatio*: tamen latius etiam sumitur hic quatenus dicit verifi-

(1) Quid valeant praecipuae clausulae, paucis accipe. 1. *Si ita est, si preces veritate nitantur* dicit 1) quod dispensans non dispenset, neque dispensandi facultatem concedat, si *expositio* a veritate dissonet, hoc est, omnia substantialia, quae fuerunt exposita, si mendacia sunt, vitiant substantialiter dispensationem. Et haec clausula semper subintelligitur: 2) dicit totius casus expositi verificationem instituendam, nisi aliunde rei veritatem, iustamque causam executor cognoverit.

2. *Dummodo impedimentum occultum sit. Modo impedimentum omnino sit occultum. Dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum. Sublata, remota occasione peccandi.* Priores clausulae patet ex supra dictis. Tertia clausula certo vim irritantem prae se fert, cum nuptiis aliud obstet impedimentum. Posterior clausula intelligenda de casu, quo nupturientes versantur in proxima occasione, quae tota relinquenda est, si sit voluntaria; remota autem reddenda, si sit involuntaria necessaria.

3. *Iniuncta gravi, longa, diuturna, perpetua poenitentia salutari:* ubi ad *gravis* ratio habenda est aetatis, conditionis virium, sexus personae, cui imponitur, et ratio criminis ob quod imponitur. Imponi autem potest ut ter Rosarium recitet qualibet hebdomada, ut frequentet confessionem semel saltem in mense. Poenitentia gravis et longa est recitatio coronae singulis hebdomadis per annum; quae recitatio per tres annos esset poenitentia *diuturna*. Tandem perpetua est quae perseverat usque ad mortem.

4. *Imposita confessione semel in mense per tempus Episcopo vel Confessario bene visum,* ubi *per tempus* Episcopo vel... non dicit mero et libero Episcopi aut Confessarii arbitrio relinqui determinare temporis spatium, quo durante confessio menstrua instituenda sit, sed illud determinandum habita ratione delicti et simul conditionis, aetatis et sexus illius cui poena irrogatur. Bened. XIV. *Inst. 87, n. 36, 37, 38.*

5. *Et aliis iniunctis, quae de iure fuerint iniungenda,* quibus monetur executor de imponendis aliis obligationibus, si quae oratoribus ob alia peccata iniungendae sunt, e. g. si restituere teneantur ut restituant, ut reparent scandalum, si...

6. *Praesentibus sub poena excommunicationis laceratis,* ita ut inde apocraphum confectum servari possit, neque ipsum rescriptum authenticum lacerari possit ante executionem, et post executionem: post fulminationem intra tres dies lacerandum ut evitetur excommunicatio.

7. *Neque literas oratori restituas: quod si restitueris, nihil ei praesentes literas suffragentur,* quae ultima verba dicunt literas nullius esse momenti ad probandam impedimenti solutionem in foro externo.

cationem precum, obligationum impositionem, fulminationem ipsam dispensationis, et tandem acceptationem gratiae ex parte oratorum.

2) Literae dispensationis *a*) regulariter diriguntur ad Ordinarium Oratorum seu ad eius Vicarium, aut Officialem, ita ut alter loco alterius literas illas exequi non possit. *b*) Initium et valor executionis desumitur a tempore *praesentatae*, quo scilicet literae executori praesentatae sunt *arg. c. 12. de appell.*, quia Ordinarius seu alius delegatus nulla pollet iurisdictione ad apostolicas literas exequendas priusquam exemplar ipsarum exhibitum ei fuerit *Trid. Sess. 22. c. 5. de Ref.*: ubi dicitur dispensationes etiam in forma gratiosa carere effectu, ni prius ab Ordinario cognoscantur: unde si hic dispensaret ante praesentatas et visas literas, etsi istae reperirentur in manibus oratorum, invalida foret dispensatio, et sic contrahentes indigerent nova dispensatione *S. C. C. 12 Ian. 1606.* Si vero authenticum literarum exemplar perierit, aliud obtinendum et executori exhibendum.

3) *Quaer.* An Ordinarius delegatus possit exequi literas apostolicas, si interea moriatur Pontifex?

Resp. Dist. Si expeditae sint in forma gratiosa *Conc.* gratia enim facta non cessat morte concedentis. Si in alia forma non cessant dispensationes s. Poenitentiariae: at dispensationes Datariae, si nondum literae confectae sint, cessant: si iam literae datae sint a Dataria et res non est amplius integra, eas potest exequi Ordinarius. Si autem res adhuc est integra controvertitur: alii *negant* quia, commissa potestate alicui dispensandi pro certa persona, gratia nondum est facta sed facienda; at gratia adhuc facienda expirat morte delegantis. Alii *verius affirmant*: quia gratia dicitur facta, quando est in forma gratiosa, aut mixta; facienda, cum rescriptum est in forma commissoria. Sed rescriptum dispensationis matrimonialis hodie est semper in forma mixta.

4) Post exhibitas Ordinario literas, hic in primis eas recognoscit; si enim falsae aut dubiae apparent, a fulminatione abstinere debet: tum inquirit an vera sint exposita, ac tandem ad fulminationem devenit, omnes clausulas sedulo servando.

5) In scriptis conficiendum et clare exarandum decretum finale, quo dispensatio conceditur: ac in eo Ordinarius commemorare debet mandatum sibi ab Apost. Sede factum, verificationem et implementum clausularum; tum iniungit ea, quae iniungenda sunt et tandem dispensat expressis verbis auctoritate apostolica.

6) Dispensatio suas vires exserit removens impedimentum, cum Ordinarius subscribit decretum accedente oratorum acceptatione, quam implicitam continet ipsa petitio dispensationis ab oratoribus vel a tertia persona de eorum mandato facta, vel tacito consensu.

7) Extinguitur mandatum Ordinarii 1°. functo munere suo sive bene, sive male: 2°. revocatione ipsi Ordinario intimata ante fulminationem: 3°. renuntiatione Ordinarii facta ipsi Romano Pontifici acceptata. Post fulminationem oratores habiles sunt ita ut neque ipsi, neque Ordinarius, neque S. Congr. valeant restaurare impedimentum.

Haec de executore in foro externo.

8) Pro foro autem interno executio committitur confessario et fulminatio fit in ipso confessionis actu ut praescribere solet S. Poenit. et *viva voce* etsi nil vetet, quominus confessarius formulam legat, quam poenitenti dare non debet. Sed prius examinetur poenitens an vere subsit causa, an aliud extet impedimentum, an cum opus est separatio fieri possit sine scandalo, eique iniungendum, ut occasionem peccati, si adhuc extet, amoveat, non obtenturus dispensationem, donec id fecerit. Tum poenitentia imponenda, absolutio a censuris et poenis danda, et dispensatio, ac si opus est, legitimatio prolis pronuntianda.

Si impedimentum se tenet ex una tantum parte, e. g. votum simplex castitatis, aut si impedimentum est utrique parti commune, sed unius tantum culpam coniunctam habet, e. g. affinitas ex copula illicita, in unam partem impeditam culpabilem fit fulminatio, et ipsa sola confessarium adeat. Si impedimentum sit utrique parti commune, et utraque pars est eiusdem impedimenti conscia et culpabilis, in utramque facienda fulminatio, atque adeo utraque eumdem vel diversum adeat confessarium.

Summarium. — Possunt Episcopi in quibusdam impedimentis dispensare potestate ordinaria: in aliis quibusdam potestate delegata.

203. *Declar. 1^m.* Potestate hac Episcopi gaudent 1. cum impedimentum *dubium* sit *dubietate facti, non iuris.* Dixi dubietate facti: quod dubium si, diligente adhibito examine, perseveret non licet sponsis sub hoc dubio contrahere. Est communis DD. dispensare scilicet posse Episcopos in omnibus casibus sive impedimentis Pontifici reservatis, quando dubitatur an dispensatione opus sit. Quod si dubium oriatur iam inito matrimonio, cum standum sit pro valore actus, nulla requiritur dispensatio.

2. Gaudent in casu urgentissimae necessitatis contrahendi matr. ob quam tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem: idque ex praesumpto et tacito S. Sedis consensu. Comm. DD. apud S. Ligor. *de Matr. n. 1122.* — Huc refer casum, quem perplexum vocant: cum scilicet omnibus iam paratis quae nuptias praevertunt, iam iam conventuris in Eccl. sponsis cum universo comitatu, parochus imped. dirimens detegit et anxius haeret quid faciat. Tunc si illud imped. *a*) *publicum* est natura sua, e. g. consanguinitas, cognatio spiritualis... idque detegat parochus in confessione, monere debet poenitentem officii sui... nec tamen sine poenitentis consensu, confessionis notitia uti potest. Si extra confessionem parochus impedimenti notitiam accipiat, tunc monendi sponsi; res ad Ordinarium deferenda. *b*) Si occultum sit natura sua, quod scilicet sine infamia prodi nequeat, recurrendum est ad Episcopum: si huic recursui tempus non suppetat, et sponsi reperiantur in bona fide, hi relinquendi sunt, donec per S. Poenit. dispensationem obtineat... imo probabilis S. Ligorio et pluribus aliis DD. communiter sententia est « imped. ecclesiasticum in iis adiunctis cessare ». *c*) Si alteruter conscius iam erat impedimenti et mala fide accedit, per se nulla gratia est dignus: at cum urgeat obligatio perturbationis et scandali vitandi, et consulendum sit famae alterius sponsi in bona fide existentis; iuxta quosdam tunc parochus moneat reum, contractum fore

nullum, posse ipsum ponere conditionatum consensum: interim debere abstinere a petendo et reddendo debitum, se autem quamprimum dispensationem petiturum a S. Poenit. vel ab Episcopo.

3. Gaudent in imped. occultis, contracto iam matrimonio, et pro foro interno, modo concurrant sex circumstantiae iuxta Bened. XIV. de Synod. *l. 9. c. 2. n. 3.* « 1°. scilicet ut iam matr. fuerit contractum; 2°. ut contractum fuerit bona fide; 3°. ut sit consummatum; 4°. ut imped. sit occultum; 5.° ut non possit facile adiri prima Sedes; 6.° quod non possit separatio fieri sine scandalo ».

Porro in dictis casibus non modo Episcopus sed et Vicarius Capitularis, non autem Vicarius generalis, nisi absit Episcopus et facile adiri nequeat, possunt, ex tacita voluntate R. Pontificis hanc doctrinam cognoscentis et minime reprobantis, dispensare et alios ad dispensandum delegare, sive in casibus particularibus, sive modo generali.

204. *Decl. 2^m.* Ex potestate delegata, scilicet vi quinquennalium, dispensat Episcopus *a*) in foro externo super *quatuor impedimentis* iuxta tenorem in Indulto Apostolico expressum: *b*) vi triennalium in foro interno episcopus *septem* facultatibus instructus est.

Quoad usum dictarum facultatum et aliarum, quas praesertim remotiores Episcopi nonnumquam in vim specialis privilegii apostolici acceperunt; servanda sunt seqq. 1. Easdem facultates ab Episcopo Vicario suo generali committi posse. 2. Episcopum iisdem valide et licite uti quoad suos dioecesanos, etsi forte ceu peregrini ad tempus degant extra dioecesim; modo clausula dictis facultatibus adiecta non fuerit « intra fines tamen dioecesis ». 3. Si nupturientes ad duas dioeceses pertineant sufficere dispensationem ab uno episcopo obtentam: 4. nullam esse dispensationem Episcopi, ni exprimatur eam ex delegatione fieri.

ARTICULUS IV.

DE CELEBRATIONE NUPTIARUM.

Summarium. — 1. Contractis sponsalibus praesertim immediate ante nuptias, separatio sponsorum urgenda est: 2. nec non sacramentorum susceptio; 3. indicantur nonnulla testimonia afferenda; 4. tandem quo ritu nuptiae celebrandae.

205. *Decl. 1.* Remotis impedimentis, deveniendum est ad celebrationem matrimonii: ast cum post contracta sponsalia morae quandoque etiam diuturnae interseri soleant; maxime cavendum est, ne post sponsalia praesertim cohabitent sponsi non tantum noctu, sed etiam diu *Trid. Sess. 24. c. 1. de R. matr.* Huc refer monitum *Bened. XIV. Instr. pastor.* « ne unquam sponsi sine testibus nec praesertim consanguineis, alloquium simul ineant ».

206. *Decl. 2.* Matrimonium sacramentum est vivorum, atque adeo in statu gratiae recipiendum est: unde parochus hortari debet sponsos ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante consummationem matrimonii sua peccata diligenter confiteantur, et ad SS. Eucharistiae sacramentum pie accedant. Trid. *l. c.* hortatur parochus ad id obtinendum a sponsis: ergo non potest exigere confessionem. Et merito, quia sponsi, quin confiteantur, in statu gratiae esse possunt *S. C. C. in Moguntina 28 Aug. 1852:* si scilicet sponsi pertinaciter insisterent se velle recipere matrimonii benedictionem sine confessione, et tunc parochus potest benedicere matrimonio, *exclusis casibus a iure praevisis* (ut habet c. C. C.); qui sunt: 1. si quis est publicus vel notorius peccator; 2. si quis in contemptum Ecclesiae confessionem respuit; 3. si ex matrimonio sine praevia confessione inito scandalum oriatur. Ubi vero consuetudo aut lex particularis adest, parochus vel confessionem, vel eius peractae testimonium exigere debet.

207. *Decl. 3.* insuper ante matrimonium sponsi afferre debent:

1. Testimonium baptismale; nisi in loco ubi contrahunt sint nati:

2. Testimonia, quae circa nuptias minorennium, extraneorum, viduarum, militarium, eorumque, quibus vel licentia politica vel superioris venia necessaria est, lex civilis forte exigat.

3. Etiam fides fieri debet de obtenta dispensatione, de morte prioris coniugis, de statu libero. Quae omnia in protocollo examinis recenseri debent.

4. Addendum est testimonium de proclamationibus aliis in locis ex legum praescripto factis.

5. Si altera pars est ex aliena parochia, debet afferre et testimonium sui parochi, se esse sufficienter instructam in religione, atque in sacramentis recipiendis adsiduam. Si a parocho proprio alius delegetur sacerdos, ut assistat matrimonio, literae dimissoriales offerendae sunt.

Post haec deveniendum ad celebrationem matrimonii, cuius substantialis forma in eo est, ut contrahentes de iure habiles coram parocho proprio utriusque vel unius partis, aut alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus consensum declarent, i. e. verbis de praesenti vel saltem signis.

208. *Decl. 4.* Ast quoad accidentalia et caeremonias, quae ipsam matrimonii celebrationem comitari solent, et subsequuntur immediate, hae continentur in Rituali et in Missali romano. Quandoque ipsae caeremoniae appellari solent benedictio nuptialis: sed proprie benedictio nuptialis est, quae continetur in Missali, dari solita in Missa post initum matrimonium.

Etsi ad validam matrimonii celebrationem passiva parochi assistentia omnino sufficiat, tamen et in locis, ubi non viget Trid, iuxta antiquissimam Ecclesiae praxim, activa quoque parochi interventio requiritur, ritum nuptiarum praecise servando. Praecipua huius ritus in eo sunt, ut parochus praemissis bannis veste talari, superpelliceo et stola alba indutus, sponsos, audito eorum consensu, iuxta laudabiles consuetudines dioeceseon coniungat *verbis* cap. Tametsi *indicatis et Rit. Rom. receptis:* eisque simplicem saltem benedictionem impertiatur. *Dixi benedictionem simplicem,* quia benedictio nuptialis solemnis non potest abstrahi a Missae celebratione, neque dari potest extra Missam, nisi adsit concessio specialis S. Sedis. *Missale: Missa pro Spons.*

ARTICULUS V.

DE MATRIMONII REVALIDATIONE.

209. Praen. 1. Post celebratum matrimonium, iam bona fide saltem ex una parte initum, si detegatur quod ob impedimentum aliquod dirimens sit nullum et irritum, remedia ipsi apponenda sunt. Haec autem pro varietate adiunctorum temporis, personarum, quae post agnitum impedimentum volunt vel non in matrimonio manere, vel quae bona fide adhuc manent... *varia* sunt e. g. declaratio nullitatis, cohabitatio ut frater et soror, dissimulatio et praesertim reconvalidatio. Dixi *bona fide initum,* quod intellige pro remediis applicandis etiam matrimonio, quod sponsi legibus Ecclesiae spretis, mala fide attentarunt, et postea Deo et Ecclesiae reconciliari cupiunt. Dixi *praesertim reconvalidatio*, quia ut consulatur validitati matrimonii in posterum, hoc est remedium ordinarium et frequentissime applicandum, nisi sit impedimentum indispensabile, aut adiuncta secus exigant.

2. Matrimonium reconvalidare est *illud ex integro denuo contrahere.* Quaecumque igitur eis ineundis, haec et revalidandis regulariter necessaria sunt; est igitur restitutio valoris matrimonio prius *invalide contracto* per veri vinculi inductionem.

Ad hoc ergo ut matrimonium revalidetur, debet removeri dirimens impedimentum quod validitati obstabat; ita ut si impedimentum nullatenus removeri queat, matrimonium revalidabile non sit.

Spectata *causa invaliditatis,* duplex est revalidatio: quarum altera si matrimoninm invalidum fuit ex defectu consensus aut formae Tridentinae: altera est revalidatio si matrimonium fuit invalidum ex personarum inhabilitate. Spectato *modo* revalidationis haec triplex est: scilicet aut per simplicem consensus renovationem, aut per ordinariam dispensationem, aut per extraordinariam dispensationem, quae audit *sanatio in radice* (1).

(1) Bened. XIV. *Cum super* 27 Sept. 1755 in ed. Richt. Conc. Trid., plura resp. S. C. C. praesertim penes Act. S. Sedis v. 1. pag. 129.

§ 1. DE REVALIDATIONE ORDINARIA MATRIMONII.

Summarium. — Ordinaria Revalidatione revalidantur matrimonia irrita 1) ex defectu consensus 2) aut formae Tridentinae 3) aut ex personarum inhabilitate.

210. *Declar. pars 1.* De revalidatione matrimonii irriti ex defectu consensus.

I. Si spectetur matrimon. irritum ex defectu consensus *in genere;* hic, *a*) si defectus fuit ex utraque parte, renovari debet ab utraque parte non solum intrinsece, sed etiam extrinsece manifestati ita, ut satis non sit novus consensus simpliciter confirmatorius prioris invalide praestiti. Renovandus porro est in forma Tridentina, si nullitas publica fuit ubi ea Trid. forma viget, secus si fuit occulta et in 1ª. celebratione matrimonii dicta forma sit adhibita. Cf. *Instr. Austriaca* § 92.

b) Si defectus consensus fuit ex una tantum parte, huius renovatio sufficit ad convalidandum matrimonium, si fiat ab illa parte tantum, modo constet consensum ab altera parte non fuisse revocatum, sed moraliter perdurare. Haec enim moralis duratio seu coexistentia consensus utriusque coniugis satis est, nec requiritur physica coexistentia ad revalidandum matrimonium.

211. II. *In specie* qui revalidandum matrimonium initum quidem exterius, at nullum, quia 1°. consensus alterutrius fuit *fictus* vel coactus seu *metu extortus,* vel ex *errore personae* aut conditionis servilis, vel quia 2°. consensus utriusque iisdem vitiis laboraverit?

Resp. Ut revalidetur matrimon. nullum ex his capitibus sufficit dare consensum, non est necessaria dispensatio sicut quando matrimon. celebratum sit cum impedimento; quamvis

182. vol. 2. pag. 15 et 52 seqq. . . . et DD. in h. t. nominatim Schm. n. 253, Pichler, Reiff. aliique; insuper Sanchez de matr. l. 8. disp. 7. Bened. XIV. Instit. eccl. 87. De Synod. dioec. l. XIII. c. 21. quaest. can. 174: tandem cf. et TTh. nominatim Perrone de Matr. t. 2. p. 155. et praesertim Palmieri de matr. thes. XXXV. aut vol. 6. opus theol. morale p. Baller. in fine.

fictio, metus, et error recenseantur inter impedimenta. Nam impedimenta proprie dicta ea sunt, quae inhabiles personas efficiunt ad matrimonium contrahendum, vel materiam, circa quam contractus tentatur, ineptam reddunt contractui: error autem, metus et fictio eatenus adversantur matrimonio, quatenus et ceteris contractibus plus minus adversantur, ideoque impediunt matrimonium, ne sit; quia deest consensus contractui essentialiter requisitus, non quatenus personae sint inhabiles ad contrahendum, vel materia, super quam cadit consensus, inepta sit ad contractum. *Cf. D'Annib. v. 3. n. 298.*

Hinc ut inter duas personas matrimonium convalescat, quarum altera vere, altera ficte consentit, sufficit ut *a*) haec consensum suum consensui alterius adiiciat; *b*) neque opus est, ut alter expresse rursus consentiat. Constat 1^m. cum ita fiat verus et legitimus contractus... Constat 2^m. quia si consensus illius « qui prior consensit, adhuc perseverat verus et validus, non opus est ad validum faciendum contractum, ut ipse renovet actu consensum, neque ut ei notum fiat defuisse ab initio consensum ».

Quaer. Quid si interim dissentiat qui ficte consensit?

Resp. Id praesumendum in casu quod ab initio in ipsa celebratione matrimonii praestitum i. e. oppositum, scilicet consensum, qui extrinsece significatur. Quod si dissensus exterius significetur e. g. sibi displicere datum consensum cum manente tamen absoluta voluntate illum servandi, non requiritur renovatio consensus; secus, si indicetur seria voluntas a consensu prius dato resiliendi, si fieri posset, ex *c. insuper Qui matrim. accus. poss.* ex *c. Proposuit de eo qui duxit, c. ad id de sponsal. S. Th. supplem. q. 47. a 4. ad 1.*

Quaer. Ad quid teneatur qui ficte consensit, quid si *uterque ficte....* Cf. supra tit. 1. Baller. opus theol. v. 6. n. 1351 et seqq.

At si matrimonium contractum sit cum impedimento proprie dicto, sermo est infra § 2; nunc de illis impedimentis, quae ut removeantur, sufficit removere factum et renovare consensum, nec opus est dispensatione scilicet:

212. III. *In specie* 1°. si irritum fuit ob impedimentum *raptus* muliere *loco reddita tuto* renovandus est consensus ab

utraque parte et celebrandum matrimonium in facie Ecclesiae et in forma Trid. ubi viget *c. Tametsi,* sub poena nullitatis.

2°. Si nullum fuit matr. *ob aetatem,* hoc non revalidari adveniente pubertate tradit *c. un. de desp. impub. in 6.*: unde renovandus consensus ab impubere, adepta pubertate et exprimendus in facie Ecclesiae sub poena nullitatis coram parocho et duobus testibus.

3°. Si matrimonium nullum fuit ob *ligamen,* consensus post mortem prioris coniugis renovandus in facie Ecclesiae debita forma.

4°. Si nullum fuit ob *cultus disparitatem* non revalidatur ni, post baptismum infidelis, renovetur consensus in forma Trid. ubi viget...

5°. Si matrimonium nullum fuit ob impedimen. *erroris, conditionis servilis,* non revalidatur nisi, cognito errore, pars libera consentiat rursus, in forma Trid. ubi viget, si imped. publicum est h. e. publica conditio servilis ex una et publicus error ex alia parte.

6°. Si nullum ex impotentia et dein potentia supervenerit e. g. per miraculum, aut per extraordinarium remedium e. g. adhibendum cum periculo mortis... remota impotentia, matrimonium non convalescit, nisi vir et mulier denuo per novum consensum contrahant, manifestandum in facie Ecclesiae, sub poena nullitatis si impotentia fuerit publica; secus secrete, expresse vel tacite, si fuerit occulta. Dixi *per miraculum aut extraordinarium remedium,* non vero si per Ecclesiae exorcismos ad maleficium avertendum... quia tunc fuit impotentia temporanea.

213. *Declar. pars 2.* **De Revalidatione ordinaria matrimonii irriti ex defectu formae Trid.** Tandem quia nullum fuit matrimonium ob clandestinitatem, convalidandum est per novam celebrationem, renovato consensu coram parocho et duobus testibus, occulte si occulta fuit nullitas matrimonii, publice si publica et si scandala aliter evitari nequeant. Si una ex partibus parata non sit neque per procuratorem contrahere in forma Trid., tunc in favorem partis innocentis implorari potest sanatio matrimonii in radice.

214. *Declar. pars 3.* **De Revalidatione ordinaria ma-**

trimonii irriti ex inhabilitate partium. Cum inhabilitas partium est iuris ecclesiastici requiritur, ut petatur et obtineatur dispensatio a competente auctoritate ecclesiastica super impedimento dispensabili. Dispensatio porro ordinaria sub ea conditione dari solet, inter caeteras, ut post executionem dispensationis factam, cognitamque nullitatem matrimonii, ab utroque coniuge consensus renovetur. Cum haec conditio quandoque difficilis servata sit, cumque aliae addantur conditiones variae prout imped. publicum sit vel occultum, a quo dispensatur : singillatim dicemus 1. in casu impedimenti occulti, et 2. in casu imped. publici.

1. *Si imped. est occultum* apponuntur claus. seqq. 1. *Dummodo separatio inter latorem et dictam mulierem absque scandalo fieri nequeat,* quae monet confessarium, ut antequam dispenset, videat an sine scandalo partes separari possent; quod si possint, separationem iniungat: quod rarissime fiet, quia scandalum plerumque adest.

2. *Dicta muliere* (vel viro) *de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute ut latoris delictum numquam detegatur,* quo praecipitur ut compars ignorantem compartem moneat de matrimonii nullitate; non vero de causa nullitatis et sic consensum utraque renovet. Haec porro clausula si desit in rescripto, hoc ipso non requiritur certioratio, et consensus alterius partis. At si adsit, an monitio potius quam conditio habenda ita ut praetermissa certioratione dispensatio concessa valeat? Gravissimi DD. id affirmant, communior sententia negat et asserit ceu conditionem servandam pro validitate dispensationis. Ast nunc S. Poenit. antiquam clausulam immutavit in « *Et quatenus haec certioratio absque gravi periculo geri nequeat, renovato consensu iuxta probatos AA.* ». Qui vero moneri debeat ignorans impedimentum ne causam nullitatis agnoscat, est plenum opus alea. Inter modos certiorandi compartem recensetur a S. Ligorio *l. VI. n. 1117.* et a Card. D'Annib. *l. c. v. 3. § 367.* ille « *Quando nupsi non habui verum consensum renovemus illum* » quod caret mendacio, quia consensus nullus non est verus consensus, vel « Dixit confessarius - *matr. nostrum nullum est, renovemus consensum* » (1).

(1) S. Ligorius l. c. recenset et seqq. modos. - *Dic quaeso, si nullum*

3. *Matrimonium cum eadem muliere et uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala, praemissis non obstantibus, contrahere et in eo postmodum remanere legitime valeat, misericorditer dispenses,* scilicet si ita est occultum, ut in foro externo probari nequeat.... *secrete* i. e. sine parocho et testibus etiam ubi viget Trid. ut bene explicat *Bened. XIV. l. c. n. 63.* Si peracta revalidatione pro foro interno impedimentum illud evaserit publicum, revalidationis dictae ratio non habetur, nisi de ipsa aliquo modo constet, et revalidari debet pro foro externo, aut iudex nullitatem pronuntiabit iuxta allegata et probata unde in dubio, occultum ne sit an publicum, tutius semper erit matrimonium revalidare pro foro externo.

Quod si parochus et testes, aut aliqui ex his, dum coram eis celebratum fuit matrimonium, conscii erant impedimentis, lis est inter DD., quorum alii asserunt priorem solemnitatem nil valere, et denuo solemniter matrimonium instaurandum: quia tunc parochus et testes nequeunt deponere esse celebratum matrimonium, quod sciunt esse nullum: ita Sanchez *l. c. n. 10.* Ast alii, quos inter S. Alph. *l. c. n. 1112* probabilius censent, quod non sit rursus solemnitas usurpanda, quia Ecclesia testes exigit *celebrationis publicae* matrimonii, ne quis fraudulenter plura contrahat matrimonia, non vero ut per ipsos testes probet valorem matrimonii.

Duplex sit igitur regula quoad solemnitates instaurandas 1. si *occultum* sit, et maneat occultum impedimentum, ex quo nullum est matrimonium iuxta formam Trid. celebratum (etiam mala fide), non est necesse idem matrimonium rursus iuxta eamdem formam celebrare, quando est revalidandum. Nam

fuisset nostrum matrimonium, nonne iterum me accipere intendis? – vel si sponsus dicat « *angor scrupulis de nostri matrimonii valore, ideoque renovemus consensum, vel si mihi non nupsisses nonne nuberes nunc?* vel *Pro mea consolatione volo de novo contrahere, eia contrahamus* » quibus tandem subiungit « sextus modus si accedat copula maritali affectu habita ex parte coniugis conscii impedimenti per dispensationem iam sublati intendendo sic exprimere novum consensum ad matrimonium de novo contrahendum; nam ex altera parte inscia impedimenti iam exercetur copula eo affectu, primo consensu praestito usque tunc in affectu perseverante. Hic tamen modus tunc tantum sufficeret quando non esset locus modis supra enuntiatis et insuper immineret periculum gravis damni ».

haec est communis DD. ideoque ipsius Ecclesiae sententia RR. Congg. praxi firmata, non opus esse repetitis solemnitatibus contrahere cum revalidandum sit matrimonium iam solemniter contractum, quod impedimento occulto laborabat. *Bened. XIV. QQ. can. q. 527.*

2. Ratio finalis decreti *Tametsi* Conc. Trid. ut constat ex eius prooem. ea fuit, ut Ecclesia posset impedire ne contractis validis nuptiis, relicto coniuge aliae contraherentur, unde tot damna et scandala. Sed huic legi iam plene fit satis in nostro casu, cum primum celebratur matrimonium in facie Ecclesiae, licet ob occultum impedimentum sit invalidum: libere enim potest Ecclesia impedire novas nuptias his coniugibus eo ipso, quod impedimentum est occultum, atque adeo in foro externo habetur matrimonium ut validum. Quocumque ergo modo contractus perperam initus revalidetur, modo in eo maneant coniuges, qui primum in facie Ecclesiae contractus est, decretum Trid. nil habet amplius, quod ab his coniugibus exigat. Altera regula est seq.

215. *Si impedimentum est publicum:* cum publice constat matrimonium celebratum fuisse cum impedimento, seu universalius, matrimonium celebratum fuisse nullum, si revalidandum est, rursus solemnitas Trident. est adhibenda, nisi Ecclesia dispenset. Secus in hypothesi, publica existente notitia impedimenti constat publice putatos olim coniuges posse vel obtenta dispensatione matrimonii inter se revalidare, vel ad alias libere transire nuptias. Etsi primum eligant: nisi fiat rursus in facie Ecclesiae, haec non poterit impedire ne nuptiae illegitimae contrahantur: si enim satis esset occulte revalidare, id si fieret, Ecclesia ignoraret, et deinceps iidem ad alias possent convolare nuptias, quin ab Ecclesia prohiberentur.

216. II. Ad **clausulas** quod spectat dispensationi appositas pro impedimento publico, hae sunt:

1. *Dummodo... ignorantia huiusmodi probabilis extiterit,* inseri solita cum in instantia expressum sit matrimonium contractum esse bona fide ob invincibilem ignorantiam; et cum haec clausula sit conditio, sine qua non, nulla erit dispensatio, si ambo coniuges fuerint in mala fide, aut si in bona, eorum ignorantia invincibilis non fuit probabilis. Exequutor autem

reperiet *a*) fuisse eos in b. f., si iurent ipsi; ni adsint contraria indicia, quia quae in animo consistunt nonnisi per iuramentum probari possunt: *Gloss. in c. 1. de homic.* imo quidam putant satis esse affirmationem non iuratam; *b*) probabilem adfuisse ignorantiam ex eo quod proclamationes fieri solitae praecesserint et nullum denuntiatum fuit canonicum impedimentum dum coniuges testantur se adhibuisse sufficientem diligentiam... Si conditio non verificatur, recurrendum est pro nova dispensatione.

2. *Prolem susceptam et suscipiendam exinde legitimam declarando*, apponi solita (etiam quoad nuptias contrahendas), sive bona sive mala fide matrimonium sit contractum. Si alterutrius saltem bona fide initum sit matrimonium, proles suscepta legitimatione non eget; et tunc apponitur vel ad cautelam, si forte proles suscepta sit, postquam utriusque putativi coniugis bona fides cessaverit, vel ad evitandas murmurationes eorum, qui ob iuris ignorantiam falso illam illegitimam putant.

3. *Quod... matrimonium inter se de novo publice contrahere valeant*, et exigit renovationem consensus. Haec porro renovatio *a*) non est necessaria *ex iure naturae* quia R. P., ut ait Bened. XIV. Instit. Eccl. 87. n. 80, *ob consensum naturaralem initio praestitum dispensare potest, si velit a renovando consensu.* De facto autem dispensat tum in sanatione in radice, tum quandoque etiam in simplici revalidatione. Tandem ante Trid. concedebantur dispensationes ab affinitate ex copula illicita, sine clausula de novo praestando consensu, quae post longas disputationes inserta est, stante decreto Trid.... *b*) sed exigitur ex voluntate Ecclesiae. *Cf. Bened. XIV. Instit. cit. n. 68.*

§ 2. DE REVALIDATIONE MATRIMONII PER SANATIONEM IN RADICE.

Summarium. — 1) Sanationis in radice notio, potestas in Rom. Pontifice: 2) Tum conditiones exhibentur: 3) tandem exponitur praeter effectus. quomodo petatur atque executioni detur haec sanatio.

217. *Decl. 1. pars.* **Notio.** Cum per consensus renovationem aut per ordinariam dispensationem convalidari nequeat

matrimonium ob formam non servatam, aut ob inhabilitatem personarum, vel ob simplicem consensus defectum, invalide contractum, restat extraordinarium remedium, quod audit *sanatio matrimonii in radice*. Est autem *sanatio seu dispensatio in radice abrogatio legis ecclesiasticae, quae impedimentum induxit in casu particulari, ita ut irritentur seu excludantur omnes effectus, non solum qui nunc sunt et deinceps subsecuti essent, sed et qui antea iam ex lege subsecuti erant. Cf. Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 21.* Hac igitur sanatione non solum matrimonium ob impedimentum iuris ecclesiastici prorsus invalidum denuo efficitur validum sine consensus renovatione, sed eidem effectus quoque omnes legitimi matrimónii iam a momento invalidae celebrationis eius tribuuntur. Dixi *sine renovatione consensus,* quia subtracta lege irritante, quae consensui contrahentium efficaciam adimebat, ac nullum eum reddebat, ille consensus naturalis evadit efficax et sic fit matrimonium: unde opus non est renovare consensum; quia remota lege tollente efficaciam consensus prius praestiti, hic consensus perseverans iam est efficax et vinculum matrimonii gigni. Dixi *eidem omnes tribui effectus a momento celebrationis...* seu *etiam praeteritos;* id tamen, ita intellige, quod non facit Pontifex ut consensus ab initio positus cum lex adhuc consentientes ligaret, fuerit efficax et validus, sed tantum ut *ex nunc* data sanatione incipiat valere: quoad praeteritum seu *ex tunc* (ad tunc) id efficit, ut realiter tollat omnes effectus, qui ex lege impedimenti oriebantur, ac si numquam fuisset et per *fictionem iuris* haec abolitio transfertur ad ipsum initium contractus, ut *idcirco habendi sint* coniuges tamquam si ab initio valide contraxissent et proles iam habita tamquam si ab initio legitima fuisset.

Hinc alia definitio communiter a DD. usurpata « *est dispensatio legis irritantis, qua matrimonium convalescit, retrotracta per fictionem iuris ad matrimonii initium* ». S. Poenit, porro utitur verbis: « Ecclesia dispensando sanat in radice ». Hic ergo actus supremae potestatis dicitur *sanatio* matrimonii in radice, quia sanat quod infirmum erat, qua validum efficit contractum qui nullus erat: sanat in *radice*, quia immediate attingit ipsum consensum, qui est radix matrimonii, vel quia ipsum ab origine sanat. Quae sanatio non solum pro matrimonio sed et pro

aliis contractibus locum habere potest et generatim pro omnibus actibus legitimis, qui certas a iure conditiones requirant.

Inde quoque intellige discrimen inter *sanationem in radice,* quae est dispensatio respiciens tum futurum *ex nunc,* tum praeteritum *ex tunc:* cum sit per fictionem iuris retrotracta ad initium matrimonii et *simplicem revalidationem,* quae est dispensatio a S. Sede concessa respiciens futurum *ex nunc* quidem, sed non praeteritum. Insuper sanatio in radice *a*) inducit legitimationem prolis antea susceptae, plenam quoad effectus ecclesiasticos et iuxta plures, etiam quoad temporales: *b*) nec exigit necessario consensus renovationem nisi aliud statuatur: e contra in simplici revalidatione tum renovatio consensus ab utraque parte est necessaria, nisi aliud constet, tum per se non fert secum prolis legitimationem, quamvis haec rescripto pro effectibus ecclesiasticis addi soleat.

Ex dictis *divisio* quoque intelligitur: alia enim est *perfecta* et totalis sanatio in radice: quae scilicet utriusque coniugis consensum efficacem reddit producendi scilicet vinculum matrimonii a momento applicatae dispensationis, et insuper concedit omnes effectus legitimi matrimonii ab initio celebrationis: alia *imperfecta,* quae praesertim dupliciter habetur 1. cum in uno coniuge tantum consensus naturalis redditur efficax vinculi, in altero requiritur consensus absolute novus, atque omnes legitimi matrimonii effectus conceduntur; 2. cum ob mortem saltem alterutrius non amplius produci potest vinculum, sed omnes effectus conceduntur matrimonii legitimi.

218. III. **Potestas R. Pontificis sanandi matrimonii in radice** iam patet:

1°. ex modo indicata Ecclesiae praxi, communi sententia canonistarum, et Tribunalium ac SS. Congreg. RR. auctoritate confirmata;

2°. ipsa ratio seu causa, cur invalidum sit matrimonium, est impedimentum iuris tantum ecclesiastici: atqui hoc absolute et sine apposita conditione renovationis consensus ab Ecclesia auferri potest sive generali quadam ordinatione, sive in particulari casu, dispensatione: qua semel applicata iam consensus ab initio naturaliter praestitus et non revocatus producit vinculum matrimonii *ex nunc,* atque etiam efficere, ut

ex tunc quando ab initio contractum fuit, omnes effectus a nullitate procedentes, saltem in foro ecclesiastico censeantur sublati: sed hisce profecto sanatio matrimonii in radice continetur. Sed in R. Pontifice ceu in supremo potestatis subiecto residet tota potestas in universam Ecclesiam; ipse autem est conditor canonum et iuris ecclesiastici universi; ergo. Impedimenta porro dirimentia sunt leges in universam Ecclesiam: ergo unus R. Pontifex potest auferre impedimentum dirimens. Hinc Episcopi carent ordinaria potestate sanandi matrimonium in radice, nec sine urgentissima causa postulari debet a Romano Pontifice eiusmodi potestatis exercitium: attamen tum Episcopis tum praesertim Vicariis Apostol. haec potestas in certis casibus solet identidem delegari. Cf. Bened. XIV Const. *Etsi matrimonialis,* ubi ait solius R. Pontificis esse « non solum dispensationes in radice matrimonii indulgere, sed etiam conditiones constituere pro validitate gratiae adimplendas ».

219. *Declar. 2. pars.* **De Conditionibus sanationis matrimonii in radice.** Ut sanari valeat matrimonium in radice sqq. exiguntur conditiones:

1ª. ut contractus ab initio non fuerit nullus ex iure divino vel naturali e. g. ex errore: quia Ecclesia sanat auferendo suam legem, non legem Dei aut naturae, in qua potest nihil.

2ª. Ut consensus in matrimonio seu voluntas manendi in matrimonio adhuc perseveret et absoluta non conditionata, neque interpretativa. Id profecto postulatur cum ipsum matrimonium invalidum sanandum est, et talis voluntas ex utraque parte requiritur.

3ª. Conditio, quae olim poscebatur in eo erat, ut coniunctio coniugum habuerit speciem extrinsecam iusti matrimonii, quod quidem ubi Tridentina lex viget, obtinet, cum in facie Ecclesiae matrimonium est celebratum, etsi nulliter ob latens impedimentum: idque ne coniunctioni fornicariae favere Ecclesia videretur. Ast nunc, modo consensus in matrimonio fuerit et perseveret, sanatio in radice, quae et formam Trid. auferre potest possibilis est, atque iis identidem conceditur, qui civile matrimonium tantum contraxerunt, modo non concubinatus, sed matrimonii intentio fuerit.

4ª. Ut sanatio in radice concedatur, gravis seu magna requiritur causa e. g. cum magna multitudo contraxerit irrita matrimonia, quae sine magno scandalo et damno revalidari nequeant, communi modo si imped. sit ignotum alteri parti, et merito timeatur ne illa certior facta, a matrimonio sit resilitura; si uterque coniux sit in bona fide et urgens adsit motivum eos non monendi de nullitate matrimonii, ut consulatur saluti animae partis innocentis; item prolis legitimatio; quae causa, hodie vigente fere ubique matrimonio civili, raro reputatur gravissima, si praesertim alteruter coniugum fuerit bona fide: cum filii nati ex coniugio putativo (h. e. bona f. saltem ex una parte contracto) habeantur in iure quoque ecclesiastico legitimi.

Ut sanatio valeat non est opus ut ii, quibus conceditur impedimenti conscii sint, vel eam petant: nam ex praxi S. Sedis, quae non raro plurima coniugia certis in locis, ob aliquem substantialem defectum irrita uno verbo in radice sanavit, contrahentibus prorsus insciis. Eius namque est auferre legem, qui eam tulit; ablata vero lege consensus naturalis coniugum putatorum evasit efficax, et fit sacramentum absque nulla eorum iniuria: quia ut supponitur, ii volunt esse veri coniuges. Hinc si unus conscius est impedimenti sufficit, ut ipse petat, quin opus sit, ut alter moneatur, cum sanatio in radice auferat obligationem renovandi consensus.

220. Hinc sequitur non dari sanationem in radice.

1. Si matrimonium ab initio nullum fuit ob impedimentum ligaminis, quod dein mortuo coniuge cessavit.

2. Si matrimonium ab initio nullum fuit ob defectum consensus, licet deinde defectus consensus purgatus sit: quia sanatio in radice est impossibilis.

3. Si matrimonium ab initio initum fuit vero utriusque partis consensu, etsi fuerit nullum, sed deinde momento sanationis una pars consensum suum revocavit.

221. *Declar. 3. pars.* **Qui petatur et executioni detur haec sanatio, et quos producat effectus.** I. **Petitio dispensationis** ad sanandum matrimonium in radice exprimere et servare debet, quae generatim in dispensationibus matri-

monialibus praesertim post nulliter contractum matrimonium exprimi et servari debent: attendendae pariter sunt quatuor conditiones huic dispensationis propriae. Sanatio matrimonii in radice plerumque dari solet pro foro interno cum impedimentum est occultum: sed et pro foro externo peti et dari solet vel a S. Poenit. etiam pro divitibus, vel a Congr. S. Officii. Quod si facile fieri potest, ut impedimentum detegatur, tunc sanatio illa petenda est, quae sit valitura quoque pro foro externo; cuius dispensationis scriptum, descriptis in calce propriis coniugum nominibus et cognominibus, servandum est in episcopali Cancellaria, uti praescribere solet S. Poenitentiaria.

Si organon spectes, per quod S. Sedes hoc beneficium concedit est Congr. S. Off. vel S. Poenit.: litterae tamen supplices inscribendae sunt Summo Pontifici: in iisque, uti etiam indicavit, aperte exponere oportet, an consensus ab initio adfuerit nec ne; an perseveret ex utraque parte: an contrahentes fuerint in b. f.: quaenam causae sint petendae dispensationi, quae impedimenta obstiterint et obstent matrimonio cum iis omnibus, quae ipsa impedimentorum expositio requirit.

222. II. Pro **executione** nulla determinata formula praescribitur ad exequendam dispensationem: debet autem monere quod matrimonium sanet in radice. Executione peracta « si agatur, ait Zitelli *de disp. matr. pag. 118,* de dispensando matrimonio iam contracto in forma Trid. et sanatio in foro conscientiae data fuerit, nulla fit huius matrimonii inscriptio; si vero data fuerit in eodem foro pro matrimonio non inito in forma Trid., matrimonium inscribendum est cum nota diei et anni in libro matrimoniorum secretorum, nulla mentione facta de obtenta sanatione. Quod si sanatio fuerit concessa pro foro externo, debet matrimonium inscribi in libro consueto et fieri etiam mentio de obtenta sanatione ».

Renovatio consensus in sanatione matrimonii in radice ex rei natura non exigitur, nisi aliud praescribitur, ita ut per se matrimonium valeat virtute *prioris consensus* dati et perseverantis; cum eiusmodi dispensatio per fictionem iuris, praecedere matrimonium censeatur. Saepius a neutra parte exigitur haec renovatio consensus, quandoque ab una tantum praesertim si fuerit malae fidei tempore celebrationis matrimonii

et parata sit consensum renovare: interdum ab utraque sive privatim sive in facie Ecclesiae ad removendum scandalum. Cum renovatio neutri parti est praescripta, matrimonium sanatur in radice quoad omnes effectus a momento sanationis applicatae, si vero praescripta non est, ipso momento renovati consensus.

223. III. **Effectus** colligi debent ex tradita notione sanationis in radice cuius efficacia non in eo est, ut efficiat matrimonium prius contractum, fuisse contractum valide et prolem ex eo susceptam, *ortam fuisse* legitime; *factum enim infectum fieri nequit.* Unde realis effectus sanationis in radice locum habere potest in praesenti et futuro cum respectu ad praeteritum. Per hanc enim sanationem 1. directe abrogatur lex irritans, et statim consensus coniugum perseverans (ut supponitur), qui ob dictam legem irritantem erat inefficax ad producendum vinculum matrimoniale, evadit eo ipso efficax et gignit vinculum matrimonii, ut proin opus non sit ulla renovatione consensus, neque ut coniugibus sanatio manifestetur, si sint in bona fide. 2. Inde fit, ut hoc matrimonium sicut reapse est, habeatur ab omnibus deinceps ut verum matrimonium instructum omnibus iuribus, quae vero competunt matrimonio. 3. Tandem id etiam efficitur ut hoc matrimonium debeat spectari iuridice ab omnibus ceu ab initio legitime initum et proles ante dispensationem suscepta ceu legitime nata, exclusis scilicet effectibus impedimenti dirimentis, quod abrogatur. Unde efficacia dispensationis in radice realiter exeritur solum in praesenti et futuro cum respectu ad praeteritum, quatenus per fictionem iuris efficitur, ut quilibet iudicare de hoc matrimonio debeat ac si legitimum ab initio fuisset.

Quaer. An legitimitas prolis obtineri possit matrimonio iam soluto per mortem sive alterutrius sive utriusque coniugis?

Resp. Conceditur legitimatio etiam uno coniuge defuncto: ergo et sanatio quoad hunc effectum: imo, iuxta gravissimos DD. id obtinet etsi uterque coniux mortuus sit, non quidem ad revalidandum matrimonium in se, sed quoad effectum legitimationis prolis (1).

(1) Nota. Quoad legitimationem prolis sanatio sortitur omnes effectus

TITULUS X.

DE DIVORTIIS

Matrimonium valide contractum plenam aliquando vel minus plenam patitur dissolutionem, quae generice audit *divortium.*

Sommarium. — Tradita 1) notione et 2) specie duplici indicata divortii, breviter exponuntur 3) causae et 4) requisita divortii pleni, tum quoad matrimonium in infidelitate contractum, tum quoad matrimonium fidelium.

224. *Decl. 1.* Divortium a divertere nil aliud est, quam resolutio consuetudinis vitae individuae, quae a matrimoniali contractu inducitur: seu in genere est *legitima separatio viri a muliere.*

225. *Decl. 2.* Duplex est species divortii: altera quoad vinculum *c. 7. de divort.,* altera quoad thorum *Conc. Trid. Sess. 24. c. 8. de matr.* Prior solutio iure canonico magis dicitur *repudium,* altera *divortium.* Prior solutio scilicet quoad vinculum dicitur proprie dissolutio matrimonii et audit *divortium plenum* ita, ut partes contrahentes plenam recuperent libertatem, et ad alia vota transire possint: altera solutio est separatio quoad thorum tantum et cohabitationem ita, ut separatis, vivente altera parte, non liceat aliud inire matrimonium et audit *divortium minus plenum* vel specifice divortium.

226. *Decl. 3. Quoad fideles.* I. Matrimonii consummati Christianorum valide baptizatorum vinculum tum intrinsece, tum

ecclesiasticos: *quaer.* an civiles quoque effectus? *Resp.* Etsi dubium non sit decere quam maxime ut Princeps saecularis admittat hanc dispensationem ob reverentiam debitam Romano Pontifici, et ne eadem proles in ecclesiastico legitima, in civili foro illegitima habeatur, quod grave foret inconveniens: tamen plurium sententia est, quod haec Pontificia dispensatio non tollat citra consensum Principis effectus civiles. Nam Princeps ab Ecclesia accipit matrimonium quoddam esse nullum, proinde prolem illegitimam: quo posito iure suo decernit prolem inde ortam haeredem non esse; cum conditio ea semper vere maneat, quod proles reapse orta sit ex parentibus illegitimis, cur non licebit enim suam legem servare?

extrinsece ex iure divino, naturali et positivo Ecclesiae indissolubile est, solaque morte unius ex coniugibus solvi potest, ita ut, ne propter adulterium quidem alterius coniugum, matrimonium solvi possit. Huius propositionis probationem remittimus ad probatos TTh. *Trid. Sess. 24. can. 7. de sacr. matr.* Eugen. IV. Instr. pro Arm. *Marc. 10. 11. Luc. 16.* ubi Chr. D. docet toties committi adulterium, quoties dimissa uxore alia ducitur, S. Paul. *1. Cor. 7. 10; Rom. 7. 2.* ubi matrimonium traditur una morte solvi, et referre unionem Christi cum Ecclesia, quae est indissolubilis.

II. Matrimonii rati et non consummati vinculum *a*) dissolvit professio religiosa solemnis, *b*) non ex iure quodam naturali, neque *c*) ex iure positivo divino, sed *d*) ex iure ecclesiastico. Quorum 1^m^. patet ex *Trid. Sess. 24. can. 6.* sub anathemate definitum; *c. 2. 14. de convers. coniug.; in Extravag. un. Io. XXII. de voto,* ubi vis haec tribuitur professioni religiosae, negatur vero Ss. Ordinibus; 2^m^. est contra Bonavent. Paludan. aliosque ex iure naturae hanc vim repetentes. Si 1) professio religiosa natura sua haberet vim solvendi vinculum, haberet etiam simplex omnis professio, quod nemo admittit: 2) votum ex natura sua non impedit validitatem matrimonii contrahendi: ergo a fortiori nequit solvere iam contractum; 3) nil ex natura rei solvit vinculum praecedenter inductum, si ei non sit contrarium: sed religiosa professio nullatenus contraria est vinculo matrimon. 3^m^. patet, quia si iure divino positivo professio dirimeret matrimonium id haberet vel quia est status ad perfectionem tendentium, vel ratione voti castitatis, cui repugnat usus matrimonii, vel ratione solemnitatis. Atqui non 1^m^. quia religio non approbata est etiam status hominum tendentium ad perfectionem: non 2^m^. quia professio in religione cum voto solemni non approbata potest esse connexa cum voto simplicis castitatis perpetuae: non 3^m^. quia solemnitas non est iuris divini, sed ecclesiastici. *Bonif. VIII. c. un. de voto in 6.*

4^m^. *Sed iure ecclesiastico.* Dirimit Professio solum ratione solemnitatis, secus idem efficeret votum simplex castitatis; sed solemnitas ab uno iure ecclesiastico repetenda: ergo.

III. Per dispensationem quoque R. Pontificis dirimitur ma-

trimonium ratum et non consummatum in casibus particularibus ob iustas causas: quam potestatem hodie nemo Catholicorum negat Romano Pontifici: neque ea a quopiam sine temeritate negari posset, utpote contra praxim certam et constantem S. Sedis saltem a saeculo XV. Eâdem utitur Romanus Pontifex etiam altero invito coniuge: sicut etiam per professionem religiosam potest invito altero coniuge matrimonium solvi. Dixi ex iusta causa; qualis autem haec sit relinquitur prudentiae R. Pontificis. Praecipuae, quae recenseri solent, sunt 1. animorum dissociatio quin adfulgeat futurae reconciliationis spes: 2. timor probabilis magni scandali futuri, rixarum, discordiarum inter consanguineos: 3. probabilis suspicio impotentiae cum periculo incontinentiae: 4. morbus contagiosus superveniens: 5. periculum perversionis: 6. si quis aliud matrimonium etsi nullum deinde inierit, e. g. matrimonium civile *a quo se aliter liberare nequeat.*

227. *Quoad matrimonium in infidelitate* contractum.

I. Si uterque coniugum manet infidelis, eorum matrimonium nonnisi morte solvi potest, etsi non fuerit consummatum. Non enim potest solvi auctoritate Papae, quae ad eos dumtaxat se porrigit, qui per baptismum in Ecclesiam ingressi sunt; non auctoritate principis saecularis: nullibi enim constat principi factam potestatem dissolvendi; non ipso consensu contrahentium, quia matrimonium est intrinsece indissolubile.

II. Si uterque convertatur ad fidem et matrimonium valide contractum in infidelitate neque ante, neque post baptismum consummarunt, cum per baptisma ab utroque coniuge susceptum dictum matrimonium sine ulla consensus renovatione transeat in verum sacramentum, eodem iure censetur, quo matrimonium ratum, et non consummatum. Quod si post susceptum ab utroque baptisma consummetur, tunc de hoc iudicandum, sicut de matrimonio consummato fidelium.

Quin imo probabile est matrimonium valide contractum et consummatum solum ante baptisma utriusque, per Romanum Pontificem dissolvi posse quoad vinculum ex causa proportionata, quia tale matrimonium per baptisma ab utroque susceptum evasit verum matrimonii sacramentum, seu ratum tantum donec accedat nova consummatio. De facto RR. Ponti-

fices dispensarunt. S. Pii V. *Brevi Romani Pontificis 2 Aug. 1571;* Gregor. XIII. *Lit. Apost. Quoniam saepe contingit 25 Ian. 1585.*

III. Si unus convertitur et alter maneat in infidelitate, certum est matrimonium infidelium etiam consummatum ex Paulino privilegio solvi extrinsece posse cum altero ad fidem converso alter renuit cohabitare, aut non sine iniuria creatoris, aut damno spirituali fidelis. *Prob. 1. Cor. c. 7;* ex *c. Quanto de divort.;* ex usu et praxi Ecclesiae, quae coniugem conversum ad alia vota transire permittit, licet vivente priori coniuge infideli, quae ei non vult cohabitare aut non sine iniuria Creatoris...

IV. Matrimonia infidelium in favorem fidei solvi possunt extrinsece auctoritate R. Pontificis. *Cf. Palm. de matr.* D'Annib. ait « *Greg. XIII.* conversis in Aethiopia, Brasilia.... indulsit, ut alia matrimonia contrahere possent, coniugis infidelis consensu *minime requisito,* responso non expectato *(Lit. Quoniam saepe).* Et *S. Pius V. Indis* concessit, ut cum uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata, remanere possent, aliis dimissis *(Lit. Romani Pontificis);* et Greg. XIII. l. c. rata esse voluit nova matrimonia a conversis inita, *etiamsi postea innotuerit* coniuges priores infideles suam voluntatem declarare non potuisse et ad fidem etiam tempore transacti matrimonii conversos fuisse *Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 21. n. 3.* Qua in re non dispensandi facultate, sed dissolvendi priora matrimonia (perinde quasi rata dumtaxat) usos fuisse palam est ».

228. *Declaratur 4^m^.* Ad requisita quod attinet sufficit indicasse duo esse praecipua: quorum alterum est, ut eius causa agatur, constituto prius defensore matrimonii, qui in omni actu citari debet: alterum, ut suum exitum habeat post duplicem conformem sententiam, servato semper pro matrimonio iure appellationis. Bened. XIV. *Constit. Dei miseratione.* Dixi sufficit *indicasse,* quia de iis fusius ubi de causis matrimonialibus sermo erit.

DE DIVORTIO SEMIPLENO.

Summarium. — Divortii semipleni causae plures recensentur, ex quibus illud exigitur vel permittitur in perpetuum vel ad tempus, quoad thorum tantum, vel etiam quoad cohabitationem, post vel etiam ante sententiam iudicis.

229. Posse fieri divortium quoad thorum et cohabitationem declaravit et statuit Conc. Trid. *Sess. 24. can. 8. de matr.* **Causae** porro sunt I. mutuus consensus amore castitatis perpetuae aut religionis *c. 4. de convers. coniug.*

II. *Altera causa* est periculum tum animae, tum corporis. *Animae* quidem in *genere* si coniunctio peccatum *arg. c. 2. de divort.*, disiunctio emendationem parere potest *arg. c. 3. de adulter.* In specie autem praesertim si alter coniugum in haeresim aut idololatriam lapsus fuerit *c. 6. de divort.*

Item corporis periculum in genere si coniunctio intollerabile minitetur incommodum *arg. c. 1. de coniug. lepros. In specie* si alter in alterum gravem saevitiam adhibet *c. 8. et 13. de Restit. spoliat.*

III. *Tertia causa* est ex crimine 1. infandae veneris *arg. c. 8. de divort.*; 2. adulterii *c. 4. de divort.*, nisi sit aut involuntarium *c. 3. et 4. Can. 32. q. 5*, aut reciprocum *c. 7. de adul.*, aut remissum praesertim per concubitum post culpam non ignoratam *can. 4. Can. 32. q. 1. L. 11. Cod. ad leg. Iul. de adulter.*, aut alteri etiam coniugi imputabile per quamlibet complicitatem *c. 6. de eo qui cognovit....* Hinc sequitur non permitti separationem ob adulterium si mulier compressa, aut decepta fuerit, quod adulter se maritum simulaverit, aut si vir adulterium uxori suaserit.

His causis cessantibus, etsi mulier egerit poenitentiam sui delicti, tamen vir non cogitur uxorem dimissam recipere quamvis ex charitate id possit: at uxorem adulteram et in prava consuetudine permanentem dimittere omnino debet, ne turpitudinis patronus esse videatur.

Hisce expositis notetur oportet: 1. ex iis pro casuum diversitate divortium posse fieri, vel quoad thorum tantum, vel

quoad thorum et habitationem: 2. posse fieri in perpetuum, uti ex causa perpetuae castitatis, religionis, aut ex causa adulterii; vel ad tempus, ut in ceteris statim ac divortii causa cessaverit: 3. nulla opus est iudicis auctoritate, si divortium fiat ex mutuo coniugum consensu: 4. eam requiri, si fiat altera parte renuente: 5. iudicio tamen super divortii causam pendente, coniuges non esse separandos: 6. at si periculum sit in mora, aut alia iusta causa urgeat, liceat parti innocenti divertere: 7. sed divortium stabilitatem acquiret post iudicis sententiam.

TITULUS XI.

DE SACRAMENTALIBUS.

Summarium. — Competit Ecclesiae 1) potestas instituendi sacramentalia, quorum 2) praecipua recensentur versu; Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens; atque horum effectus in communi breviter indicantur.

230. *Declaratur et prob. 1. p.* Sicut Christus D. ad significandas et conferendas gratias suas signa quaedam externa instituit, quae sacramenta dicuntur, ita etiam Ecclesia quosdam statuit ritus externos, tum ad producendum promovendumque internum Dei cultum, uti dispositiones ad Sacramenta, tum ad obtinenda varia beneficia et praesertim liberationem a malo. Generatim *vi vocis, Sacramentale* idem est, quod refertur ad sacramentum: iamvero referri potest *a*) vel ut quid concomitans Sacramenta tamquam externus ritus; *b*) vel ut quid exhibitum extra et separatim a Sacramentis, imitans virtutem Sacramenti, producendo aliquos effectus: utroque sensu debent esse instituta ab Ecclesia. Dixi ut quid concomitans Sacramenta: nam haec quoad substantiam, sicut et sacrificium, a Christo Domino instituta sunt. Iamvero si priori sensu intelliguntur h. e. qua exteriores quaedam actiones religiosae ad ornatum et cultum debitum Sacramentorum seu sacrificii institutae, strictius sumuntur: latius vero si alii ritus et caeremoniae designentur. Tam stricte quam late definitione una exhibentur: « *Ritus visibiles, qui ex Ecclesiae institutione gratiae tum significandae, tum implorandae vim habent* ».

Porro distinguenda est potestas instituendi hos ritus a potestate eosdem exercendi, illa ad iurisdictionis, haec ad ordinis potestatem pertinet, tamen dependenter ab illa: quoad exercitium quidam ritus proprii sunt Episcoporum, aut in Abbatibus requirunt privilegium Apostolicum ceu consecrationes Ecclesiarum: alii pertinent ad iura parochi, nonnulli Clericorum et maxime presbyterorum sunt communes.

Probatur dictam potestatem **competere Ecclesiae:** quia 1) proprium est potestatis religiosae omnia ad cultum pertinentia determinare et ordinare, adiuvare fideles ad gratiam obtinendam, augendamque: preces autem Ecclesiae sponsae sine macula semper Deo probantur; 2) quin imo potestas eiusmodi refertur exclusive ad finem supernaturalem h. e. sanctificationem animarum, cuius cura universa uni Ecclesiae commissa est: ergo ipsi uni competit. Ex hac parte iam patet, qua differant et qua conveniant inter se sacramenta et sacramentalia.

231. *Declaratur 2. p.* Praecipua sacramentalia, recenseri solita, sunt consecrationes ac benedictiones, divinum officium, praedicatio verbi Dei, cultus Sanctorum, dies festi, ieiunia, et quae maxime continentur versu: *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens;* 1) **orans** (1) denotat quotidianam orationem fidelium, preces solemniter ab Eccl. recitatas. *C. de Quotidianis de Poenit. dist. 3.* et praescriptas, hinc divinum officium; 2) **tinctus** indicat usum frequentioris benedictionis, quae dicitur benedictio aquae; seu aspersus aqua benedicta de qua *c. aquam de Consecr. dist. 4.;* 3) **edens** h. e. panis benedictus: antiquissimus usus est benedicendi panem tam so-

(1) Cf. Palm. opus Theol. mor. Ball. v. 4. de sacr. in gen. n. 84 ubi ait « oportet a sacramentalium numero quaedam excludere, quae veteres recensebant... nempe orationem dominicam et eleemosynam: has enim Ecclesia non instituit ». Et n. 89 addit « Quoniam vero oratio dominica et eleemosyna adiunctam habent specialem promissionem obtinendae remissionis peccatorum (quae per eas obtinetur, quatenus obtinentur gratiae actuales, quibus ad eam perveniatur) et oratio quidem dominica propter quintam petitionem, habita ratione verborum Christi Matth. VI. 14: eleemosyna vero spectatis verbis Dan. IV. 24; hinc factum putamus ut et hae sacramentalibus accenserentur ».

lemni, quam privata benedictione: Formula solemnis extat in Missali romano. Graeci post liturgiam distribuunt panem illum, ex quo ad sacrificium conficiendum particulam desecuerunt et vocant eum ἀντιδωρον, κατακλαστον i. e. fractionem. Eumdem panem intelligimus sub nomine *eulogiarum*: 4) **confessus** scilicet confessio generalis e. g. quae fit in Missa et in quibusdam horis canonicis; 5) **dans** denotat elargitionem eleemosynarum iuxta illud Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato liberat,* et Daniel 4. *Peccata tua eleemosynis redime;* 6) tandem **benedicens** exhibet varias benedictiones et consecrationes in Ecclesia praesertim Episcopi vel Abbatis consecrati (1).

232. **Benedictiones** autem definiuntur a Fornici *Instit. liturg. p. IV. c. 1*: *Ritus sacri ab Ecclesia instituti, quibus vel a) aliquod bonum alicui adprecatur, vel b) aliquid ex profano sacrum efficitur;* si 1^m. sunt *invocativae,* quibus scilicet bonum aliquod deprecamur rebus vel personis (e. g. domibus, sponsis) quibus benedicimus. Si 2^m. sunt benedictiones *constitutivae,* quibus scilicet res profana efficitur sacra vel sacrior e. g. ecclesia, calix..... omnes fiunt vel cum, vel sine *oleis sacris;* si 1^m. *reales,* si 2^m. tantum *verbales* benedictiones sunt.

Sicut materia, forma et ministro operante perficiuntur sacramenta, ita et haec sacramentalia: quorum *materia* sunt res vel personae, quae benedicuntur (et materia saltem moraliter praesens esse debet): *forma* sunt preces et ritus ab Ecclesia constituti, queis solum oportet et licet uti; *ministri* sunt sacerdotes, quia omnes hae benedictiones non consistunt sine potestate sacerdotali. Reales insuper exigunt ordinem episcopalem. Igitur si vel unum ex his desit, sive materia, sive forma, sive potestas ministri, non perficitur benedictio; nec in re, sacris usibus destinata, usus eius vicem benedictionis supplet:

(1) Idem Palm. sic l. c. in fin. n. 84 pergit « Sacramentalia plura sunt. Principem inter ritus locum sibi vindicant Ordines infra Diaconatum (si non sunt Sacramenta) et prima tonsura, signum crucis, ceremoniae ab Ecclesia institutae pro administratione solemni sacramentorum, pro celebratione SS. Sacrificii et Divini officii recitatione, tum consecratio Virginum, benedictio Abbatum, sacratio Regum, item exorcismi, pluresque aliae benedictiones. Inter res eminent altaria, templa, vasa sacra, aqua lustralis, tum agnus Dei, scapularia, coronae, cerei, palmae benedictae » etc.

ut celebrare in Ecclesia aut calice vel corporali non benedicto. Benedictio constitutiva tantum habetur cum res profanas efficiat sacras: ideo eas salva religione violare non licet. *Cf. D'Annib. l. c. Marchetti et Fornici, Instit. lithurg.*

Denique has inter benedictiones commemorandae sunt variae unctiones, quibus Ecclesia utitur exemplo Apost. *Marc. VI. 13:* « *Ungebant oleo multos aegros et sanabant* ». Nam oleum et chrisma non solum adhibetur tamquam materia sacramenti Confirmationis et Extremae Unctionis; sed *oleo catechumenorum* etiam Ecclesia utitur in Sacramento baptismi conferendo, in baptismali fonte benedicendo, in Ecclesiis et Altaribus consecrandis, in Presbyteris initiandis, in regibus coronandis. *Infirmorum oleo* utitur Ecclesia et in campanis benedicendis. Sacrum chrisma adhibetur inter caeremonias baptismi, in consecratione Episcopi, patenae et calicis et in benedictione campanae. Oleum porro ad hos usus certis Ecclesiae precibus benedicendum esse ex antiqua traditione iam agnoverat *Basil. l. de Spir. S. ad Amphil.:* « Consecramus aquam baptismatis et oleum unctionis: ex quibus scriptis? nonne a tacita secretaque traditione? » *Cf. Pont. rom. et off. feriae V. in coen. Domini.*

233. Huc statim referenda est **purificatio mulieris** post partum. Lege mosaica, qua certi dies purificationis mulieribus praefiguntur, non teneri foeminas christianas declarat Innoc. III. *c. un. de Purif. post partum:* devotionem tamen earum non credit improbandam, si ex veneratione voluerint aliquamdiu ab ingressu Ecclesiae abstinere. At consuetudo invaluit, ut etiam nunc post partum hebdomadas aliquot ex decentia laudabili se contineant, et ante ingressum in Ecclesiam, praescriptis in Rituali precibus, benedictionem a sacerdote suo recipiant candelamque deferant. Non convenit inter Auctores utrum haec benedictio *parochialis* dicenda sit nec ne; etsi Gavantus regulam tradat a simplici presbytero, quae in Missali, a parocho quae in Rituali, ab Episcopo quae in Pontificali expressae reperiuntur benedictiones, eas expleri. Adverte tamen consuetudinem et delegationem.

234. *Declaratur 3. p.* Ad **effectus** quod spectat, 1^us^. est causare, licet mediate, remissionem venialium *S. Thom. 3. p. q. 87. a. 3.* « Omnia ista, ait, causant remissionem venialium

in quantum inclinant animam ad motum poenitentiae, qui est detestatio peccatorum vel implicite ». Hinc 2^us^. effectus, quod scilicet per ea impetrentur gratiae praevenientes et pii motus. Quae Catechismus romanus *P. II. c. 1. n. 16. Primum enim maxime decuit.... charitatem excitant* de ss. ritibus circa Sacramenta generatim tradit, ea de ritibus et caeremoniis extra sacramenta dicenda sunt; quae scilicet et ipsae iuvant devotionem, pietatem accendunt, rudiores instruunt, morbos curant,.... mentes illorum, qui eas intuentur ad sublimium rerum cogitationes erigunt.... 3^us^. est conferre beneficia corporalia quaedam, reddere corpori sanitatem: et 4^us^. est virtus fugandi daemones, uti communiter tenent DD. penes S. Ligorium *l. c. n. 93.* quia inquiunt etiam ethnici, in quibus intercesserunt preces Ecclesiae, nec meritum operantium, quandoque signo crucis a daemone liberati fuisse dicuntur ».

235. Ut **de modo eos producendi** aliquid dicamus, sacramentalia 1) non habent vim ex opere operato infallibiliter conferendi gratiam, aut remittendi infallibiliter peccata vi sua, et per se; 2) sed remote ex opere operantis ac per modum impetrationis; 3) quamvis neque simpliciter ex opere operantis quidam effectus omnino dependent, e. g. vis fugandi daemones. *Ratio 1^i^.* est, quia nusquam promissio gratiae aut remissionis peccatorum iis facta reperitur. *Ratio 2^i^.* est, quia Sacramentalium institutioni et consecrationi respondet impetratio quae fit per preces Ecclesiae quibus ipsa nobis mala avertere et bona adprecari intendit: his autem precibus et suffragiis adiuti fideles Sacramentalibus utentes, facilius doloris, contritionis, ac divini amoris motus concipiunt, quibus illi vel delent peccata, vel in gratia crescunt. *Ratio 3^i^.* est, quia cum solum vi exorcismorum e. g. daemones pluries fugati sint etiam in infidelibus, atque alias non sint de facto fugati, sequitur exorcismos fere ex opere operato licet non infallibiliter suum producere effectum: quia scilicet Ecclesia suam potestatem a Christo D. acceptam supra daemones tali usui alligavit (1).

(1) Hurter de sacr. in gen. n. 298 ait « Ex hisce vero assequimur sacramentalium efficaciam maxime (non unice) dirigi *adversus daemones*... eorum potestatem, incursus, et impugnationem per exorcismos, benedictiones, consecrationes, quibus eadem conficiuntur. Quare Ecclesiae con-

236. Ex tota expositione de sacramentalibus sequitur 1. ut illa omissa, etsi valeat sacramentum, debeant suppleri: 2. ut sive universae Ecclesiae communes, sive aliquarum Ecclesiarum proprii sint ritus atque a Romana Ecclesia probati, ii vel per quoscumque Ecclesiarum pastores immutari nequeant: 3. ut, praesertim communes, sive finis, qui est cultus sacri decus ac fidelium pietas, sive origo perantiqua, sive ss. virorum exemplum, sive Ecclesiae auctoritas, sive dogmata spectentur (quorum sacramentalia expressio sunt constans et universalis aut intima connexio) maximo dignentur honore et veneratione; nec quae praescripta sunt omitti possint absque culpa, nisi iusta necessitas urgeat e. g. Sacramentalia circa baptismum et Extremam Unctionem in periculo mortis.

TITULUS XII.

DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBUS SEU INDULGENTIIS.

237. De Poenitentiis. Est hic tit. XXXVIII. l. V. Decr. Porro non agimus hic *a*) de poenitentia *virtute speciali,* quatenus est detestatio et dolor de peccatis prout haec sunt offensa Dei: *b*) nec quatenus est sacramentum, si scilicet dolori interno confessio coram sacerdote huiusque absolutio accedat (1): sed *c*) quatenus est satisfactio, si nempe accedat opus

secratione creatura quadantenus per quamdam anticipationem liberatur a maledicto, cui obnoxia per peccatum facta est, et redditur instrumentum benedictionis et salutis. Haec autem efficacia adversus daemones ex triplici veluti radice oriri videtur *a*) ex virtute impetrationis Ecclesiae sacramentalia instituentis; *b*) ex potestate speciali Ecclesiae data adversus daemones, qui huic cedere ex Christi obligantur voluntate; *c*) ex ipsa crucis et nominis Christi virtute, sub cuius invocatione conficiuntur vel adhibentur.

(1) Circa Poenitentiae seu Confessionis sacramentum si quaeratur obligatio: resp. « Dari obligationem 1) de iure divino confitendi peccata mortalia post baptismum commissa in ordine ad obtinendam absolutionem sacramentalem; 2) et quamvis Christus D. nullum expresse determinavit tempus; 3) bene tamen determinasse Ecclesiam dum *c. omnis utriusque 12. h. t.* et Trid. syn. sess. 14. c. 5. et can. 8. de Poenit. sacr. praecepit ut quotannis saltem semel confessio perageretur. Si quis autem culpabili-

poenale. Satisfactio vero vel sacramentalis est, vel non; si 1^m. dicitur opus bonum poenale a confessario impositum poenitenti in poenae temporalis ex peccato residuae compensationem, ut iustitiae divinae aliquo modo satisfiat: *Trid. Sess. 14. c. 8.;* de qua sicut de poenitentia 1°. et 2°. sensu ubi de sacramento poenitentiae. *Non sacramentalis* est, quae a poenitente sponte suscipitur vel a legitimo superiore extra sacramentum imponitur. Haec autem duplex: *privata,* quae vel a Confessario iniungitur privatim peragenda, vel a poenitente sponte suscipitur et clam peragitur: *publica,* quae imponitur et peragitur publice pro peccatis manifestis, quia *manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda c. 1. h. t. Talis* fere pro foro externo, et a superiore ecclesiastico iniungitur. Publica alia *solemnis,* quae *olim* imponebatur cum certis solemnitatibus, relatis *can. 63. 64. seqq. d. 50.* nonnisi ob gravissima scelera toti communitati perniciosa a solo Episcopo vel eius mandato, non tamen clericis, nisi depositis sine spe restitutionis: alia *non solemnis,* quae publice coram facie Ecclesiae peragitur sine dictis solemnitatibus. Et his poenis solvendis correspondent remissiones. In Ecclesia usurpatur duplex remissionum genus: *unum culpae* praesertim per absolutionem, *alterum poenae,* vel per impositionem satisfactionis in Sacramento poenitentiae, vel extra illud per indulgentias. Dico per *indulgentias* praesertim,

ter omitteret, vivus ab ingressu Ecclesiae arcendus, mortuus autem sepultura sacra privandus esset. Porro duo priora membra tenent omnes Catholici ex *Ioan. c. 20.* Tertium fere totidem verbis est decisum cit. c. 12. et Trid. Ceterum licet Christus D. non determinaverit tempus, tamen iuxta plerosque praeceptum divinum urget in art. mortis seu in probabili vitae periculo, confessionis vel *in re,* vel saltem, si occasio confitendi non suppetat, *in voto,* sc. in contritione perfecta. – Quâ praeceptum Ecclesiasticum disputant TTh. an obliget qui gravantur mortalibus, vel et qui solum habent venialia. Ceterum in Paschate omnes consuetudo universim obligare videtur, cum paschali praecepto satisfacere omnes tenentur. – Et praescindendo a praecepto Communionis paschalis, lateranense Conc. non obligat nisi semel in anno, quin tempus determinarit, neque convenit a quo tempore annus ducat initium. – Tandem *quaer.* Qui toto anno dictam confessionem omisit, tenetur ne adhuc huic praecepto satisfacere? Et *respondent* rigidiores quod teneatur quamprimum; et mitiores quod non teneatur, quia praeceptum supponit terminum ad finiendam obligationem.

quia cum opera poenalia vel a confessariis, vel a iudice ecclesiastico iniuncta (ubi delictum est publicum), aut sponte suscepta, sive aerumnae huius vitae patienter toleratae ad temporalem poenam delendam, peccatori gravibus peccatis obstricto, saepe non sufficiant, Ecclesia per indulgentias occurrit, quae in c. tit. *remissiones* vocantur, de quibus sit breve

Summarium. — **Indicata** 1) **notione et** 2) **varia specie indulgentiarum** 3) **asseritur indulgentias quascumque etiam pro defunctis ex plenitudine potestatis suae posse Rom. Pontificem elargiri, et eos, quibus ipse concedit elargiendas, at nec valide nec licite sine iusta et rationabili causa;** 4) **additis conditionibus pro his, nominatim** 5) **pro Iubilaeo lucrandis** (1).

238. *Declaratur 1. p.* **Notio.** Indulgentia est *relaxatio poenae temporalis, quae ob peccata actualia iam remissa debetur, a superiore legitimo facta per applicationem meritorum Christi et Sanctorum.* Quae definitio aliis verbis traditur et a *P. Theod. de Indulg. p. 1. c. 1.* scilicet: est remissio poenae temporalis quoad culpam, quam Ecclesia suis subditis concedit extra sacramentum per potestatem solvendi sibi divinitus factam ex thesauro meritorum Christi et SS. *Poenae temporalis,* quia per indulgentias non remittuntur peccata quoad reatum culpae, sed poenae post dimissam culpam adhuc residuae, aut in hac vita aut in Purgatorio delendae. Per *applicationem meritorum....* scilicet opera Christi, quae sunt satisfactoria et infiniti valoris, tum B. M. Virg. et aliorum SS. quibus ipsi ad satisfaciendum pro suis peccatis non indiguerunt... Quam Ecclesia concedit suis subditis, quia a non suo iudice nullus ligari valet vel absolvi. C. *Quod autem consuluisti h. t.* Ast indulgentia ita est remissio, ut sit simul solutio seu exhibitio Deo alicuius pretii seu satisfactionis, pro satisfactione, quam deberet is, cui indulgentia conceditur.

(1) De hoc salutari argumento cf. **praeclarum** *Manuale de Indulgentiis auctore Benedicto Melata,* qui egregius auctor in suo elencho post prooemium plures probatos hac de re scriptores recenset. – Cf. et Canon. DD. *in t. de Poenit. et remiss.*

239. *Declaratur 2. p.* **Multiplex** est indulgentia; nam distinguitur 1°. ratione sui *Totalis* vel *plenaria,* per quam tota poena in Purgatorio pro peccatis luenda dimittitur, et *Partialis,* per quam non tota, sed pars aliqua eiusdem poenae relaxatur: si indulgentia sit e. g. 40. dierum dicitur *Quadragena,* qua deletur poenae tantum, quantum fuisset exsolutum per ieiunium 40. dierum secundum antiquos canones; si sit indulgentia 7. annorum dicitur *Septenna,* per quam remittitur poena, quae deleri potuisset per ieiunium 7. annorum a dictis canonibus iniunctum. Unde falsum est per indulgentias 40. vel 100. dierum; 7. 20. 100. annorum tantum deleri poenae, quantum in Purgatorio per huiusmodi tempus delendum esset. Ratio est, quia opera viatoris in gratia constituti Deo longe gratiora sunt, quam in Purgatorio existentis tolerata poena, ob defectum libertatis. 2°. Ratione eorum, quibus indulgentia conceditur, alia est *Pro vivis,* quae per modum absolutionis, et alia *Pro defunctis,* quae per modum suffragii conceditur. 3°. Ratione modi est *Personalis,* quae sine determinatione ad certum locum vel rem materialem, vel *Localis* quae cum determinatione ad certum locum e. g. Ecclesiam, altare...., aut *Realis,* quae cum determinatione ad certam rem materialem e. g. Rosarium, Numisma..... concessa est (1). 4°. Ratione temporis *Perpetua* dicitur, quae durat donec revocetur, *temporalis,* quae ad certum tempus durat vel perpetuo, sed pro certa tantum anni die (2).

(1) Indulgentiae reales non possunt applicari nisi rebus solidis, ne ferro quidem et ligno exceptis, S. C. Indulg. 59 Febr. 1820; 15 Maii 1853: vitrum solidum et compactum reputatur materia solida quoad coronas et rosaria, S. C. Indulg. 29 Febr. 1820.

(2) Huc referenda *a*) indulgentia cum addito *toties quoties:* scil. cum plenaria indulgentia ex eodem titulo plus semel in die acquiri nequeat, si specialiter conceditur fidelibus eam acquiri tot vicibus, quot ab iisdem pia opera iniuncta repetuntur, quae possunt ac solent repeti dicitur indulgentia *plenaria toties quoties: b*) indulgentia cum addito *quotidiana perpetua* aliquam ecclesiam visitantibus ut plurimum concessa: et est ea, quae licet quolibet anni die arbitrio cuiusque eligendo, tamen nonnisi semel tantum in anno acquiri potest, nisi clare et explicite in concessione dicatur eam quotidie adquiri.

240. *Declaratur et dem. 3. p.* **Potest R. Pontifex** ex Matth. 16: *Tibi dabo claves regni caelorum.... quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis, ex c. Unigenitus 2. h. t. intra Extrav. comm.....* **Quascumque** plenarias scilicet et non plenarias, personales reales..... Etiam **pro defunctis** per modum suffragii sive *solutionis* h. e. satisfactiones Christi exhibendo divinae Maiestati quasi solutionem pretii, adiunctis precibus, ut eas pro debito poenae a defunctis adhuc substinendae *dignetur* Dominus misericordialiter *acceptare: dignetur* acceptare licet communior et vera sententia S. Thomae teneat indulgentias suum infallibilem habere effectum.

Dixi **nec valide** etc. et **sine iusta causa speciali,** qualis est exaltatio Ecclesiae, extirpatio haeresis....; nec sufficit generalis causa liberandi animas a poenis temporalibus a fine indulgentiarum indistincta *c. 4. h. t.* Ratio est, quia Papa non est dominus sed dispensator thesauri Ecclesiae (1).

Eos posse elargiri quibus concessum est: porro ex iure vigenti elargiuntur *a*) Cardinales in suis titulis 100. dies: *b*) Legati Sedis Apost. eas possunt, quae iuxta speciales facultates conceduntur: communiter 100. dierum: *c*) Episcopi dierum 40. et in dedicatione Ecclesiae anni unius in sua dioecesi: idem Archiepiscopi in sua dioecesi et provincia: *d*) capitulum sede vacante abstinebit Petra *t. 3. ad. Const. 16. Alex. IV. n. 26: e*) Praelati Episcopo inferiores, salvo speciali privilegio, non possunt.

(1) Sit autem causa iusta 1. rationabilis ac proportionata ut concurrat finis pius et Deo gratus, cuius assecutio magis Deo placeat quam poenitentialis satisfactio per indulgentiam relaxata: 2. ut opus bonum praescribatur, quo talis finis probabiliter obtineatur non ita tamen satisfactorium opus ut capax sit compensare per se poenam debitam: alias, non *remissio* sed mera commutatio: 3. Si causa reipsa non esset *proportionata* et sufficiens sed qua talis prudenter aestimaretur a concedente, ait Lugo *de Sacr. Poenit. disp. 27. s. 8. n. 145.* quod dispensatio esset valida, quia concedens ageret iuxta legem prudentiae ideoque thesaurum Christi fideliter dispensaret: 4. ad indulgentiam generalem adsit causa publica, ni forte bonum aliquod privatum esset tanti momenti ut bono communi aequivalere recte censeatur.

REQUISITA PRO LUCRANDIS INDULGENTIIS.

241. *Declaratur 4. p.* Requisita porro sunt ut sit, 1) baptizatus et non excommunicatus; 2) generatim subditus concedentis indulgentias, exceptis, quae quopiam in loco *generatim* concessae fuerint visitantibus Ecclesiam, Altare, Imaginem..... et a quibus peregrini non excluduntur; 3) opus iniunctum (1) nominatim confessio quae peragi debet ab iis etiam, qui lethalis culpae conscii sibi non sunt (2). Si indulgentia sit determinata pro die festivitatis, fieri potest in pervigilio. 4) Status gratiae saltem in ultimo actu.... 5) An intentio aliqua requiratur variant DD.; si vero requiritur, virtualis intentio certe sufficit, et etiam habitualis (3).

(1) Superior enim concedit indulgentiam sub conditione ut praestentur talia opera, unde si pars notabilis omittatur, etiam inculpabiliter, indulgentiam non consequeretur: secus si pars minima omitteretur, quia tunc parum pro nihilo reputatur. Monet Lugo, l. c. « Qui exhibet dimidiam operis partem, non lucratur dimidium indulgentiae, quia indulgentia non conceditur divisibiliter ». Attamen impleto opere iniuncto, lucratur quis plus minus remissionem poenae pro uniuscuiusque dispositione, quae raro tam perfecta est ut omnis poena tollatur. A qua necessitate implendi opera praescripta quadantenus excipiendus est casus commutationis, quae est substitutio alterius operis operi praescripto, et fieri potest cum aliqua dispensatione vel non, prout substitutum opus inferius vel aequale sit. Interim commutat qui concessit aut eius superior vel horum successor, et omnes qui hanc facultatem a legitimo superiore obtinent. De facto nunc omnes confessarii habent facultatem commutandi in alia pia opera communionem et visitationem Ecclesiae habitualiter infirmis, seu omnibus qui ob physicum permanens impedimentum e domo egredi nequeunt. Decr. Urb. et Orb. 18 Sept. 1862. Decr. 393.

(2) Confessio debet esse sacramentalis, peracta eo tempore quo indulgentia lucrari potest, ita tamen ut pro omnibus fidelibus confessio sicut et communio peragi possit pridie illius festi, pro quo concessa est indulgentia; pro fidelibus, qui frequenti peccatorum confessione animam studentes expiare semel in hebdomada ad sacramentum poenitentiae accedunt, valeat hebdomadaria confessio si nullius lethalis culpae sint conscii ab ultima confessione.

(3) Duo addere praestat: quorum alterum est circa *indulgentiam pro defunctis*. Haec est actus potestatis clavium, quo fideli aliquod pium opus praestanti facultas fit applicandi defunctis eam remissionem, cuius valorem

DE IUBILAEO.

242. *Declaratur 5. p.* Iubilaeum praeter plenarias indulgentias hoc habet proprium, quod concedat facultatem eligendi quemcumque confessarium ex approbatis ab Episcopo, cui confessario communicatur insuper potestas absolvendi ab omnibus peccatis, censuris et casibus alias Episcopo, imo et R. Pontifici reservatis, (quandoque exceptis iis, qui in Bulla *Apostolicae Sedis* R. P. speciali modo reservantur), item licentia commutandi vota: modo non sint vota praesertim castitatis perfectae et Religionis ingrediendae, quae solent reservari. Iamvero pro Iubilaeo generali lucrando requiritur, praeter dicta ad plenarias indulgentias scil. confessio, communio in statu gratiae etc. etiam 1. Ieiunium trium dierum fer. IV. VI. et Sabbatho; 2. eleemosyna; 3. visitatio Ecclesiarum pie orando ad Sum. Pontificis intentionem *cf. Bened. XIV. Bulla Inter praeteritos 3 Dec. 1749* (1).

intuitu illius operis ex thesauro Ecclesiae subministrat Romanus Pontifex. Cf. Melata, l. c. p. 5. Indulgentias defunctis non applicari nec prodesse per modum absolutionis iudiciariae, sed per modum oblatae solutionis, instar scilicet suffragii seu auxilii, est communis sent. DD. Ad has indulgentias pro defunctis lucrandas requiritur 1. auctoritas et causa legitima, cuius auctoritatis, residentis in uno Rom. Pontifice, est exercitium auctoritatis in viventes: quia mortui non subsunt amplius auctoritati Rom. Pontificis. Viventes autem, sicut possunt applicare aliis etiam defunctis sua privata suffragia, ita possunt auctoritate Ecclesiae applicare defunctis indulgentias, hoc est remissionem poenae, quam ipsi acquirunt non formaliter sibi, sed quâ ponunt causam, ob quam iis fit facultas applicandi defunctis eam remissionem poenae, cuius valorem aequivalenter ex thesauro subministrat Ecclesia: 2. executio operum praescriptorum fiat ex intentione indulgentias defunctis applicandi: 3. requiritur, iuxta plures, status gratiae saltem in fine ultimi operis iniuncti.

Alterum est circa *ipsarum effectus:* qui sunt a) remissio poenae temporalis ex peccatis quoad culpam dimissis residuae: b) remittere omnem poenam debitam in foro Dei: c) ad interpretationem rescriptorum applicandae sunt regulae generales pro rescriptis in genere.

(1) Iubilaeum aliud *maius* et *ordinarium,* quod recurrit quolibet 25o et celebratur primo Romae per integrum annum, ac dein in aliis Orbis partibus per tres menses; aliud *extraordinarium,* quod indicitur a Romano

TITULUS XIII.

DE IURE LITURGICO.

243. Consideramus hoc ius in tota sua amplitudine prout complectitur leges ss. rituum, dies festos, ieiunia et abstinentias ecclesiasticas, officia divina et Missae celebrationem, caeremonias omnes, et si quid est aliud quod ad sacras observationes pertinet *iuxta etiam titt. decretal. de observatione ieiunior. et celebrat. missar.* Porro liturgia describitur complexio rerum verborum, et actionum in Ecclesia catholica pro cultu externo institutorum: vel brevius: « Forma cultus externi a Deo data vel ab Ecclesia probata ». *Bouix De iure lit. P. 1. c. 3.* Et quoniam haec omnia non modo cultum ipsum publicum directe respiciunt, sed conducunt maxime ad vitae sanctitatem: *a*) quia natura comparati sumus ut per sensibilia ad invisibilia excitemur; *b*) ritus efficaciores quam ipsum verbum Dei, iuxta illud « Segnius irritant animos demissa per aures, quam quae sunt oculis subiecta fidelibus »; *c*) uti experientia conversorum ad fidem per signa, *Sixtus V. Bulla Immensa* et *Trid. de solemnibus Missae sacrificii caeremoniis* testatur; paullo accuratius quamvis breviter parte I) generali exponemus *a*) fundamentum rituum; *b*) formulam *Lex credendi lege supplicandi statuitur; c*) fontem iuris liturgici, seu cuius sit potestas iuris de

Pontifice ob gravem aliquam causam ad certum aliquod tempus, e. g. in exaltatione ipsius R. Pontificis. Est etiam *generale* vel *particulare*, prout omnibus fidelibus, aut cuidam particulari coetui conceditur. — Tempore iubilaris anni ordinarie per totum Orbem suspenduntur indulgentiae plenariae pro vivis, cuius suspensionis finis exprimitur *Extrav. Quemadmodum de poenit. et remiss., ne usu* scil. indulgentiarum accessus ad Urbem impediatur: ita tamen ut remaneant partiales, e. g. pro oratione *Angelus*, pro visitando Sanctissimo Sacramento publice exposito; neque suspendantur indulgentiae concessae pro defunctis, pro constitutis in mortis periculo, nec affixae altaribus privilegiatis: imo neque indulgentiae concessae pro vivis sed applicantur defunctis, *Bened. XIV. Const. Cum nos nuper;* manent quoque indulgentiae concessae ab aliis quam a Romano Pontifice, e. g. a Legatis eius. Lis est inter DD. an remaneant tunc indulgentiae Lauretana, Compostellana, Portiunculae.

liturgia dicendi; *d*) organon legitimum iuris liturgici; *e*) an merito in ss. ritibus usus fiat linguae latinae. De his, sicut et de mystica significatione, nec non de sociali vel morali SS. Rituum aliarumque cultus observationum utilitate, rei liturgicae scriptoribus uberiora suggerenda permittimus; II) in specie quaedam addemus de divinis officiis, de Festorum celebratione, deque ieiunii observatione etc. etc.

Summarium. — Statim ab Ecclesiae exordiis 1) forma liturgiae seu externi cultus quoad substantiam ubique determinata fuit atque praescripta, varia 2) tamen in accidentalibus pro variis initio fundatis Ecclesiis.

244. *Ratio 1^i.* est quia *a*) debuerunt Apostoli praescribere nomine Christi quae sunt necessaria valori et integritati Sacramentorum et sacrificii, quibus efficitur substantialis quaedam Ecclesiae liturgia. Imo plura et ipsi Apostoli debuerunt determinare e. g. horas, ordinem, modumque conventibus populi vocandis, mysteriis celebrandis, hymnis Deo persolvendis; secus omnia fuissent confusione plena: *b*) id etiam testantur rituales libri vetustissimi. Constat 2^m. ex varietate idiomatum, quae fuerunt adhibita etiam ab Apostolis, et ex pluribus monumentis 5. et 6. saeculo testantibus ad unitatem liturgias reductas fuisse.

Summarium. — Quamvis 1) tantum saec. VIII. tam in Galliis 2) quam in Hispaniis et 3) generatim in qualibet terrarum plaga fuerit introducta romana liturgia tempore Gregorii VII.; tamen ante hoc tempus nullibi et nullo post Apostolos tempore videtur fuisse licitum locorum Praelatis aut Conciliis particularibus liturgiam alicubi vigentem auferre ad aliam, noviter confectam, introducendam. Cf. Bouix de Iur. lit. P. 3. c. 4. 7.

245. *Prob. 1. p.* Etsi ante saec. VIII. Romani Pontifices hortati fuerint saepe Ecclesias Occidentales ad Romanam liturgiam, ut constat ex epp. Siricii, Caelestini, Innocentii I.; tamen numquam ad eam liturgiam stricte obligarunt, ut pa-

tet ex resp. S. Augustini Angliae Apostoli. Ast saec. VIII. sublata est antiqua Ecclesiarum Galliae liturgia atque Romana introducta, et confirmata fuit in universo Romano Imperio uti habetur in Capitularibus Aquisgrani confectis an. 789. Dum a primis temporibus... (nostrae partis Ecclesia) ab ea (Ecclesia Romana) paulo distaret (quod tamen contra fidem non est) in officiorum celebratione, venerandae memoriae Genitoris nostri illmi Pipini Regis cura et industria, sive adventu in Gallias SSmi. Viri Stephani Romanae Urbis Antistitis, est ei etiam in psallendi ordine copulata, ut non esset dispar ordo psallendi, quibus erat compar ordo credendi; nec seiungeret officiorum varia celebratio, quos coniunxerat unicae fidei pia devotio ».

Prob. 2. p. Item quod a Gregor. VII. sublata ex Hispaniis sit liturgia *mozarabica* ad Romanam introducendam patet ex *Greg. VII. ep. ad Alphonsum et Sanciam* Hispaniae Reges atque ad Episcopos eiusdem ditionis.

In Anglia iam a tempore S. Gregor. M. liturgia Romana vigebat, ut constat et Conc. Cloveshoviensi.... et sic in aliis totius Occidentis regionibus, ita ut in toto Occidente generatim fuerit admissa a tempore Gregor. VII.

246. *Prob. 3.* Ex monumentis enim patet duplicis tantum generis immutatio liturgica: quarum 1. est, qua sensim sine sensu eiusdem Ecclesiae liturgia ditatur officiorum, rituum, consuetudinum accessionibus, vel pro mutatis temporibus minus idoneis exuitur antiquis formis: 2. Ut qua liturgia ab antiquissimo licet aevo in aliqua regione vigens de medio tollitur, ut alia antiqua alibi vigens e. g. Romana in sublatae locum succedat. At nullatenus probatur in locum antiquae et vigentis expulsae introduci aliam noviter confectam. Liturgia enim quoad substantiam valorem dogmaticum habet, ita ut tota sit quaedam fidei enunciatio, et dogmatis veluti clamor: atqui moderationem independentem fidei et dogmatis numquam potuit Ecclesia permittere singulis episcopis vel horum synodis particularibus utpote infallibilitate carentibus.

Item, prioribus praesertim saeculis, nemo dictam mutationem absque summo scandalo tentare potuisset: quia quaeli-

bet Ecclesia ab apostolo vel apostolico viro traditam sibi liturgiam veluti sacrum depositum et tutissimam credendi et agendi regulam vehementi zelo custodiebat.

Summarium. — A tempore S. Pii. V. liturgia romana correcta in toto Occidente (salvis quibusdam exceptionibus) ita praescripta est, ut ius liturgicum Sedi Apostolicae fuerit et remaneat omnino reservatum.

247. Constat id ex Bulla Pii V. *Quod a nobis.* Dixi **salvis quibusdam exceptionibus**, scilicet 1°. Ecclesia Mediolanensi, ubi servatur ritus ambrosianus: 2°. Cappellis Toletanis, quibus ritus Mozarabicus est concessus: 3°. quibusdam aliis Ecclesiis, in quibus vigebat liturgia 200 annis antiquior. Qua de causa retentus est a Benedictina familia ritus s. Fundatoris; Praemonstratenses ritus romanos saeculi XII. servarunt etc. Orientalibus porro Ecclesiis ritus suos moresque servare sine ulla innovandi potestate permissum esse disces ex Bened. XIV. Bullar. t. 1. Bulla 87.

248. Scholion I. Merito autem Ecclesia adeo sollicita fuit circa liturgiam, quia *lex credendi lege supplicandi statuitur,* iuxta *Coelestin. R. P. saec. V. epist. 21. apud Constant.* obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi, scilicet liturgia est connexio imo plerumque realis expressio dogmatis cf. probatos TTh. Certe generatim actus cultus externi exprimit essentialiter et ex natura sua aliquid credi, seu est alicuius doctrinae creditae expressio: sed tota liturgia constat actibus externi cultus sub hac vel illa forma. Equidem actus religionis est semper et necessario actus hominis aliquid credentis et aliquid ex hac fide et persuasione sive naturali sive supernaturali agentis; sed liturgia est actus religionis externe proditus *cf. Bouix l. c.*

249. Scholion II. Ius ordinandi et immutandi liturgicos actus *a*) quod primis temporibus ex pontificia indulgentia ab Episcopis et Conciliis Provincialibus exercebatur, successu temporis, unde quaedam indulgentia permanaverat, *b*) *eodem*

ob Ecclesiae utilitatem fuit revocatum, ipsique tandem Apostolicae Sedi expresse reservatum ita, ut gravissimis comminatis poenis, nulli amplius unquam liceat inconsulta Apostolica Sede vel integre vel partim breviario, missali romano, caeremoniali aliisque libris liturgicis aliquid addere, detrahere vel immutare. Cf. Bouix pro 1ª. assert. *l. c. V.* et *p. 3. cap. 2. et 3.* Cfr. pro 2ª. assert. Pii V. Bulla *Quod a nobis* 7. idus Iulii 1568, et *Quo primum tempore* Pridie idus Iul. 1570., et Bouix *l. c. p. 3. c. 9.*

Summarium. — Supremum 1) ius liturgicum ad unum Rom. Pontif. pertinet. 2) Porro organon quo R. P. illud ordinario modo exercet est Congregatio sacris ritibus praeposita. 3) Merito autem in s. liturgia usus obtinet latinae linguae.

250. *Dem. 1. p.* Liturgia *a*) est symbolorum complexus fidem ipsam experimentium, vel forma cultus interni in Ecclesia constituti, catholici dogmatis expressio et professio; sed iudicium de doctrina, fide, et cultu pertinet ad unum Romanum Pontificem. *b*) Patet et ab exemplis ac praxi Romanorum Pontificum, qui a vetustissimo tempore partes summas gesserunt, semperque incubuerunt, ut constans atque uniformis sacrae liturgiae quaepiam norma constabiliretur ubique. Cf. Bouix *P. 2. Sect. 2.*

Decl. 2. p. Ibidem ubi in 1. libro egimus de S. R. C. praesertim de eius auctoritate.

DE USU LINGUAE LATINAE IN LITURGIA.

251. *Decl. 3. p.* Linguae latinae usus in s. liturgia apud Ecclesiam occidentalem merito obtinet (1). Quamvis Ecclesia pluribus in precibus vulgares indulserit linguas, praesertim quae a Latina non derivarent, hanc tamen in sacramentorum administratione, in sacris litandis, officiisque peragendis constanter retinuit. Id namque perpetuo et constanter Cultus sacri

(1) Primis Ecclesiae saeculis I–III. obtinuit quoque usus linguae graecae etiam in occidentali Ecclesia, praesertim Romae.

exigebat *a*) uniformitas pro unitate fidei (1) servanda, *b*) tuitio atque conservatio integritatis doctrinae, quae versionibus variis temerari poterat, *c*) ss. rituum maior dignitas atque sublimis maiestas adeo, ut vel Orientalis Ecclesia non graecam vernaculam, sed antiquatam retinuerit linguam cf. Taparelli (2) not. 127 et Perrone *de analog. fidei.*

(1) Ad rem P. Perrone, *Tract. de locis Theol., p. 3, sect. 2, c. 2, n. 357 et seq.* probans quod in sacris disciplinis mordicus retinendus sit usus linguae latinae. « Possem, inquit, pro hac affirmatione in medium afferre 1. quod latina lingua, utpote constanti et antiquissimo Ecclesiae usu consecrata et *liturgica* effecta, ius quoddam sibi merito adsciscere videtur etiam in sacras disciplinas, quae Ecclesiae doctrinam fideique depositum continent; 2. quod Christi Ecclesiam, cum catholica vere sit seu universalis, maxime decet, valdeque ei fructuosum est, *universalem* linguam habere, qua doctrina eius systematice tradatur ac illustretur; sic ut varii catholicorum theologorum, licet diversarum nationum labores in communem totius Ecclesiae usum ac fructum venire queant; 3. quod Patres quamplures, Doctores, ceterique Theologi scriptores superiorum fere omnium Ecclesiae aetatum latina lingua opera sua potissimum exararint; 4. quod ubi a theologis scholis latinus ablegetur sermo, vernaculis linguis suffectis, huius linguae studium in iunioribus theologis restinguetur ac decidet, magno cum clericalis coetus dedecore atque Ecclesiae ipsius detrimento ». Et num. 358 pergit: « Sed alia est ratio momenti adhuc valde maioris, quae rem nostram omnino conficere debet, *maxima nimirum pericula et damna* quae fidei catholicae obveniant oportet, siquidem eius dogmata vernaculis linguis tractentur. Habent enim christiana dogmata cum ratos firmosque conceptus suos, quos immutare nefas est, tum locutiones illas perpetua traditione atque usu consecratas, quae conceptus illos rite efferunt, perpetuoque integros servant. Atqui si haec omnia cuique e vernaculis linguis committantur, quae variae ac mutabiles sunt, et quas quisque scriptor pro ingenio suo inflectere potest ac aliam alius vocabulis significationem tribuere, quis non videt, quot inde in dogmata ipsa varietates, ambiguitates, perversiones etiam dimanent?... Ex quo enim in nonnullis regionibus latina lingua e theologicis disciplinis etiam a iunioribus erudiendis exulavit, neotericae philosophiae placita ita in theologica dogmata irrepserunt, ita imaginationis aestui habenae laxatae sunt, ita simplicitas fidei, quae in scientia etiam theologica elucere debet, adscititiis est ornamentis et fuco adulterata ut veram germanamque theologiam frustra desideres ».

(2) Hic A. l. c. assertionem Sansimonistarum refert prius: « Dal fin qui detto, il problema – se convenga insegnare il latino – è sciolto in due parole: Finchè il latino fu in Europa la lingua de' moralisti e dei dotti, insomma del Clero, il Clero dovette onninamente imparare il latino sotto pena a' suoi di non capirsi fra loro. Ma oggi che i trattati di scienza in

DE OFFICIO DIVINO.

Summarium. — Divinum Officium a) quod etiam laici olim peragebant, quodque nunc praeter Clericos et Sacris Ordinibus constitutos, tenet beneficiarios et in religione professos, c) quoad preces, caeremonias, ritus.... determinavit Sedes Apostolica praesertim Pius V. Const. Quod a nobis, confirmata deinceps a Clemente VIII. Const. Cum in Ecclesia.

252. *Decl. 1. p.* Divinum officium nunc appellatur « *certus ille ac solemnis ritus ac numerus psalmorum, hymnorum, lectionum aliarumque precum Ecclesiae auctoritate institutus atque in*

lingua latina sono *antiquati* ecc.... lo studio del latino ha perduto ogni importanza, anzi è divenuto nocivo ». *Tum hisce absurdis respondet.....* « Finchè il latino sarà la lingua della Chiesa, finchè il cattolico reverirà ne' suoi Padri i canali della tradizione apostolica e divina, finchè la parola divina gli verrà nella Volgata autenticamente transmessa in questa lingua, ogni dotto cattolico dovrà imparar lingua latina sotto pena di non capire originalmente le dottrine che formano per lui il prezioso deposito d'ogni verità. Ma coloro a cui lo studio delle verità cattoliche è *antiquato*, dovran trascurarla, coloro che vogliono abolirle o negarle, dovranno distruggerla. Ecco la vera cagione della guerra contro l'introduzione del latino negli studi elementari: nei cattolici una certa indifferenza, un torpore nato da languidezza di fede, di amore, fa che non veggano molta importanza nel comunicare più intimamente colla Chiesa lor madre, e però trascurino la lingua *materna;* nei miscredenti la brama di sciogliere l'unità cattolica li rende accaniti a confinar solo nei recinti del tempio quell'idioma, che vive solo per narrar le imprese, e ricordar i precetti di Dio Redentore.

« Una Chiesa che abbraccia tutti i popoli abbisogna di lingua universale; ma non ha motivo per adottare la lingua di questo più che di quello: ogni preferenza sarebbe ingiuria. Una Chiesa che dura *fino alla consumazione dei secoli*, abbisogna di una lingua che attraverso a' secoli corra inalterabile: e tali sono le lingue *morte*. Una Chiesa, a cui è essenziale l'aristocrazia governante, non abbisogna ne' suoi consigli e disquisizioni governative d'una lingua che si capisca dal volgo: anzi un insegnamento sublime è necessariamente all'orecchio del volgo sorgente di errori e dubbii, quanto facili a nascere, tanto difficili ad estirpare. – La Chiesa cattolica, stabilita per amare e credere, non ha genio alla disputa; e forzata entrar in disputa, vorrebbe almeno che il volgo non c'entrasse. Volentieri dunque ella vi parla in latino... –. (De Maistre, de l'Eglise Gallicane, c. VI, pag. 61)... Conchiudiamo dunque: la Chiesa abbisogna, umanamente parlando, d'una lingua *universale, inalterabile, dotta:* chi conspira

statas diei horas distributus ut continenter Deo laudes offeramus ». Devoti heic. Iamvero divinum officium iam ab Apostolis ori-

a privarnela, fa guerra alla sua *unità*. La cristianità abbisogna d'una comunicazione agevole fra il Capo ed i ministri. Ogni persona instruita dovrebbe qui dunque arrossire di non comprendere la lingua dotta (*mandarina*, diremmo alla Cina) e di chiudersi l'adito non pure alle dignità di questa società, ma anche alla più intima comunicazione di affetti, con tutto quel mistico corpo che in lingua sua propria alza continuamente al cielo preghiere e laudi. I genitori cattolici dovrebbero bramar a' loro figli questo nuovo legame colla cattolica Chiesa. Ecco le vere ragioni, per cui la lingua gerarchica dovrà sempre fra cattolici far parte di *liberale* educazione: escluderne lo studio sarebbe un vietare ai figli l'ingresso del Santuario e la intimità del consorzio cattolico. — La legislazione di un popolo cattolico deve *essenzialmente* esser in armonia colla legislazione della Chiesa riconosciuta da lui maestra dell'onesto e del vero: e però mille casi occorrer potranno in cui le leggi di questa dovranno guidare nell'applicazione delle leggi politiche. Sarà egli onorevole ad un magistrato cattolico il doversi raccomandare ai traduttori e non sapere senza essi rettamente compiere le sue funzioni?

« A che, domandano, spendere tre anni o quattro nello studio di una lingua morta? Si deve rispondere, che se tanto realmente vi si spendesse, pel cattolico non è morta la lingua con cui la Chiesa parla al suo Dio; la lingua con cui si rannoda a' suoi Padri; la lingua con cui dà leggi alle coscienze; la lingua con cui spiega ed all'uopo emenda i Codici; la lingua con cui si unisce al suo centro, al Vicario di Cristo; la lingua per cui i fedeli radunati da remotissime terre comunicar possono fra loro pensieri ed affetti: no, questa lingua non ha delle lingue morte se non l'essere inalterabile come la società, sul cui labbro ella suona. Chi fa conto di questi vantaggi, dovendo pur insegnar ad un figlio sopra qualche lingua particolare i rudimenti della grammatica generale, non potrà non gradire che esso li apprenda, prima d'ogni altro, nella lingua di quell'universale Società, dal cui solo magistero egli spera verità e salvezza. Queste sì, queste son le vere ragioni per cui il latino formò e formerà parte dell'istruzione elementare cattolica: non la bellezza, l'armonia, la maestà, la concisione o altro pregio letterario, argomenti buoni solo per i letterati.... Il vero argomento fondamentale eccolo: ogni cattolico deve stimarsi ignorante se non capisce la lingua cattolica, come ogni Francese se la francese.... Esaminate, vi prego, imparzialmente le ragioni della Chiesa e le confessioni de' suoi nemici, e poi decidete se può codesta Madre condannarsi ad imparare e parlare mutabil lingua, e non sua, nelle sue preci, nelle sue leggi, nelle sue dottrine; Ella, innanzi a cui sfumano i secoli, e piegasi l'universo; se conviene a figlio non idiota di Madre sì augusta condannare sè ed i suoi a balbettare con lei senza capirlo il linguaggio che Ella gli pone sul labbro ».

ginem duxit. Ab Apostolorum enim tempore ad divinas fundendas preces convenire Christiani consueverant. Certa sunt testimonia ex actib. Apost., ex epist. Plinii ad Traianum, ex 2. apologia S. Iustini, ex Tertull. de ieiunio, ex S. Cypriano de orat. domin., ex Constitutionibus quas vocant Apost. Huius consuetudinis fundamentum in ipso divino orandi praecepto reperiebant Patres. Hinc non modo Clerici sed etiam Laici ad oradum conveniebant: quod ipsi adeo necessarium putabant, ut cum publice non possent, saltem domi suae privatim quisque compleret, uti fusius ostendit *Thomassinius de vetere et nova beneficiorum disciplina P. 1. L. 2. c. 71. seq.*

Cum autem Laicorum fervor decreverit, cumque ab his iam publicae preces negligi coeptae sint, Ecclesia ferme liberae eorum conscientiae hoc divinum orandi praeceptum implendum permisit. *Ferme* dixi: Plura namque adhuc extant antiquorum CC. decreta, queis Laici divinis officiis interesse diebus saltem festis cogebantur; Clericis autem, quominus huic praecepto orandi seu horis canonicis satisfacerent, numquam remisit. Et re quidem vera, ipso saec. IV. cum primum Ecclesia pacem nacta est, *Concil. Chartagin. IV.* stipendio suo, seu quotidiana sustentatione Clericum privat, si contigerit ut *absque corpusculi sui inaequalitate vigiliis desit.* Saec. V. *Synod. Veneta can. 14.* ita disponit: si Clericus matutinis hymnis sine probabili excusatione aegritudinis inventus fuerit defuisse septem diebus, a communione stipendiorum *habeatur extraneus.* Saec. VI. celebris est *Novell. 42. de Episcopis et Clericis quae § 6. sic habet:* « Sancimus ut omnes Clerici per singulas Ecclesias constituti per seipsos psallant nocturna, matutina, et vespertina, ne ex sola consumptione rerum ecclesiasticarum Clerici appareant, *nomen* quidem habentes Clericorum, *rem* autem non implentes ». Sed aucto deinceps Clericorum numero cum non omnes stipendium, nisi qui erant in sacris constituti et alii pauci acciperent, contigit, ut qui nil de Ecclesiae bonis perciperet officii oneri deesse coeperint, neque amplius eos ad id obligare aequum duxit Ecclesia. Hinc factum est ut officii onus adimplendum Clericis in sacro ordine constitutis et beneficiariis sit reservatum.

Ex his omnibus patet tanti officii onus ex vera ac perpe-

tua Ecclesiastica institutione descendere. Ad Regulares quod attinet, hi pium antiquorum Laicorum fervorem semper usque servarunt: atque adeo a primis Ecclesiae temporibus horas canonicas numquam omiserunt Cf. hac de re *Cassian. de institutis coenobiorum L. 2.*

Notandus est *can. 15. Dist. 5. de Cons.* ubi eadem quasi Officii methodus in recitandis horis, quae nunc obtinet describitur, atque asseritur esse *ex regula SS. Patrum. Canon est Gregor. VII. (an. 1078).*

253. *Decl. 2. p.* Oritur haec obligatio ceu ex titulis ex professione religiosa in Ordine, qui est choro adstrictus (1), nec non beneficiariis (2) et Clericis, qui sunt in ss. Ordinibus constituti. *Cf. Bend. XIV. Constit. Eo quamvis tempore 129. § 43 et 48. t. 1. eius Bullarii.* Incipit obligatio orta ex beneficio ecclesiastico a die initae possessionis beneficii; orta ex ordine sacro aut ex professione religiosa ab hora suscepti ordinis vel editae professionis: in 1. casu ex matutino, in ceteris ex ea officii parte, quae horae eius diei respondet *Cf. D'Annib. Summ. Th. mor. v. 3. n. 452. 458.*

(1) Haec ad officium recitandum quoad regulares obligatio ita accipienda, ut non teneantur ad privatam recitationem ii, qui vota tantum simplicia emiserunt in Ordinibus votorum solemnium *S. C. super statu Regul. 6. Aug. 1858* etsi hanc recitationem regula praescribat *S. C. Episc. et Reg. 27 Mart. 1882.*

(2) Beneficiarii recitationem breviarii omittentes, elapsis sex mensibus post adeptam beneficii possessionem, fructus beneficii non faciunt suos, ideoque eos restituere debent ante omnem sententiam iudicis *Leo X. in Conc. later. 5. §. 38* quamvis non ex iustitia, sed ex iure positivo quasi poena conventionalis. *D'Annibal. l. c. III. n. 65.*

Hodie fere omnes; qui ad officium divinum tenentur, breviario romano uti debent, et lectiones ex integro vel ex parte reformatae inseri quidem debent in novis breviariis: sed non obligant eos qui iuxta breviarum, quod habent, Officium recitant. S. C. R. 14 Dec. 1883.

Peregrini conformare se possunt officio loci, ubi morantur: beneficiarii tenentur semper ad officium propriae Ecclesiae. Regulares extra claustra degentes, sequi debent, calendarium provinciae suae: si ad aliquot dies versantur in alia domo sui ordinis choro addicti, chori kalendarium. Si horas privatim recitant sequantur breviarium domus ad quam pertinent, S. R. C. 27 Iun. 1896. Si per mensem versantur in alia domo, huius sequantur.

254. *Decl. 3. p.* S. Pius V., prout in votis erat Conc. Trid. Const. *Quod a nobis,* certam proposuit breviarii formulam ab omnibus observandam, illis tantum exceptis, qui ab ipsa prima institutione a Sede Apost. approbata, vel consuetudine, quae 200 annos superaret, aliis breviariis uterentur. Hanc porro confirmavit *Clemens VIII* et *Urban. VII. Constit. Cum alias.* Rectissime vero talia sanxere RR. PP. ut nempe amoverentur scandala et incommoda, quae olim ex diversis divini officii formulis sequebantur. Quisquis tandem ad tantum onus tenetur, ut hoc semper reverenter distincte ac devote obeat.

Summarium. — Sicut de Breviario ita de Missali romano S. Pii V. dicendum, quod praeter exceptas Ecclesias in Const. Quod a nobis, ita a) **obligat omnes, ut** b) **post Pium V. neque auctoritate Ordinarii in iis nihil addi, detrahi, aut immutari queat.**

255. *Patet I. a*) ex ipso legis Pianae tenore... quae fundit verba de se praeceptum generale exprimentia de re gravissima; *b*) ex communi DD. consensu; *c*) ex declar. et praxi Romanae Congregationis. Ecclesiae porro, quae ibi dicuntur exemptae, sunt quarum breviarii et missalis formulae ducentis annis antiquiores erant. *Cf. Bouix pag. 242.*

Patet. II. ex decr. S. R. C. apud Gardell. l. 7. pag. 60. Usus missalis et breviarii romani semel introductus in Ecclesia aliqua, quae habebat particulare Missale et Breviarium, confirmandus est, nec licet redire ad usum antiqui missalis et breviarii. Patet praesertim ex ipsa Const., quam lege omnino.

DE LIBRIS LITURGICIS.

Summarium. — Ad s. liturgiam tuendam designati sunt ceu obligantes libri, scilicet 1) **Romanum Pontificale** 2) **Caeremoniale Episcoporum** 3) **Rituale et** 4) **Martyrologium in choro legendum: praeter Missale et Brev.**

256. Decl. et prob. 1. Clemens VIII. Const. *Ex quo...* Urbanus VIII. *Quamvis alias,* sub poenis gravissimis prohibet, quominus Pontificalia edantur sine licentia Inquisitorum vel

Ordinariorum *post factam et sine Collatione,* ex qua iam constiterit cum romana editione conformitas. II. *Caeremoniale Episcoporum,* quod a Clem. VIII. primum ordinatum (an. 1600), tum ab Innoc. X. et tandem a Bened. XIII. emendatum fuit, omnes Ecclesias latinas tenet, etsi illae proprio missali ac breviario utantur *a*) *ex Bullis Cum novissime Clem. VIII. et Etsi alias Innocent. X., b*) ex S. R. C. in causa *Salernitana 16 Iulii 1603.* Omnes Ecclesias Metropolitanas, Cathedrales, et Collegiatas dictum librum Caeremonialem in omnibus ad unguem servare debere. III. Quoad Rituale patet ex brevi ipsius promulgationis « Hortamur in Domino Patriarchas... Abbates, parochos universos, et alios ad quos spectat, ut in posterum... Ecclesiae Romanae auctoritate constituto Rituali in ss. functionibus utantur ». Adhibendum ab omnibus hoc Rituale videtur *a*) ex eodem *Brevi* ubi R. Pontifex asserit eo comprehendi sinceros Ecclesiae ritus, qui in Sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum gerunt; *b*) ex verbis Ritualis « *ut ea quae ex antiquis Eccl. catholicae institutis et SS. Canonum summorumq. Pontificum decretis de Sacramentorum ritibus ac caeremoniis hoc libro peaescribuntur, qua par est diligentia et religione custodiantur et ubique fideliter serventur* ». Cf. et Conc. Trid. *can. Si quis dixerit receptos et approbatos* etc.; *c*) ex S. R. C. ad Episcopum Trecensem quoad Benedictionem SSmi Sacramenti dandam... R. « *In ea Rituale rom.,* cuius leges universalem afficiunt Ecclesiam, integre servetur ». Patet IV. ex *Greg. XIII. Const. Emendato ;* ex *Bened. XIV. qui illud correxit* atque adeo huius editionis exemplaribus uti omnes obligantur, relictis antiquioribus: in novis porro imprimendis inserantur non Beati sed Sancti ab ultima editione canonizati.

DE OBSERVATIONE DIERUM FESTORUM.

Summarium. — Festorum *a*) **iam ab antiquis in Ecclesia sive** *b*) **mobilium, sive immobilium, sive generalium sive particularium celebratio merito** *c*) **instituta eorumque sanctificatio plene curanda est. Porro** *d*) **dies festos constituendi aut minuendi ius uni R. Pontifici nunc post Bullam Urbani VIII est reservatum.**

257. *Decl. 1.* Ex omnium gentium consensu, iure naturae ac sociali prodit se necessitas aliquot communes dies festos pro publici cultus exercitio constituendi, atque ut in omnibus, sic et in catholica religione servatum est. In V. T. ipsemet Deus sabatum atque praecipuas in annum solemnitates sanctificandas statuit: in N. autem T. iam ab apostolorum aetate festi sunt acti et instituti dies praesertim dominici in memoriam D. N. J. C. resurrectionis, quos inter solemniores sunt Pascha et Pentecostes, nec non dies 40. a resurrectione, i. e. ascensio. His ad cetera Christi Domini mysteria et acta nec non B. M. Virginis celebranda alii dies festi accesserunt: tum ceteri sunt statuti pro Apostolorum sanctorumque recolendis mortis diebus, quos eorum natales seu natalitia ceu principium verae vitae nominavit. Ex dictis igitur patet quod *festi dies habentur, qui peculiari modo divino cultui consecrati sunt. C. 5. de Feriis.*

258. II. **Divisio**. 1. Ratione temporis quo solent occurrere. Horum festorum alia sunt *ordinaria* quotannis scilicet redeuntia, et alia *extraordinaria* ob speciales temporis circumstantias: illa aut *mobilia,* quae non eodem die quovis celebrantur anno, aut *immobilia* sunt, quae certis semper diebus haerent. Mobilia pendent a die paschatis. Vetus Eccl. Rom. regula, quam contra Arianos Nicaenum Conc. probavit, est quod Pascha celebrandum sit die dominica, quae post aequinoctium vernum proxime sequitur lunam XIV. Martii, h. e. plenilunium, non autem ea die XIV. cum Christus D. postridie Hebraeorum pascha ex inferis resurrexit. Pascha nostrum

sequitur Ascensio D. post 40, Pentecostes post 50 dies, unde ceteri dominici dies usque ad Adventum Domini numerantur, sicut ab Epiphania qui hinc usque ad septuagesimam dominicam ante Pascha, et a Paschate, qui usque ad ascensionem decurrunt.

2. Ratione subiecti, quod Festis tenetur, alia est divisio, scilicet quod hi dominici dies (et ceterae maiores solemnitates) cum omnibus fidelibus sacri sint semper, dicuntur *generales* prae iis, qui locorum *particulares* audiunt, obligantes scilicet quasdam provincias, nationes aut civitates *Urb. VIII. Const. Universa et c. 5. de Fer.* Festa sunt *de praecepto,* quae a legitima auctoritate obligatorio modo proponuntur servanda fidelibus in choro et in foro; alia *votiva* appellantur ex populi voto aut devotione.

259. III. **Merito** Apostoli et Ecclesia dies dominicos reliquosque festos integros Deo et religioni tribuendos instituerunt. *Cf. Catech. rom. de 3. praec. n. 7.* Iustum enim est rationique plane conforme, ut vacui reliquis curis atque negotiis certos quosdam dies habeamus sacros Deo immortali, a quo summa et innumerabilia promanant beneficia, et Christo Filio per quem salvati et redempti sumus. *Cf. Catech. rom. l. c. n. 25. et 26.* Ad quaest. sit iuris divini nec ne observatio Dominica? Resp. quod hoc praeceptum quoad cultum aliquem Deo exhibendum est naturale et divinum, quoad determinationem temporis et modum eo tempore colendi est ecclesiasticum *S. Ligor. l. 3. n. 265.* Ad rem *S. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 4.* « *Dicendum quod observantia diei dominicae in nova lege succedit observantiae sabathi non ex vi praecepti legis sed ex constitutione Ecclesiae et consuetudine populi christiani* ». Obligationem vero huius praecepti, cuius tempus ex usu Romanae Ecclesiae sese extendit a media nocte ad mediam noctem, gravem esse patet *ex prop. 52. damn. ab Innoc. XI.* « Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo si absit contemptus ». Dies festi praescripti *c. 1. et ult. de Feriis et Urbani VIII. Const. Universa Idib. Sept. 1652,* nunc non omnes servantur tum ob *Syxti V. et Bened. XIV. Const. ab eo tempore 5. Nov. 1747. § 27. mutationem,* tum ob *Pii VII. decretum 23. Maii 1798:* nec non ob constit. et Concordata pro variis

locis deinceps a RR. PP. concessa, quibus reductiones dierum festorum factae sunt.

260. Iamvero ut rite sanctificentur dictae feriae sacrae 1) **a quibusdam erit abstinendum,** 2) **quaedam vero adimplenda sunt.**

A quibus abstinendum constat ex *c. omnes dies* et *c. Conquestus de Feriis,* scilicet Dies dominici a vespere in vesperam serventur, ut in eis non fiat *mercatum, placitum iudicium, iuramentum, nisi pro pace et necessitate,* et tandem ab omni opere illicito abstineatur. Ex *c. Conquestus* in diebus festis, nisi *necessitas* vel *pietas suadeat,* ita est abstinendum ab *opere servili* ut processus factus in his vel sententia lata et pronunciata etiam de consensu partium non valeant: in feriis vero introductis favore hominum v. g. vindemiarum vel messium, de consensu partium possunt ita fieri. Unde in feriis sacris.

1°.) Prohibetur *Mercatus* rerum venalium: quamquam nundinae longo usu receptae ex certis legibus *Bened. XIV. Const. Ab eo tempore 5. Nov. 1745.* tolerentur. *Nundinas* iuxta dictum Pontificem intelligimus, quae sunt de rebus maioribus et semel in anno fiant vel raro in eodem loco, quo homines etiam de longinquo conveniunt: *mercatum* vero, qui fiat in rebus minoribus ad quotidianas necessitates pertinentibus et fiat singulis hebdomadis saltem ex consuetudine universim licet hodie contractus emptionis venditionis perficere nisi interponenda sit iudicis auctoritas; quamvis venditiones in apertis officinis adhuc prohibentur, excepta alicubi in contrarium consuetudine.

2°.) Prohibetur *placitum* iudicium i. e. actus, pertinentes ad strepitum forensem atque ad contentiosae iurisdictionis exercitium: seu iudicia civilia.

3°.) Prohibetur *iudicium criminale* ad poenam i. e. sanguinis et praecipue mortis, quia nec alia causa est tractanda nisi pietas.

4°.) Prohibentur sacramenta seu *iuramenta* scilicet solemnis delatio et praestatio iuramenti, nec non stipulatio contractuum, publica scilicet per notarium, qui omnes iuramento firmabantur.

5°.) Tandem *generatim* vetita sunt omnia *opera servilia dicta,* quae scilicet apud Romanos a servis praesertim gereban-

tur. Nisi *necessitas*... e. g. frugum in agro ingens periculum, aut praeclara occasio piscandi, causa alimentorum, mercedis, et cum, si iudiciales actus differantur, periculum est ne res pereat vel ne persona vigilantiam magistratus effugiat. Feriis favore hominum introductis possunt partes sponte renunciare, sed non compelli ni res sit tempore peritura. Causa *pietatis* e. g. causa debilium vel miserabilium personarum: causae *spirituales* electionum et inquisitionum quaeque pacem et concordiam respiciunt. *Causae pietatis* habentur et quae proxime spectant ad cultum Dei.

261. IV. **Institutio et Imminutio** respectu habito praesertim ad universam Ecclesiam pendet a Romano Pontifice *Urban. VIII. Const. Universa Bened. XIV. Const. Non multi.* Quamvis porro regula sit *ex S. Congregatione R. in Traianensi 15 Iun. 1632* ut Episcopi in electione tantum Patroni principalis absque populi consensu procedant; et quoad alios festos adsignandos ex *Trid. c. 12. sess. 25.* (ubi Regulares quoque iis obstrictos velit) Episcopus liber sit a Cleri et populi consensu; tamen novos festos instituendi ius non videtur amplius habere sicut nec vigentes festos de praecepto abrogare potest ex *Urban. VIII. Bull. Universam* « Ordinarios in Domino monemus ut ad ecclesiasticam ubique servandam aequalitatem de coetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub praecepto novorum festorum studeant abstinere » iuncto ad quaest. « an Episcopus in sua dioecesi possit alia festa instituere de praecepto praeter illa quae in dicta Bulla *(Universam)* expressa sunt » « responso *negative* » *S. R. C. apud Gardellini 3502.* Ergo ius festos dies constituendi aut minuendi uni R. Pontifici reservatum est (1).

(1) Praevia autem Sedis Apostolicae venia, si quem festum diem Episcopus praeceperit, illum etiam Exempti servare tenentur. Trid. sess. 25 de Regul. c. 12. ita tamen ut ritus eorum proprius tam quoad Missam, quam quoad officia sive publice sive privatim mutare non debeant S. C. C. apud Reiff. De Off. iudicis ordin. n. 127. Hinc Regulares Exempti sicut in aliis generalibus festis tenentur se abstinere ab operibus servilibus nisi urgeat necessitas c. 3. de Fer. - ab agendo mercatu rerum venalium ab exercendis sub nullitatis poena actis iudicialibus *c. 1. et 5. de Fer. Cod. de leg.*

262. Inter positiva quae **implenda** cogit festum, 1°.) est praeceptum sub grave obligans audiendi missam morali quidem et humana assistentia seu praesens *toti Missae* esse corpore et animo: sacrificium enim offerunt fideles una cum celebrante. Constat hoc praeceptum ex cap. *omnes fideles* et ex *cap. Missas de Consecr. dist. 1.* Toti Missae interesse oportet; unde praecepto non satisfacit qui haud modicam eius partem omittat sive absit sive aliud agat. Interesse *corpore* etsi celebrantem videre vel audire non teneatur: modo sive oculis sive auribus sive ex adstantibus percipere possit quae ille peragit, et si constitutus sit auditor extra Ecclesiam ab hac non distet ultra 20 passus; in magna autem populi frequentia adest celebranti ille, qui cohaerens his, qui sacerdoti adstant, veluti unum corpus cum eis facit ubicumque consistat; *animo* i. e. *sciens volens* quia iubetur actus humanus et religionis unde devote et quidem *externe* si adest reverenter secundum externum corporis habitum et videatur una cum sacerdote nil aliud externis agere nisi sacrificium offerre; *interne* si mentem applicat ad ea quae dicit, facit sacerdos, vel quae his dictis factisque significantur, vel ad Deum ipsum: de qua interna devotione non convenit inter DD. Ex consuetudine universali satisfit praecepto audiendi missam ab omnibus fidelibus ubicumque celebratur: excepto 1. oratorio stricte privato, ubi non satisfaciunt nisi ii, ad quos Indultum dirigitur; 2. excepto loco ubi Missa ex privilegio mere personali celebratur in altari portatili e. g. ab Episcopo titulari vel etiam ab Episcopo dioecesano sed extra dioecesim suam versante: et heic non satisfaciunt nisi familiares actu necessarii *S. C. R. 28 Augusti 1818 ad 3.* quo in altari portatili si Episcopus utatur in propria dioecesi probabiliter satisfaciunt quicumque intersunt. *Van. Gameren. de Orat. publ. et priv. pag. 236.*

Unde sequitur *a*) quod cessavit obligatio assistendi sacro in propria paroecia, quam obligationem ex iure vigenti nequit episcopus instaurare. *Bened. XIV. de Syn. dioec. l. 11. c. 14.*

2°.) Additur a DD. auditio concionis non tamen sub mortali, nisi quatenus quis teneatur discere necessaria ad salutem.

Cum autem iam pridie festorum praesertim principalium

i. e. nobiliorum iam olim ieiunarent et noctu in templo vigilantes precibus insisterent fideles, unde vigiliae *c. 9. D. 76. S. Ambros. an. 339;* ideo de ieiunii observantia pauca addit.

DE IEIUNIO.

Summarium — 1) **Varia ieiunii specie indicata, brevi exhibetur** 2) **eius auctor, et** 3) **qui et quatenus ad ieiunii observantiam teneantur.**

263. *Decl. 1.* Ecclesia, suorum Apostol., *Act. XIII. 2. 3; XIV. 22,* et praesertim divini sui fundatoris Christi D. exemplum, *Mth. IV. 2; XXVII. 21,* imitata, ieiunium admisit et obligatorio modo proposuit ceu medium ad cupiditatem compescendam atque ad semetipsum vincendum valde idoneum. Ieiunium proprie dictum secum fert obligationem vescendi unica comestione certis quibusdam cibis, quos quadragesimales appellant. Ieiunium per se denotat abstinentiam seu quamdam parsimoniam victus et abstinentiam ciborum certis temporibus ab Ecclesia institutis servandam (1).

Divisio *ratione naturae a*) Aliud est *naturale* aliud *ecclesiasticum*: illud est abstinentia ab omni tum cibo, tum potu in stomachum transmisso, quale a tempore noctis mediae requiritur ad dignam Eucharistiae sumptionem de quo non agimus: *ecclesiasticum* consistit in abstinentia 1. a cibis, excepta unica refectione seu prandio, quod coenam olim vocabant; 2. a delectu ciborum; 3. certa refectionis hora: quorum 1. est pars substantialis, ita ut etiam vulgo ieiunium simpliciter appelletur; 2. est integrale, et plerumque *abstinentiae nomine* venit; 3. hodie est magis quaedam ieiunii accidentalis circumstantia. Antiquissimum omnium ieiunium immediate ante pascha *can. 3. D. XXVIII. Conc. Nicaen. an. 325. c. 8. D. III. Conc. Laodicen.*

(1) Itaque natura ieiunii proprie dicti has habet partes: 1. abstinentiam a carne: 2. abstinentiam ab ovis et lacte: 3. unicam comestionem quae tamen admittat *a*) coenulam et *b*) inversionem temporis: 4. Vetitum miscendi carnem cum piscibus.

a. 372. quamvis temporis duratione varium pro variis Ecclesiis, quousque ad hanc vigentem formam pervenit *(c. 5. D. IV. Ambr. 380. can. 16. D. V. De Consecr. Greg. I. 599).* Eodem ferme tempore incoepit abstinentia, cuiuslibet hebdomadae die Veneris et Mercurii, cui postea Sabbatum suffectum est.

b) Hinc distinguitur ieiunium in *plenum* et *semiplenum*. Semiplenum infert solam obligationem abstinentiae a carnibus, idque simpliciter, quae lex obtinet singulis sextis Feriis et apud nos Sabbatis ubique obtinebat. *Plenum* quod infert obligationem 1. abstinentiae a carnibus: 2. abstinentiae ab ovis et lacte: 3. unicae comestionis iuxta modum *a*) ut admittat coenulam: *b*) ut fieri debeat circa meridiem; coenula autem vespere: *c*) ut ex rationabili causa admittat inversionem temporis: 4. non miscendi carnes cum piscibus in iis ieiunii diebus, in quibus carnes edi possunt, e. g. die dominico tempore quadragesimae caeterisque diebus, si forte ex dispensatione id fiat; idque etiam iuxta modum i. e. *a*) ut qui ex dispensatione potest vesci carnibus, is possit iure ex carnibus expresso uti et deinde pisces edere; vel contra: *b*) cum usus laridi liquefacti (strutto) condimenti nomine permittitur, idem condimentum possit adhiberi sive in unica comestione sive in coenula (1).

264. *Decl. 2.* **Legem** ieiunii **constituit** pro universa Ecclesia **Rom. Pontifex** aut ipse solus aut una cum oecumen. Concilio. Quod si non pro tota Ecclesia sed pro singulis dioecesibus instituendum esset ieiunium, tunc aut particularia concilia, aut Episcopi singillatim quilibet suae Ecclesiae constituere valet. Et cum eius sit solvere, cuius est ligare, possunt

(1) **Dividitur** adhuc *ratione subiecti in generale* quod omnes obligat, illudque occurrit in *adventu* qualibet feria VI. et Sabatho *c. 2. de observ. ieiun.* = quadragesima exceptis diebus dominicis *c. 1. Dist. 3. de Cons.* in quibus tamen interdicta est commixtio carnium cum piscibus *Bened. XIV. si fraternitas* = quatuor ut aiunt temporibus c. s. et seq. D. 76. Vigiliis plurium Festorum ut Natalis Dñi: quae tamen si occurrant in dominica tunc ieiunatur in Sabatho *c. 1. de obs. ieiun.* Aliud *particulare* audit quod certas personas obligat; idque vel poenitentibus imponitur *c. 8. de accus.* vel ex voto suscipitur *c. 3. de observ. ieiun.* vel ab Episcopo in Dioecesi indicitur Bened. XIV. *de Syn. dioec. l. XIII. c. IV. n. 6.*

iidem ieiunii legem, aut a se latam aut a praedecessore parem habente potestatem, auferre ex toto aut ex parte.

265. *Decl. 3.* **Quinam teneantur** ieiunii lege.

Resp. omnes ii, qui annum 21. aetatis naturaliter computatum compleverint, et necdum 60. annum fuerint ingressi, quique in genere legibus Ecclesiae subiecti sunt, atque ab ea exemptione non gaudent. Exemptio autem haberi potest 1. ex iure 2. ex dispensatione seu privilegio. Qui ex *iure eximuntur* sunt *a*) *quoad semiplenum* 1. minores septem annis; 2. filii familias et servi, si ipsis a parentibus et dominis non permittatur: 3. pauperes, qui e mendicato vivant,.... *b*) *quoad plenum* 1. minores 21. annorum: 2. qui labore impediuntur... 3. pauperes.

Qui *ex dispensatione* eximuntur sunt in genere, qui eam obtinuerunt. Dari autem consuevit ex causa male affectae valetudinis.

Hinc patet discrimen inter exemptionem a iure et exemptionem per dispensationem. I. Qui per *dispensationem* exempti sunt, solvuntur a sola abstinentia in unica comestione; adeoque in alia comestione non possunt miscere et tenentur vetitis. II. Qui *a iure* sunt exempti solvuntur tota lege ieiunii, salva abstinentia a carnibus et lacticiniis. Itaque 1°. solvuntur ab unica comestione: 2°. a lege coenulae quoad abstinentiam iis diebus, quibus vesci carnibus permittitur: 3°. a lege miscendi.

Quando porro lex ieiunii servanda occurrat.

Resp. Occurrit; 1°. Tempore Quadragesimae: 2°. Tempore adventus in feria VI. et Sabbato: 3°. Quatuor temporibus: 4°. in quibusdam vigiliis iuxta modum.

266. Praeter valetudinem et necessitatem... modo indicatam excusat generatim incommodum etiam valde grave, quod aestimari debet ex conditione ieiunantis, ex opere, ex cibo. Ex *conditione,* v. g. hi qui ieiunaverint dolore capitis non mediocri afficiuntur, vel noctu calefieri non possunt, nec somnum nisi aegre admodum capere... Ex *opere,* e. g. qui maiorem diei partem exercent opus, quod ab ipsis sine magno incommodo exerceri non potest, etsi opus sit liberale e. g. concionari in quadragesima, docere... etsi dives sit, qui exer-

cet opus. Adde eos qui ex causa gravi, saltem iusta et urgenti, si id sit aliquod opus pietatis vel caritatis melius ieiunio, e. g. inservire aegrotis, confessiones audire... Ex *cibo* s. Ligorius, iuxta communem excusat eos qui non habent nisi panem et legumina aut herbas, et quibus deest prandium perfectum pro una congrua refectione.

267. Denique circa abstinentiam notentur adhuc sqq.

1. Hodie ex resp. S. Inq. 1. Maii 1869. constat condimenta annuis Indultis concessa ab Apostolica Sede non restringi ad adipem suinum, sed comprehendere adipem cuiuslibet animalis. Imo butyrum comparatum est larido suino vel bovino ex *resp.* S. Inq. 15 Maii 1896 ad *quaes.* « utrum diebus ieiunio consecratis, in quibus Apostolica venia usus condimentorum ex adipe indulgetur, butyro quoque per modum condimenti uti liceat» Cardd. Inquisitores decreverunt supplicandum SSmo: qui benigne annuere dignatus est pro gratia.

2. Modo datur dispensatio in Italia cuilibet petenti Episcopo pro universa sua dioecesi abstinentiae a carne quolibet die saturni in annum, exceptis quatuor temporibus, et tempore Adventus quadragesimae et aliarum vigiliarum, quibus ieiunandum. Qua in re animadvertendum est, regulares quoque exemptos uti posse hac dispensatione ab episcopo, in cuius territorio situm est eorum conventus *cf. resp. S. C. Inq. 20 Decemb. 1871, et 20 Ian. 1892.*

3. Toto tempore quadragesimali etiam diebus dominicis, ac ceteris diebus ieiunii per annum, quicumque vi dispensationis carnibus vescuntur prohibentur in eadem comestione pisces cum carnibus manducare; Bened. XIV. Const. *In suprema* 22 Aug. 1741, ubi omnia animalia, quae diebus abstinentiae licite comeduntur, etiam testacea marina, ostreae, cancri veniunt nomine piscium.

4. In dignoscendo quae animalia ad classem prohibitae carnis pertineant, quaenam ad *piscem* haec iuvant: 1. attendenda est fidelium aestimatio in singulis regionibus et consuetudo; 2. si qua in regione deesset consuetudo, caro censentur animalia in terra quiescentia et respirantia, seu quae diu extra aquam vivere soleant *S. Thom. 2. 2. q. 147. et S. Alph. Th. mor. n. 1011. Bened. XIV. de Syn. dioec. l. II. c. 5. n. 12. 3.*

Si dubium probabile manet de consuetudine vel de natura carnium alicuius animalis licet comedere donec auctoritas Eccl. aut certa DD. sententia secus manifestet (1).

TITULUS XIV.

DE VOTO ET IURAMENTO.

DE VOTO.

Summarium. — Votum 1) quod est deliberata promissio Deo facta de meliori bono, 2) distinguitur in personale et reale, reservatum et non reservatum purum et conditionale, in solemne et simplex. 3) Requiritur autem ut promissio sit vera cum advertentia rationis plena, libera scilicet absque gravi metu iniusto, et errore circa rei substantiam, facta Deo de re possibili et honesta, quae scilicet obiective sit bonum melius. 4) Votum validum sequitur obligatio (gravis vel levis iuxta intentionem voventis) implendi illud, per se si est personale, aut per alium si est reale, moraliter statim, nisi iusta causa excuset. 5) Tandem voti obligatio non solum rei promissae executione tollitur sed etiam irritatione, dispensatione, commutatione et deficientia materiae.

268. *Decl. 1.* seu **Notio**. *Votum* dicitur *deliberata promissio Deo facta:* unde differt a proposito licet serio, quod non inducit *obligationem* sicut promissio: hinc, cum in dubio non sit asserenda obligatio, eo quod libertas obtinet, in dubio an quis votum vel propositum fecerit, praesumitur contra

(1) *a*) Qui ratione aetatis vel laboris non tenentur ieiunare, licite possunt ieiunii tempore cum indultum concessum est vesci carnibus vel lacticiniis per idem indultum permissis quoties per diem edunt S. Poenit. 16 Ian. 1834. *b*) Diebus veneris et sabathi per annum, si lex ieiunii non concurrat, possunt, quibus edendi carnes legitima facultas facta est miscere carnes cum piscibus S. Poenit. 15 Febr. 1834. *c*) Qui carnes ieiunii tempore legitima habita facultate concedere potest, is iure e carnibus expresso simulque piscibus vesci non prohibetur S. Poen. 8 Febr. 1828. *d*) Cum usus laridi liquefacti (strutto) titulo condimenti permissus est, possunt qui ieiunii lege tenentur eo uti etiam in refectione serotina dummodo nulla sit in Indulto restrictio. S. Poenit. 16 Ian. 1834.

votum *c. 65. de Reg. Iur. in 6.* Idem probabilius est, si quis dubitet an votum fuerit cum sufficienti deliberatione, quae debet esse perfecta (quanta requiritur ad peccandum lethaliter): quia dubitatur de aliquo essentiali constitutivo voti, ideoque de ipso voto. Palao, Tamburrini... *Deo facta:* sanctis non est proprie votum, nisi in honorem Sancti ad Deum ipsum immediate dirigatur: quia votum est cultus latriae soli Deo debitus: ideoque si quis voveat v. g. B. Mariae Virgini Rosarium aut ieiunium, vel donum, id censetur esse verum votum: quia promissio principaliter et ultimato ex intentione voventis fit Deo. B. M. Virgini solum in memoriam, et ut suis precibus voventem iuvet. *De meliori bono*: quibus indicatur materia voti, talis scilicet quae Deo magis grata quam oppositum; alias Deus ceu promissarius promissionem non acceptat.

269. II. **Divisio.** 1°. Aliud est *personale,* quo personae voventis: aliud *reale* quo res *voventis:* aliud *mixtum* quo res et actio Deo promittitur. Votum reale potest, imo si ab ipso vovente nequeat, debet impleri per alium; item transit ad haeredes (non tamen ultra vires haereditatis et nonnisi salva legitima) atque ad successores *c. 6. de Testam. c. 18. de Censur. l. 2. § 2. de pollicit.* E contra votum personale non transit ad haeredes *per se* (quia per accidens e. g. post aditam haereditatem obligatur ex propria voluntate et quasi contractu, qualis est aditio haereditatis ad explendas obligationes defuncti) multoque minus ad successores; nec debet impleri ab alio si vovens nequeat implere: et si possit, non potest impletio alteri committi. Unde si qua communitas vovit peregrinationem, ieiunium, non obligantur successores nisi ex statuto a superiore probato, consuetudine, ratificatione ultronea. 2°. Aliud reservatum Rom. Pontifici quoad dispensationem vel commutationem, qualia sunt tantum quinque, scilicet votum castitatis integrae ac perfectae, votum religionis ingrediendae, vota peregrinationis ad limina SS. Apostolorum, Hierosolymitanae, Compostellanae. Quorum 5. votorum reservatio cum sit, ait Pichler heic, restrictiva potestatis Episcoporum, et ideo odiosa ac strictae interpretationis; debent esse *perfecte edita* h. e. plena *libertate* et *absolute.* Votum castitatis autem debet esse perpetuae et integrae. Unde haec vota non sunt reservata, si fiant

ex metu, etiam levi iniuste incusso, si cum advertentia et deliberatione imperfecta, si cum intentione se obligandi solum sub peccato veniali, si dubium sit an deliberate satis aut absolute sint emissa, si sub conditione, sub poena seu in poenam, si alternative. Si vovisti castitatem non in perpetuum, si voveas non nubere: non fornicari: non petere debitum coniugale: servare castitatem coniugalem: item votum virginitatis tantum, quo praecise promittitur abstinentia ab illo actu venereo per quem violatur claustrum virginitatis, etsi virginitatem voventes saepe soleant intendere se obligare ad castitatem integram perpetuam. Aliud *non reservatum* patet ex dictis. 3°. Aliud est *purum* et *absolutum,* quod scilicet sine conditione emissum statim obligat, et *conditionale* quod sub certa conditione emissum non obligat donec conditio impleatur. 4°. Aliud *solemne,* quod ut tale acceptatur ab Ecclesia, qualia sunt solum vota Professionis religiosae et votum castitatis tacitum adnexum ordini sacro: sic enim voventes validum non contrahunt matrimonium, et Religionem professi fiunt incapaces dominii bonorum: et *simplex,* quod non ita acceptatur et actus voto repugnantes non facit invalidos sed tantum illicitos.

270. III. **Requisita** ad valorem voti sunt 1. ut promissio sit *vera,* quia si facta sit absque animo se obligandi, votum non tenet: 2. ut sit cum *advertentia rationis plena:* 3. ut sit *libera:* unde metu gravi iniuste incusso emissum nullum est saltem de iure eccl. *c. 1. de his quae vi metusve caus. fiunt:* et votum factum ex errore, qui versetur circa *rei substantiam,* vel circumstantiam redundantem in substantiam, vel circa motivum formale principale, pariter nullum est, quia omnem suam vim habet a voluntate et intentione voventis: 4. ut *sit Deo facta:* 5. ut sit *de re possibili, honesta,* et *de meliori bono:* hinc si quis voveat inire matrimonium ad evitandam occasionem peccandi, potest contra hoc votum ingredi religionem vel amplecti continentiam, quia hoc absolute melius est.

271. IV. **Effectus** qui consequitur est obligatio exequendi quod promissum est. Ad vovendum nulla erat obligatio: post votum tamen factum, necessario illud implendum est: *c. 6. de Voto et vot. red.* Dixi quod haec obligatio est vel gravis vel levis,

prout aut mens voventis (nam vovens potest etiam se obligare sub levi etsi materia gravis sit), aut si vovens mentem suam non expressit, prout materia est *Pichler in cit. tit. n. 8.* Est enim votum lex privata, quam sibi vovens imponit: ergo. Cum votum sit actus pure personalis obligat solum voventem et non alium *ratione religionis:* unde qui vovet factum alterius, nil aliud intendere potest quam ut hoc factum procuret eo modo, quo licite valet, e. g. quoad parentes Religioni filium devoventes. Haeres tamen tenetur solvere vota realia defuncti non vi voti, sed quia accipiens haereditatem succedit in onera non minus quam in iura defuncti *c. 18. de cens.,* non tamen prius defuncti votum est solvendum, quam soluta sint ea, quae defunctus debebat ex iustitia. Ratio: quia debetur ex bonis defuncti, quae non sunt nisi deducto aere alieno. Votum mixtum transit ad haeredes, qua est reale, si illa realitas separari potest. Si pro nullo determinato tempore votum emissum, implendum illud est quamprimum viri prudentis arbitrio commode fieri potest. Si dies vel tempus praefixum, implendum est intra illud tempus: quod si hoc omittat vovens, non liberatur ab eius executione, sed postea tenetur implere, si ex intentione vel natura voti res promissa certo tempori sit affixa *Schmal. eod. t. 58.*

272. V. **Cessat** votum 1. ab intrinseco, scilicet *desitione* conditionis, a qua pendebat, etsi vovens ipse malitiose conditionis eventum impediret; quia neque tunc impleta est conditio: *mutatione materiae* quae fiat turpis, inutilis, aut indifferens, *impeditiva maioris boni,* vel impossibilis: ratio omnium est quia in eum casum incidit, a quo incipere non potest. 2. Ab extrinseco, scilicet *irritatione,* qua superior, absque omni alia causa praeter beneplacitum suum, aufert obligationem voti, quod concessum est illi superiori tantum, cui vel competit potestas dominativa in ipsam personam vel voluntatem voventis, e. g. patri in filium impuberem, tutori in pupillum: superiori religioso et Praefectae Monialium quoad regulares suos; quae vota cum pro lubitu irritentur, *directa irritatio* est, ut distinguatur ab *indirecta,* qua is, cui materia subest, hanc subtrahit vel prohibet, nec omnino tollit obligationem sed suspendit, donec durat impedimentum: *Dispensatione* qua superior

iurisdictione in voventem praeditus nomine Dei ex iusta causa remittit obligationem voti: qualis respectu omnium votorum est Papa; et in non reservatis Episcopus, ac superiores Ordinum relate ad suos quoad utrumque forum: de Papa *cf. Mth 16,* de Episc. *c. 1. 7. h. t. 11. 14. de mai. et obed.* **Commutatione** qua non omnino tollitur, sed solum mutatur obligatio in opus *evidenter melius,* quod potest et ipse vovens: secus ac in opus minus bonum, quod cum involvat quid dispensationis, requirit iurisdictionem Ecclesiasticam in voventem. Si votum primario factum sit in favorem tertii, seclusa causa publici boni, nec dispensatione, neque commutatione tollitur absque consensu illius, in cuius favorem emissum est.

DE IURAMENTO.

Summarium. — Iuramentum 1) i. e. invocatio divini Nominis in testimonium veritatis, quod explicite vel implicite, etiam per signa fieri potest, 2) licitum est debitis ornatum conditionibus I. si nempe secum habeat veritatem, i. e. persuasionem intimam in id quod quis testatur, aut in seriam intentionem praestandi id quod promittitur; II. iudicium in iurante, i. e. ut hic gravitatem rei, qua de agitur, intelligat, an adsit honesta et utilis causa iurandi, ne irritum cadat ex defectu libertatis, ex dolo, vi aut timore; III. iustitiam in obiecto circa quod versatur iuramen. i. e. ut iustum sit, et legi divinae, bonis moribus, Religioni, iuribus tertii sive superioris, vel bono Eccl. et status nullatenus adversetur. Hinc quoad iuramentum promissorium tres regulae sequuntur: 1. ut omne iuram. absque peccato servabile, sit servandum *c. 8. et 28. h. t. i. e. de voto et voti;* 2. ut obligare nequeat ad rem illicitam et iure prohibitam *c. 18. h. t.;* 3. ut iuramentum contra bonos mores praestitum non sit obligatorium *c. 58 de Reg. Iur. in 6.*

Corollarium. *Ex dictis sequitur: I. formam debere esse hanc aut similem* « *Deus mihi sit testis, sic me Deus adiuvet et haec s. Dei evangelia* »; *II. Praecipua divisio sacramenti est a) in iudiciale, quod in iudicio; et extraiudiciale, quod extra iudicium editur; b) in assertorium, quo Deus vocatur in testem assertae aut negatae veritatis, vel quo quis aliquid esse vel non esse as-*

severat ; et in promissorium quo aliquid simpliciter vel iam pactum ac promissum nos velle servare ac praestare sub invocatione divini nominis pollicemur: quo proin Deus in fideiussorem vocetur dum ab eo petitur ut ipse sua praesentia factae promissioni auctoritatem praestet, quod promittens rem promissam executurus sit. Duplex hinc ad promissorium iuramentum requiritur veritas, intentionis scilicet de praesenti ad faciendum aliquid vel omittendum, et executionis, scilicet veritas facti et impletionis illius quod se facturum promisit.

273. *Decl. 1. p.* **Notio.** Iuramentum dicitur invocatio divini nominis in testimonium veritatis, quia est actus latriae, quo Deus invocatur in testem, scilicet vel ad faciendam fidem vel firmandam promissionem, profitendo Deum esse omniscium et infallibilem. Dixi quod explicite vel implicite, h. e. non modo expressa fiat invocatio, sed etiam *implicita,* cum iuratur per creaturas, in quibus speciali ratione divina attributa elucent. **Dividitur** autem *ratione materiae* in *assertorium* et *promissorium*: illo confirmatur assertum de re praeterita vel praesenti, vel futura sed absque promissione: isto confirmatur promissio aliqua de dando, faciendo vel omittendo in futurum a iurante. Prout negotium tractatur in aut extra iudicium, audit iudiciale quod praestatur in iudicio, et extraiudiciale.... Nos de hoc ultimo agimus. *Ratione modi,* quo Deus invocatur est *imprecatorium* vel *execratorium* cum iurans sibi imprecetur malum, si dictum non sit verum, vel promissio non implenda; *comminatorium,* si sit de sumenda vindicta; in *solemne* vel *corporale,* si iuretur cum solemnitate aliqua et actione corporali; e. g. tactu Evangeliorum vel pectoris. Porro quodlibet iuramentum ut valeat requiritur 1. intentio invocandi Deum in testem: 2. locutio saltem interior: 3. res honesta et licita si iuramento quid promittatur.

274. *Ad 2. p. Quando liceat* et *quibus conditionibus.* Iuramentum, si debite fiat, honestum est et laudabile *Deuter. 6. 13. Ps. 62.* Ut autem rite praestetur, *iuxta Hierem. 4: Iurabis, vivit Dominus, in veritate* et *iudicio* et *iustitia.*

a) **Veritas** quae in iuramento assertorio tunc datur cum iurans credit coram Deo absque prudenti formidine rem sic

se habere prout asserit: in *promissorio* datur duplex veritas, *intentionis* scilicet, quando iurato promittens habet animum implendi promissum, et *executionis* cum reipsa suo tempore implet: *b*) **Iudicium,** quod datur si iuramentum non fiat temere et absque iusta causa utilitatis vel necessitatis, sed discrete et cum reverentia: *c*) **Iustitia,** quae fere respicit tantum iuramentum promissorium, si obiectum super quo iuratur, vel res quae promittitur non sit illicita, sed sine peccato praestari possit.

275. *Decl. 3. p.* Hinc tres efformantur regulae in iure nostro: 1ª. quod iuramentum non est vinculum iniquitatis, seu obligare nequit ad faciendam rem illicitam *c. 18. de Iureiur.;* 2ª. non est obligatorium contra bonos mores praestitum iuramentum *c. 18. de Reg. I. in 6.* v. g. iuramentum patrandi furtum, non revocandi res Ecclesiae male alienatas; 3ª. quae est affirmativa; i. e. omne iuramentum est servandum, quod sine salutis aeternae dispendio et praeiudicio tertii servari potest *c. 28. tit. cit.* seu quod absque peccato servari potest: sic obligat iuramentum servandi usuras *c. 6. eod.,* quia solvere usuras peccatum non est licet eas exigere sine iusto titulo peccatum sit (1).

Ex dictis plane intelliguntur quae in Corollario exhibentur.

(1) Si in iudicio assertorio deficit *veritas* et in promissorio veritas *intentionis,* semper est mortale etiam in re levi: quia periurium est gravissima iniuria contra veracitatem Dei cum per id Deus invocetur ut testificetur falsum: si vero in promissorio solum deficit veritas *executionis,* si nempe non exequaris quod promisisti, peccatum, si res levis promissa sit, est tantum veniale: quia nec Deus nec homo censetur obligare velle ad praestandam rem levem sub gravi. Si deficiat *iudicium* per se censetur esse solum peccatum veniale, nisi *per accidens* fiat mortale. Si deficiat iustitia in iuramento promissorio, peccatum est grave cum materia sit graviter illicita, leve, si sit leviter peccaminosa. DD. comm. apud *Pichl.* in t. de iureiur.

Summarium. — Iuramenti a) **promissorii libere facti effectus est obligatio, eaque duplex religionis et iustitiae, saltem sub certis conditionibus, modo fuerit a promissario acceptatum.** b) **Assertorium autem praecipue obtinet in iudiciis, in quibus vim plenam assertioni tribuit, ubi semiplenas probationes complet, si est suppletorium: aut destruit si est purgatorium.** c) **Porro iuramentum actui per ius civile irritato si adiiciatur non semper confirmat actum.**

276. *Decl. 1. p.* Iuramenti promissorii libere facti **effectus** est religionis et iustitiae obligatio, saltem sub certis conditionibus, modo a promissario fuerit acceptata. Est comm. et certa ex *c. 6. de Iureiur.* quoad religionis et ex *c. 14 eod.* et *l. 9. ff. de Probat.* quoad iustitiae obligationem; et merito: quia heic duo reperiuntur: iuramentum accedens promissioni et ipsa promissio; sed *promissio* acceptata, utpote pactum vel contractus, parit obligationem iustitiae; et *iuramentum* accedens promissioni parit obligationem religionis ad praestandum quod iuratum est. *S. Th. 2. 2. q. 98. a. 2. ad 4.* et cum eo comm. DD. obligationem religionis heic personalem habet, quae ideo non transit ad haeredes iurantis vel successores. *Cf. Leur. eod. q. 784.* plures alias inde eruens sequelas; quia est actio personalis et vinculum personae adnexum sicut votum. Obligatio iustitiae est realis et transit ad haeredes iurantis, utpote descendens ex pacto vel contractu: atque ideo datur actio si non ex pacto saltem ex iuramento de iure *c. 14 eod.* (1).

(1) Dixi *libere facti*... h. e. cum debita cognitione, advertentia et deliberatione: *obligatio* scil. gravis si res de qua iuramentum est sit gravis, levis autem si res sit levis: quia Deus, qui per iuramentum vocatur in testem, censetur auctoritate sua obligare iuxta proportionem materiae, sicut alias solet per sua praecepta. Dixi sub certis conditionibus, quae nimirum tacite censentur esse imbibitae promissioni consequenter et iuramento necessarie adiecto, quales sunt « *si potero* » *salvo* iure tertii cui praeiudicari nequit: *si res in eodem statu permanserit* c. 25 *de iurei.*; vel nisi is, in cuius gratiam iurato aliquid promissum sponte remiserit obligationem *c. 12. de for. comp.*; remissa autem obligatione principali promissionis cadit hoc ipso obligatio

277. *2. pars* patebit in *l. 3. de iudiciis.* Interim sufficiat indicasse multiplex esse iuramentum assertorium iudiciale, aliud calumniae et malitiae *tit. de iuram. calum.,* aliud veritatis et credulitatis, de quibus *tit. de testib.,* aliud litis audit decisorium tripartitum in voluntarium, iudiciale in specie et necessarium. Aliud suppletorium, aliud purgatorium. Praeter haec iuramenta datur et aliud, quod dicitur *in litem* vel *aestimatorium litis* etc. quibus in omnibus assertorium est potius quam promissorium.

278. *3. pars.* Iuramentum, actui per ius civile irritato si adiiciatur, non semper confirmat actum. Nam DD. facile omnes concedunt in hoc principium: iuramentum validare et confirmare actum ex lege positiva irritum ipso facto aut irritabilem directe in bonum privatum: nam iurando quis iuri suo renunciare praesumitur: proinde invalidatur nec confirmatur si irritus aut irritabilis sit actus in bonum publicum, aut vergat in praeiudicium tertii, aut in dispendium salutis aeternae, quia hisce bonis privatus renuntiare nequit (1).

religionis seu iuramentum ut accessorium. Dixi *modo fuerit* acceptatum a *promissario;* promissio enim non acceptata non parit obligationem iustitiae sed evanescit, ideoq. eius accessorium seu obligatio iuramenti propria: si tamen promissio non acceptata parit obligationem fidelitatis, videtur et obligatio iuramenti subsistere.

(1) Ad rem P. Huth in tit. *de iurei. Resp. 2.* (ad q. 6., scil. quam vim habeat iuramentum promissorium confirmandi contractus). Si contractus lege humana alias sit irritus, illique adiiciatur iuramentum, probabilius est firmari *intrinsece* etiam contractum, ut ultra obligationem religionis, quam habet vi iuramenti etiam obligationem iustitiae inducat. *Auth. Sacramenta puberum Cod. si advers. vendit.; c. 28. de iur. c. 2. de Pactis in 6:* ex quibus textibus colligitur, cum iura saepe voluerint contractus ita firmari iuramento ut habeantur iidem effectus ac si omni iure essent validi, debuisse etiam admisso iuramento, ponere eam causam a qua solent alias manare hi effectus, quae causa alia non est, quam valor contractus. Deinde: potuerunt Legislatores velle ut contractus alias lege humana irriti firmarentur iuramento; atqui ita eos voluisse ex cit. cap. colligitur; ergo. Tollunt itaque Legislatores ob reverentiam iuramenti impedimentum, quod obstabat, ne pareretur obligatio civilis, quod impedimentum erat inefficacia contractus. - *Resp. 3.* Non tamen omnes contractus iure positivo irriti firmantur iuramento; excipiuntur enim 1. contractus principaliter irritati ob utilitatem publicam. *Lib. 7. ff. de Pactis;* 2. contractus turpitudinem continentes ex parte obligantis in cuius favorem iuratur.

Summarium. — **Tandem iuramentum cessat 1. irritatione, quae est actus, quo superior, seu qui dominativa potestate sive in ipsam personam iurantis gaudet sive in materiam iuratam, auferre potest etiam sine iusta causa obligationem a subdito: 2. iuramenti relaxatione sive dispensatione, quae est exemptio ab obligatione iuramenti, et spectat ad iurisdictionem in subditos, semper intercedente iusta causa, quae ad ipsum dispensationis valorem requiritur: 3. iuramenti remissione, dum is, in cuius utilitatem iuratum est, obligationem sponte condonat: 4. commutatione vero obligatio iuramenti non extinguitur, sed in aliam transfertur.**

279. *Decl.* Patet 1^m. Qui irritare possunt vota e. g. pater, Praelatus, maritus, iidem irritare possunt iuramenta Deo facta: item omnes qui potestatem dominativam habent irritare etiam possunt iuramenta subditorum suorum in materia sibi subiecta.

Patet et 2^m. Dispensare possunt in iuramentis soli Deo factis, vel homini, cui ius quaesitum necdum est, Papa, et plerumque episcopus pro foro interno, neuter autem sine iusta causa, quae ad valorem dispensationis semper est. Quid superior laicus possit circa relaxationem iuramentorum *cf. Leur. in t. de iureur. q. 803.*

Ratio 3^m. est quia facta tali obligationis remissione, et ipsa iuramenti obligatio cessat uti accessoria, principali sublata.

Ad 4^m. Potest quilibet auctoritate propria iuramentum a se praestitum Deo in aliud evidenter melius *commutare c. 3. eod.*

3. Quando iuramentum directe vergit in praeiudicium tertii *c. 28. de iurei.* 4. Quotiescumque iuramentum absque peccato iurantis servari non potest. Ratio, quia nullum est tale iuramentum, adeoque et vim nullam habet. – *Resp.* 4. non etiam potest contractus contra primum iuramentum factus, si per se et absque iuramento sit invalidus, firmari iuramento secundo; v. g. iuras te non alienaturum fundum dotalem, et deinde contra hoc iuramentum alienas cum iuramento non contraveniendi alienationi, haec alienatio non firmatur. Ratio, quia iuramentum posterius cum sit perversum et confirmatorium criminis periurii, non potest obligare contra iuramentum prius, ne sit vinculum iniquitatis.

In favorem et utilitatem hominis privatam praestitum commutari nequit etiam in melius sine eius expresso vel tacito consensu: non semper enim gratius est promissario, quod melius.

TITULUS XV.

DE ECCLESIIS.

Praenotandum. Alteram speciem rerum sacrarum diximus constitui rebus materialibus, quae sacrae dicuntur, quia dicatae sunt cultui divino. Harum duplex species: 1ª. earum, quae immediate cultui divino dicatae sunt, ita nimirum ut sint instrumentum immediatum cultus divini, e. g. Ecclesiae, altaria, vestes sacrae, vasa sacra, imagines sacrae, Reliquiae SS.; 2ª. earum, quae mediate instrumenta, ita nimirum ut ordinata sint ad comparanda vel conservanda ea quae sunt instrumenta immediata, vel ad sustentandos ipsos divini cultus ministros, ut bona temporalia, oblationes, decimae, exactiones ecclesiasticae. Agendum de primis i. e. de iis, quae sunt instrumenta immediata.

Summarium. — 1) Vario Ecclesiarum nomine et specie recensitis, 2) conditiones ad eas aedificandas breviter exponuntur i. e. 1. Consensus legitimae auctoritatis, 2. iusta causa, 3. absentia praeiudicii alterius, 4. competentis dotis assignatio, 5. locus congruus, qui ritu ecclesiastico sacretur 3) a quibus et quo ordine reparetur ruinosa Ecclesia.

280. *Decl. 1. p. Agitur heic ac seq. p. cit. tit. 48. l. III. Decr.* **De Ecclesiis aedificandis.**

Etsi valeat Ecclesia (1) idem quod convocatio, vel coetus

(1) Vox ipsa iuxta etymon suum significat conventum ab ἐκκαλεῖν evocare, convocare, sed antiquissimo ac primaevo christianae religionis usu traducta est ad indicandum locum, ubi christiani conventus fiunt, ita ut Ecclesiae nomine intelligantur aedes sacrae in quas fideles conveniunt ad opera religionis exercenda.

Species Respectu eorum, a quibus reguntur; Respectu earum Ecclesiarum, cum quibus relationem habent; Respectu servitutis a qua sint affectae vel liberae.

fidelium credentium in Ch. D. vocatus, heic significat aedem sacram, in qua fideles ad rem divinam congregantur, ad Sacramenta percipienda, ad SS. Missae sacrificio assistendum: et cum ad haec omnia quilibet locus ab Ecclesia deputatus possit dici Ecclesia, tamen hoc nomine salutantur illae sacrae aedes tantum, in quibus Christiana Plebs ad sacra *publico modo* convenit, vel locus sacer murorum ambitu circumdatus ad divinum nempe cultum inibi explendum *Gloss. in c. 4. Ne praelati vices c. 11. D. 1. de Cons.* Ecclesia hoc sensu vocatur etiam Oratorium, Dominicum, Basilica, Templum, Titulus.

Plures distinctae sunt Ecclesiarum species: *Cathedralis* simpliciter aut *Metropolitana,* vel *Primatialis* aut *Patriarchalis,* prout Episcopus vel Archiepiscopus, Primas aut Patriarcha ei praesidet et fixam habent Cathedram episcopi *c. 16. de mai. et ob.* – *Collegiatae,* quae Collegium habent canonicorum sacras functiones in eis obeuntium *arg. c. 1. de elect.* – *Conventuales,* sive saeculares sive Regulares, quae coetum Clericorum habent saecularium aut Regularium in iis residentium cum suo saeculari Rectore aut regulari *Clem. de cel. mis.* – *Parochiales,* quae certum habent territorium et populum sub sacerdotis cura ex auctoritate Episcopi *arg. C. 30. § Qui vero de Praeb.* Aliae sunt minores, quibus adde oratoria privata, quae proprie Ecclesiae non sunt. Si qua porro Ecclesia iuribus gaudeat super unam vel alteram, illa *matrix* dicitur, haec *filialis.*

281. *Decl. 2. p.* **Requiritur 1°. consensus seu auctoritas legitimi superioris.** *Cathedrales eriguntur* auctoritate R. Pontificis non vero Metropolitae, nec Patriarchae, nec Concilii alicuius, multoque minus Principis saecularis. Nam *a*) Episcopi missione R. Pontificis, qui eis populum et limites adtribuit, iu-

Respectu Rectorum Cathedrales-Collegiatae-Conventuales eaeque vel saeculares vel Regulares-Parochiales-Capellae et Oratoria.

Respectu aliarum Ecclesiarum - Matrices sensu lato cathedrales, sensu *proprio* penes quas vel iurisdictio est, vel ius aliquod saltem honoris erga certas Ecclesias seu Cappellas Filiales, quae habent aliquam erga matrices dependentiam. - Exemplum in Parochialibus quae habent subsidiarias, vel a quibus avulsa est pars populi, cui data sit pro parochia alia Ecclesia.

Respectu servitutis *patronatae* vel *liberae.*

risdictionem accipiunt: Christus tradidit Petro claves ceteris communicandas, *b*) quod et Praxis ostendit. Collegiatae videntur *olim* etiam ab Episcopis erectae, nunc ex diuturna observantia et praxi, cui adduntur plures *Resolut. S. C. C.,* reservantur *R. Pontifici. Cf. Petra in Const. 7. Inn. IV. sect. 2.* Regulares praehabita licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii eriguntur; non tamen si res sit de restauratione aut etiam de translatione, quia Constitutiones apostolicae loquuntur de nova erectione *cf. Ferraris v. Conventus art. 2.* Parochiales et reliquae Ecclesiae auctoritate Episcopi: quaelibet Ecclesiae in foro exempto semper auctoritate R. Pontificis.

Quaer. qualis debet esse hic consensus?

Resp. quoad *a*) Cathedrales, Collegiatas, Parochiales requiritur decretum erectionis, *b*) quoad ceteras sufficit merus consensus. Hic autem consensus sufficit tacitus. Qui cum petitur libere negari non potest: et in negando consensu non solum pietatis favor attendendus est, sed alia iusta tantum causa, e. g. si intercedat quaestus causa, si fabrica officiat luminibus, si praeiudicet *iuri proprie dicti* tertii; quod ultimum valet maxime pro erigenda nova parochia.

282. Requiritur 2°. causa. *Causae porro iustae* novas erigendi Ecclesias sunt 1. incrementum populi, ita ut vetus Ecclesia parochialis *ei satis non sit,* h. e. non amplius capax; 2. difficultas, quae populo grave incommodum infert conveniendi in unam parochiam prae distantia, vel ob periculum vitae, si ipsam ad Sacramenta et divina officia petant; 3. quod speciatim obtinet, si fideles sine imminenti periculo nequeant unum in locum convenire e. g. leprosis aliisve contagioso morbo laborantibus, ergo nova ad eorum usus aedificatur Ecclesia *c. Cum dicat h. t.;* 4. si Episcopus pro *sua sepultura* novam erigit Ecclesiam hanc dotando centesima parte redituum suorum, quod factum, si noxium evadat Ecclesiae, a successore revocari potest; 5. novi monasterii constructio, quia monachi ad ipsam monasticae vitae institutionem propriam Ecclesiam erigere consensu Episcopi ex iure possunt.

Nominatim *ad parochias* quod spectat in novae Parochiae erectione. *a*) Difficultatem quae infert populo grave incommodum conveniendi in unam parochiam, sicut ceteras causas

ponderandas esse in casibus particularibus monet Card. De Luca: potest enim fieri ut in eadem distantia, asperitate viae etc. alteri concedatur, alteri negetur. Nam possunt constitui Ecclesiae subsidiariae. *b*) Contra ad iurgia vitanda in populo potest etiam in minori distantia concedi. Cum *pro populo insufficiens* vetus videatur Ecclesia, notentur tres gradus in providendo 1. Coadiutores assumantur: 2. Vicariae constituendae: 3. Paroecia dismembranda. Hoc in casu rector veteris Ecclesiae aliique, e. g. patronus, quorum interest, audiendi sunt ita tamen ut, iis etiam rectoribus invitis, Episcopus cum iusta adsit causa, ad novam poterit erectionem progredi, praesertim cum nova parochia aliunde dotatur. Ut pro Ecclesia matrice servetur competens honor ab Episcopo determinandus, e. g. census annuus.

283. **Requiritur 3°. absentia praeiudicii alterius.** Dicitur enim « Ne cui praeiudicium contra canones generetur ». Hinc audiri debet saltem patronus et rector primaevae Ecclesiae. *Cap. 5. Ad audientiam h. t.* Item gratia non conceditur cum praeiudicio tertii. *C. Cum dicat. Eod.*

284. **Requiritur 4°. competentis dotis assignatio,** quae nempe sufficiat ad fabricae conservationem, atque ad ea quae necessaria sunt ad cultum et ad sustentationem Rectoris aliorumque ministrorum. *C. Nem. 9. de Consecr. dist. 1. et Novel. 67. c. 2.*

285. **Requiritur 5°. congruus locus,** qui ritu ecclesiastico sacretur. Nempe antequam nova extruatur Ecclesia debet Episcopus per se vel per alium in loco honesto aream definire, atque huc accedens humi crucem affigere, primum lapidem iacere et cetera iuxta formam in Pontificali statutam agere tenetur. *C. Nemo 9. de Consec. dist. 1. ibique Glos.*

DE ECCLESIIS REPARANDIS.

286. *Decl. et prob. 3. p.* **A quibus** et **quo ordine reparetur** ruinosa Ecclesia. Praeter damni auctorem, si quis est, eiusque haeredes, consuetudo et statuta locorum in primis attendi debent; quae si desint, inhaerentes *Conc. Trid. Sess. 21 de R. c. 7.* DD. sequentes addunt regulas:

1. reparanda Ecclesia ex reditibus fabricae destinatis, aliisve proventibus huic oneri addictis, qui essent e. g. fructus non percepti a negligentibus et a iure applicatis fabricae.

2. His deficientibus, pro Cathedrali Episcopus quartam partem redituum erogare tenetur, tum canonici pro rata ex suis beneficiis, dein alii beneficiarii; quin et Clerus universus et tandem populus per Episcopum praevio consensu a maiore parte Capituli ad id cogi potest: pro *Collegiata* tenentur conferre omnes beneficiarii eiusdem Collegiatae: pro parochiali Ecclesia et domo parochi, tenentur ipse parochus, detractis necessariis, quod subintellige in favorem etiam aliorum beneficiorum ad congruam substentationem, ii, qui beneficia etiam simplicia et pensiones in ea obtinent, patroni, ni post lapsum tempus, quod ei prius praefigatur, beneficio aut iuri patronatus renuntiare velint: pro Ecclesia simplici tenentur aut patroni, aut rectores, aut etiam populus piis oblationibus. Quoad Italiam et insulas adiacentes statuit *Bened. XIII. Const. Pius et misericors 4 idus Maii* pro Cathedralibus et Collegiatis *mediam annatam* solvendam ab omnibus Clericis dioeceseos, cum beneficium quodcumque obtinent a Curia episcopali sive libera collatione sive institutione. *Cf. Lucidi de Visitatione ss. lim. v. III. app. V. ed. 1883.* Haec autem media annata constat ex dimidia parte redituum beneficialium primi anni ab inita beneficii possessione.

Tandem si nullus adest, qui ruinosam Ecclesiam reparare valeat, tunc ea destrui potest, atque eius iura, fundi etc. ad matricem Ecclesiam, si illa est filialis, transferuntur, secus ab Episcopo transferuntur ad viciniorem Ecclesiam. In loco autem destructae Ecclesiae ad significandum ibi fuisse Ecclesiam Crux erigatur, ac proin in profanos usus aut sordidos locus non convertendus. *Trid. c. 6. de Ref. Sess. 21.*

DE ECCLESIIS CONSECRANDIS.

Summarium. — Tradita 1) notione et distinctione consecrationis Ecclesiarum, 2) eius minister, 3) ritus 4) et iteratio quandonam liceat exponitur.

287. *Decl. 1. p.* Consecratio *generice,* quatenus hoc nomine etiam benedictio comprehendi velit (licet non soleat), est «*Ritus quo aedes aliqua divino cultui addicitur, ita ut ibidem sacrum celebrari valeat*» in loco enim profano celebrari sacrum non potest, *can. Sicut 21. Dist. 1. de consecr.* nisi forte ex privilegio, concurrente aliqua necessitate in missionibus, in Castris. Consecratio ita generice accepta duplex distingui debet, benedictio sc. et consecratio proprie dicta: *a*) *Benedictio est ritus minus solemnis, quo area seu pavimentum aedis alicuius lustrationibus expiatur, ut sacrum ibidem celebrari valeat: b*) *Consecratio est ritus solemnis, quo parietes aedis alicuius unctionibus sacris et aliis caeremoniis consecrantur, ut sacrum ibidem celebrari valeat.*

288. *Decl. 2. p.* **Minister ordinarius** sive benedictionis sive consecrationis est Episcopus dioecesanus: quod omnes Ecclesias etiam Regularium in suo territorio sitas, nisi ii secus gaudeant privilegio *extraordinarii,* etiam sacerdos ex venia Episcopi quoad benedictionem, Summi Pontificis quoad consecrationem *Bened. XIV. Const. Ex tuis 16 Nov. 1748.:* secus invalida consecratio et iteranda foret. Quaeritur heic an exigi quidpiam possit pro benedictione aut consecratione peracta? Si de propria dicta exactione agatur, respondendum est *negative*: esset enim simoniaca. Sed si quid libere offeratur, potest ab Episcopo accipi, et cum consensu patroni solet constitui census; qui augeri amplius non potest.

289. *Decl. 3. p.* **Ad ritus** quod spectat, hi videndi sunt in Pontificali romano ubi *a*) *in genere* praeter legitimum ministrum de quo diximus, exhibetur etiam debita *materia,* quae est oleum et chrisma: nam Ecclesia dum consecratur, inungitur chrismate in parietibus, et apponuntur 12 Cruces: altaria vero inunguntur prius oleo simplici, tum chrismate in cor-

nibus *can. 14. et 32. dist. 1. de Cons.* Forma autem consistit in solemni verborum pronuntiatione: et sunt accidentalis forma caeremoniae, quae praescribuntur. *b*) *In specie* tamen, quoad consecrationem proprie dictam, inter ceteros ritus hi sunt animadvertendi: 1°. *Ieiunium,* quod servare debet Episcopus conferens, imo et Patroni, *naturale* tempore consecrationis, *ecclesiasticum* pridie eius diei; 2°. unctio parietum cum oleo sacro: 3°. collocatio reliquiarum in altari. Inter quos unctio pertinet ad substantiam. Quod attinet ad reliquos ritus, ii videndi sunt, ut dixi in Pontif. Rom., dignusque est, qui memoretur scil. descriptio alphabeti latini et graeci per duas diagonales, quae se intersecant, ad Ecclesiae unitatem indicandam, ita ut omnis lingua a duobus illis repraesentata *confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.*

290. *Decl. 4. p.* **De iteratione**. Quod attinet ad benedictionem, animadvertendum 1°. est, post eam legitime addi, consecrationem proprie dictam; 2°. si Ecclesia deinceps polluatur, per novam benedictionem reconciliari debere sive simpliciter benedicta, sive etiam consecrata ea fuerit quemadmodum mox dicemus agentes de pollutione et de reconciliatione Ecclesiae; 3°. si Ecclesia sive simpliciter benedicta, sive etiam consecrata ampliatur: tunc enim vel pars nova vel tota etiam Ecclesia benedici potest; 4°. Praeter hos casus regulariter non modo consecratio, sed ne benedictio quidem iterari potest: imo sub aliquo respectu difficilius benedictio, quam consecratio: quia firmior manet benedictio quam consecratio. Cum enim consecratio adhaereat *parietibus,* Benedictio autem *pavimento,* hinc fit, ut destructis quoque parietibus benedictio maneat, nisi destructio facta fuerit auctoritate superioris et sine spe reaedificationis *Schmalz. h. t.* Quaesitum est apud S. R. C. an Ecclesia, in cuius consecratione omissa fuit consecratio Altaris, habenda sit valide consecrata? *Resp.* S. C. 8. Iun. 1896. *Affirmative* nempe valide, sed non licite, nisi habeatur apostolica dispensatio, quamvis aliqua vel omnia altaria iam consecrata reperiantur; ideoque servandus omnino est ordo Rituum Pontificalis Romani ut integritas consecrationis perficiatur. Si iam altare maius fuerit consecratum, aliud altare minus consecrandum est. *S. R. C. 31. Aug. 1872.*

Si Ecclesia consecranda *non potest circumdari* ad extra per Episcopum, puta quia potestas civilis nullum actum religiosum externum permittit, impetranda est a Rom. Pontifice dispensatio in casu. *S. R. C. 22. Martii 1879.*

Quod attinet ad consecrationem piaculum grave esset eam iterare, nisi Ecclesia *execrata* fuerit, aut agatur *de iteratione improprie dicta.* Dixi *nisi Ecclesia execrata* fuerit e. g. si propriam formam amiserit, vel usui proprio apta esse desierit; quod quidem contingit duplici in casu: 1°. si ruina maioris partis parietum facta fuerit, etiamsi postea ex eadem materia reaedificata fuerit: 2°. si incendio ita exusta fuerit ut parietum crusta interior maiori ex parte consumpta vel collapsa sit: ita DD. veteres. *Cf. tamen S. R. C. in Trid. 26. Iun. 1894. et alia responsa penes Monitore Ecclesiastico v. 9. p. 1. pag. 135.* 3°. Quod si Ecclesias per successivas reparationes renovata fuerit, tunc certum est execratam non fuisse, neque proinde nova consecratione indigere. Dixi *nisi de iteratione improprie dicta* agatur: quod fit *a*) si consecratio iam facta ex defectu formae substantialis, (e. g. unctio parietum) nulla fuerit: *b*) si probari nequeat fuisse iam consecratam: probationes autem sufficiunt etiam imperfectae. Itaque testis unicus, inscriptio aliqua consecrationem affirmans, cruces in pariete depictae sufficiunt ad consecrationem probandam, adeoque ad impediendam novam consecrationem. Paucis infra videbimus, quod diximus de Ecclesiis, idem de altaribus dicendum.

DE POLLUTIS ECCLESIIS ET ALTARIBUS RECONCILIANDIS.

Summarium — 1) **Quid sit pollutio Eccl.,** 2) **quî haec polluatur,** 3) **quinam inde effectus, aut** 4) **quomodo sit reconcilianda breviter indicatur.** 5) **Altari vero sicut consecratio ita et exsecratio contingit.**

291. *Patet 1^m. quid sit pollutio Ecclesiae:* est laesio sanctitatis Ecclesiae per certos quosdam actus in iure expressos, ex qua fit, ut Ecclesia inepta ad sacra ibidem agenda censeatur donec reconcilietur. Ex quibus patet non esse idem si Ecclesia

polluatur aut execretur. Nam violari seu pollui dicitur Ecclesia dum, manente eius forma materiali adeoque et consecratione, accidit in ea aliquid, quod a sanctitate loci maxime alienum est.

292. *Ad 2^m. Qui vero sint actus in iure expressi, quibus Ecclesia polluitur,* seu quomodo polluatur?

Resp. Actus, quo polluitur Ecclesiae est 1°. sepultura non baptizati etiam pueri, nisi forte in ventre matris decessit. 2°. Sepultura excommunicati vitandi *c. 7. de conf. et 12 de sepulturis.* 3°. Homicidium voluntarium et iniustum; etiamsi qui occiditur in ipsa Ecclesia non moriatur *c. 9. de Consecr.* (1). 4°. Vulneris iniusta inflictio *simul cum* copiosa sanguinis effusione *c. 10. de Cons. Eccl.* 5°. Humani seminis voluntaria effusio *c. 5. de Cons. D. 2. c. 10.* Attamen cum pollutio oriatur ex iniuria gravi in ratione actus externi loco sacro irrogata, patet requiri conditiones 1. ut in ipsa Ecclesia vel coemeterio fuerit crimen admissum; 2. ut sit notorium; 3. ut lethali non careat pollutio, orta ex sanguinis vel seminis effusione.

293. *Ad 3^m. Effectus.* Ut in Ecclesia polluta celebrari divina amplius non liceat; donec reconcilietur sub poena gravis peccati; nulla tamen adiecta censura aut irregularitate. Si causa pollutionis durante Missa posita fuerit, distinguendum est utrum id evenerit ante vel post consecrationem; priori in casu abrumpenda missa est; in altero continuanda. Si reconciliatio fieri tam cito nequeat et aliqua necessitas concurrat in eadem Ecclesia celebrandi, Episcopus dispensare potest.

294. *Patet 4^m. quî reconcilietur?* Ex dictis sequitur Ecclesiam pollutam quam primum reconciliandam esse *c. fin. de Consecr. Eccl.*

Si Ecclesia, quae polluitur, consecrata sit, nonnisi per proprium Episcopum aut per alium de huius mandati reconcilianda est: ad quod si sacerdos simplex gaudeat privilegio Sedis Apost. et tunc utatur ritu Pontificalis rom. cum aqua ab Episcopo

(1) Hinc polluitur si percussus *intra* et percussor *extra* ipsam sit. E contra non polluitur si percussor in Ecclesia percussus extra illam sit, aut si graviter extra vulneratus ad Ecclesiam confugiat, ibique moriatur.

ad hunc usum benedicta. Hoc privilegio gaudent Regulares exempti. Quod si fuerit tantum benedicta, a quolibet sacerdote, quem Episcopus delegaverit, reconciliari potest (1).

DE ALTARIS CONSECRATIONE ET RECONCILIATIONE.

295. *Ad 5^m^*. Per altare intelligitur lapis ad sacrificandum ordinatus et consecratus: unde *materia* est lapidea ex uno lapide; quoad *formam* est figura quadrangularis habens in medio sepulcrum: *specie* est duplex, aliud fixum seu immobile h. e. certo loco tamquam basi affixum cuius saltem superior pars debet esse lapidea et aliud portatile seu mobile ac viaticum, quod moveri atque transferri ab uno vel alio loco possit, cuius quoque superior pars sit lapidea ac tantae capacitatis, ut calicem et patenam capiat seu amplitudinis non minoris palmo. Quae de consecratione Eccl. diximus applicentur et consecrationi altarium faciendae ab ordinario iuxta ritus Pontif. Rom.; ut utraque tamen consecratio Ecclesiae et altaris res sint separatae, ideo nec unius execratio est alterius. *Gonzalez* in *c. de Consecr. Eccl. Schmalz. hoc n. 46.*

296. Ad quaest. *an iterari consecratio possit?*

Resp. duplex distinguenda est iteratio: *impropria*, si nulla ex defectu formae subsistat: *proprie dicta* si execratur. Altare autem execratur *quoad fixum*, si mensa seu lapis superior removeatur a basi. Ergo α) non execratur si nonnullis lapidibus amotis: β) si totum altare una cum base transferatur.

Execratio fit quoad utrumque 1°. si lapidis sigillum, sub quo reliquiae SS. teguntur, frangitur, diminuitur aut aperitur; 2°. si totus lapis et in altari fixo tota mensa per medium frangatur, aut si cornu ita fractum fuerit ut in residuo et integra eius parte pes calicis cum. s. hostia et patena commode poni nequeat.

Hinc sequitur Responsio ad quaest. *an execrata* Ecclesia execretur altare et vicissim? scilicet negative: et *an polluta Ecclesia polluatur altare et vicissim?* et Resp. affirmative.

(1) Ex Pontificali rom. patet reconciliationem consistere in aspersione aquae cum vino, cinere et sale benedicto ab episcopo, si Ecclesia fuit consecrata: in aspersione aquae lustralis, si Ecclesia fuerit tantum benedicta aut deputata tantum ad publicum cultum divinum.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM.

Summarium. — Ubi 1) **lex ecclesiastica iure et facto vigeat, Ecclesiarum immunitas seu localis est Ecclesiae privilegium, quo profanae actiones in ea vetantur, et ius asyli ad eam confugientibus tribuitur.** 2) **Porro quodnam huius privilegii sit fundamentum,** 3) **quaenam sint actiones in Eccl. vetitae, aut** 4) **quae poenae sint eas ibi exercentium, breviter recensentur.** 5) **Indicatur etiam** a) **ius asyli quid sit,** b) **quid in eo contineatur:** c) **quibus locis competat:** d) **quae poenae violantium:** e) **quae personae ab ea arceantur, et** f) **qua ratione tradendae hae sint.**

297. Dixi 1°. ubi lex ecclesiastica *iure* et *facto vigeat:* ut secernatur quaestio de duplici alio stadio, quo societas civilis reperiri potest in Ecclesiam; alterum est, quo peculiaribus conventionibus Rom. Pontifex legi communi aliquid derogavit: alterum est merum factum violentiae contra ius existens, si nempe ob iniquam violationem de facto immunitas penitus desierit. Nam ad alterum quod attinet cum tam propter graves obortos abusus, quam propter politicorum regiminum inobedientiam perniserit Ecclesia ad maiora praecavenda mala, ut ius asyli per Concordata nonnullas reciperet modificationes, hae, si quae sint, ex iis nationibus, quibuscum inita illa sunt, cognosci debent. Quoad factum iniquissimae violentiae atque consummatae ab Ecclesia apostasiae politici regiminis nil heic superest dicendum.

298. 2°. **Fundamentum** in eo est ut haec immunitas non naturali tantum et ecclesiastico, sed et divino iure sit introductum. Nam quoad *1. partem definitionis* certe ius divinum habetur *Io. 2. 14. et. seqq. Matth. XXI, 12;* quoad *2. p.* si non simpliciter, inspectis tamen circumstantiis facile a iure divino est *cf. Exod. XXI. 14.* (exceptio homicidii proditorii aut ex industria firmat regulam in contrarium). Certissime autem non ex sola indulgentia Principum, sed ex Ecclesiae praecepto docet proscripta *prop. 30. Syllabi: Ecclesiarum et personarum ecclesiastica immunitas a iure civili ortum habuit.* Cf. S. Ambr.

in Crescon. 396, Eutrop. *398. lex l. 414,* ex quibus patet ubique iam receptum fuisse ius asyli (1).

299. 3°. **Actiones vetitae** sunt in *genere* actus omnes profani multoque magis illiciti. In specie *a*) *iudicia criminalia* et quilibet actus ad ea pertinentes. Iudicia vel placita quaelibet civilia (non ecclesiastica licet deceat) etiam arbitrorum *c. 2. h. t. in 6; b*) negotiatio, venditio et generatim contractus ex *c. Decet h. t. in 6,* qui tamen actus non sunt irritati a iure, si fiant in Ecclesia; imo consuetudo excusat eos, qui ad pietatem candelas et similia vendunt ad valvas Ecclesiae; *c*) conciones civiles et publica comitia *c. 2. h. t. in 6;* unde arcentur a locis sacris conventus saecularis Collegii, ludi theatrales, choreae, cantus ad merum oblectamentum, profana colloquia et omnia, quae vel divinum turbent officium vel oculos divinae Maiestatis offendunt (2).

(1) Ad rem Devot. *Inst. can. l. 2.* §. XXIV. « Ipse sensus religionis impressus atque insitus in hominum animis fecit ut Christiani ita colerent et venerarentur Ecclesias suas; atque hic sensus intimus ecclesiasticae immunitatis origo et fundamentum est. Non enim Ecclesiarum immunitas inducta est a legibus ut quidam putant, sed inducta est a religione sive a reverentia, qua in religionem ferri debemus, et proinde ecclesiasticae potestatis, cuius est moderari res religionis, cuius est etiam de ecclesiastica immunitate leges constituere ».

(2) Non licet admittere in Ecclesia occasione exequiarum aut quorumdum festorum, quibus laicae sodalitates intersunt, *nisi vexilla religiosa* et pro quibus habeatur formula benedictionis Ritual. Rom. S. C. R. 14 Iul. 1887; 17 Ian. 1890. – Quod si *mandato non obtemperetur* facta prius intimatione iuxta mentem S. Congregationis, parochus se abstineat.

Benedicenda non sunt, *nisi vexilla* earum societatum, quarum statuta ab auctoritate ecclesiastica *adprobata* fuerint, ab eaque aliquo modo dependeant, et aliquod *religionis signum,* nullum autem emblema reprobandum prae se ferant S. C. S. O. 3 sept. 1887. S. Poenit. 4. April. 1887 in Apuana ait: « in ecclesia vexilla nationalia non esse toleranda ». Hoc porro s. Poenit. decretum quod suum fecit 24 Novemb. 1897. in responsione ad Episcopum N. data sic se habet: « Quatenus agatur de vexillis, quae praeseferunt emblemata manifeste impia vel perversa, si ea extollantur in pompa funebri, clerus inde recedat; si inchoata post eam absolutam auctoritas ecclesiastica solemnem protestationem emittat de violata templi et sacrarum functionum sanctitate. Quatenus agatur de vexillis ita dictis nationalibus nullum emblema de se vetitum praeseferentibus in funebri pompa tolerari posse dummodo feretrum sequantur;

300. 4°. **Poenae** autem sunt quoad iudicia civilia irritatio actuum, quoad iudicia criminalia irritatio et excommunicatio, quoad contractus et ceteros actus profanos est poena arbitrio Episcopi decernenda.

301. 5°. **Ius asyli** *a*) definitur « *Privilegium quo illi qui confugiunt ad Ecclesiam et extensive ad alium locum sacrum vel religiosum, immunes a vi qualibet fiunt* ». Hinc patet solutio quaest. *b*) *Quid in eo contineatur:* scilicet 1°. quod inde avelli non possunt, neque vi aut fraude ac blandis verbis eiici: 2°. quod ibidem *liberi* versari debent, neque proinde aut includi in aliqua cella loci sacri, aut etiam ligari possunt: 3°. quod victus aut vestes, quibus egent, iisdem permittendae sint: 4°. quod res propriae, quas secum detulerunt, iisdem eripi nequeunt (Tantum possunt apponi custodes prope ostium ne alio effugiant): 5°. Poenae corporales iis ibidem manentibus decerni aut infligi non possunt. *Cf. Bened. XIII. Const. Ex quo divina, Bened. XIV. Const. Officii nostri, Clem. XII. In suprema.* Inde patet q.

c) *Quibus locis competat?*

Resp. 1°.) Ecclesiis, etiam parieti externo, aut valvis, imo si consuetudo vigeat, etiam 40 passus extra Cathedralem Ecclesiam, et 30. extra alias Ecclesias. 2°.) Oratoriis non tamen privatis aut carcerum. 3°.) *Turri* campanariae.

302. *d*) *Poenae violantium ius asyli* sunt α) generatim irritatio actuum, qui pertineant ad poenam corporalem, et obligatio restituendi: β) Excommunicatio *ipso iure.* Pius IX. *Const. Apostolicae Sedis (2. class.) n. V:* « Immunitatem asyli Ecclesiastici ausu temerario violari iubentes aut violantes ». Unde hanc excommun. incurrunt qui violant vel iubent violari (ait D'Annib. Comm. in h. Const.) immunitatem asyli quoquo modo ex praedictis, dummodo id fecerint 1. **vi:** quocirca si quis dolo et fallaciis eductus fuerit vel fictis promissionibus deceptus exierit, sibi imputet: quia sibi, non loco sacro fit iniuria, iure autem asyli locorum sanctitati et reverentiae non

in ecclesia vero non esse toleranda, nisi secus turbae aut pericula timeantur ».

Quoad hanc p. cf. *Const. Pii V. Cum primum; c. 2. de Imm. Eccles. in 6o.*

personis confugientium provisum est. Et 2. **ausu temerario**; ausu autem temerario is facere intelligitur, qui ab aliis minime coactus, prudens ac sciens aut violare iubet aut exequendo violat (asyli ius), utpote omnis excusationis expers. Et 3. effectus sequutus fuerit; quod de violantibus nemo dubitat, de iubentibus verior ex regulis iuris sententia esse videtur.

303. *e) Quae personae ab eo privilegio arceantur et quaenam eo gaudeant?*

Resp. Generatim omnes eo gaudent, quos non excludit aliquod ex criminibus in iure expressis. Criminosi autem, qui ab hoc iure arcentur, sunt *delinquentes* I. *in religionem* sc. falsificantes litteras Apostolicas; Haeretici in causa haeresis; Iudaei christianam religionem susceptam deserentes; extrahentes violenter e loco immuni eos, qui illuc confugerunt; qui in administrandis montibus Pietatis falsi aut furti crimen admiserunt. II. *Adversus Rempublicam* laesae maiestatis *rei;* qui simulato nomine Curiae alienas domos invadunt; depopulatores agrorum; monetam falsantes. III. *In utramque* delinquentes scilicet Rei criminis homicidii, quicumque sint et quomodocumque illud perpetrent. Excipiuntur minores XX. annorum (In Concordato Clemen. XIV. cum Rege Sardiniae hi quoque excepti fuerunt). Tum mandantes; grassatores seu latrones; tales, qui vias publicas obsident, ut viatores aggrediantur; sufficit autem quod unica vice id fecerint, si cum caede aut mutilatione id fecerint; secus saltem bis. Qui hominem mutilant, multo magis si interficiant cum violatione loci sacri sive e loco, sive stantem in loco sacro.

f) Modus tradendi reum, qui propter eiusmodi delicta, iure asyli non gaudeat, est sequens: 1. requiritur cognitio iudicis Ecclesiastici in dubio, an reus gaudeat nec ne, et sententia; 2. interesse debet persona Ecclesiastica habens ab Episcopo vel huius Vicario facultatem extradendi. 3. Quod si crimen foret notorie exceptum et iudex laicus, eo quod Rector Ecclesiae requisitus recusat extradere vel custodire in loco asyli, extrahit reum, hunc non statim ad carceres saeculares tradere, multo minus punire, sed debet eumdem curiae Ecclesiasticae carceri mancipare, ibique custodire, donec causa ab Episcopo examinata et decisa fuerit. *Reiff. in h. t. n. 190.*

TITULUS XVI.

DE CAPPELLIS ET ORATORIIS.

Summarium. — Cappellae seu Oratorii a) **notione tradita,** b) **privati a publico discrimen exponitur;** c) **et publici quidem variae innuuntur classes:** d) **privati autem conditiones exhibentur ut ibidem Missa celebrari valeat.** e) **Porro Episcopi non solum domi suae fixum, sed ex privilegio etiam in alienis domibus portatile ad sacrum litandum erigere possunt.**

304. *Decl. 1. p.* Cappella et Oratorium inter varios sensus, quos habere possent vel habuerunt, heic prout nunc accipitur est sacellum positum vel in agris vel in civitatibus vel in domibus magnatum extraordinario modo sacris adsignatum et deputatum: *extraordinario modo* dixi: nam pro sacris de more habendis Ecclesiae Cathedrales et caeterae destinantur.

Distinguuntur oratoria in publica et privata: publica censentur quae ex situ vel personis dignoscuntur erecta pro omnibus; hinc iuxta praxim curiae romanae publicum censetur, quod 1°. extructum est in loco publico et accessibili omnibus, vel quia fores in via et platea publica reperiuntur, vel quia aditus liber permittitur omnibus; vel 2°. quod usui publico ab Episcopo sit destinatum ab initio; 3°. quod etiam tunc obtinet *a*) cum exteri ad sacrum audiendum eo bona fide satisfacturi praecepto accedunt, *b*) si ad missam per campanam vocantur, *c*) si adnexum sit beneficium, *d*) si privilegia altaris vel indulgentiae a Sede Apost. ei sint concessae. Oratoria autem privata sunt quidem, quae a privatis dominis extruuntur in privatis aedibus, quin foras pateat exitus et usibus privatorum destinantur; attamen quaedam sunt, fores in viam publicam non habentia, quae si spectetur qualitas domus, et personarum, qui illam incolunt, et praesertim privilegium, publicis adcensentur: cuiusmodi sunt oratoria 1) in residentia Episcoporum et Cardinalium posita, 2) domorum Regularium,

3) locorum piorum ecclesiasticorum, e. g. Seminarii, Collegii, 4) locorum piorum quorumcumque e. g. hospitalium, carcerum...

305. *Decl. 2. p. Discrimen* inde percipitur Oratorii publici a privato, ut illud sit publicum, quod extraordinario modo in usum omnium fidelium cultui sacro destinetur, atque auctoritate Episcopi erigatur, et benedicatur ad sacra peragenda irrevocabili modo, ita ut talis locus nequeat amplius in profanum converti. Sunt autem saecularia vel regularia prout a clero saeculari vel regulari iure proprio administrantur.

306. *Decl. 3. p.* Oratoria publica tres in classes distingui facile possunt: 1ª. est eorum, quae, licet contineantur inter privatas aedes, adnexum tamen habent ecclesiasticum beneficium *S. C. C. in Compsana 31 Maii 1704, Gattico de Orat. dom. c. 3 n. 6. et c. 16. n. 1;* verum haec si antiqua sint, extra domum aperiendo, ubi fieri potest, ianuam in viam publicam transferenda esse: nova autem erigere e re non esse censuit S. C. C. 21. Iul. 1616. – 2.ª est eorum, quae vere et proprie consecrata fuerunt, et aequiparantur veluti Ecclesiis: circa quae S. C. C. statuit, tum ut fores atrii de die essent apertae, tum ut dos eis congrua assignaretur: 3.ª est eorum, quae supra in 2. parte recensita sunt, scilicet auctoritate ordinarii sacris obeundis addicta sunt pro communi fidelium coetu. Hinc oratorium ab initio privatum potest auctoritate Episcopi evadere publicum.

307. *Decl. 4. p.* Privati Oratorii *conditiones* ad missam ibidem celebrandam sunt: 1ª. Indultum apostolicum ita, ut Episcopi non possint concedere laicis, nisi forte per modum actus transeuntis, gravi urgente causa, facultatem ut in eorum oratorio domestico sacrum fiat *S. C. C. 20. Dec. 1855* (1);

(1) Hoc decretum et alia S. C. C. aperiunt sensum *C. Tridentini Sess. 22 de obs. et evit. in cel. Mis.* Item non licet Episcopo concedere ut Missa celebretur in *loco* prorsus *profano* e. g. sub dio nisi per modum actus transeuntis et ob magnam urgentemque causam i. e. 1°. cum templa incendio, terraemotu et similibus celebrationi inepta facta sunt, et tunc licebit etiam sine episcopi facultate si haec tempestive peti nequit: 2°. Quando exercitus in castris agit praesertim diebus dominicis et festis: 3°. Quando

2ª. est ut sit locus ex caemento et lapidibus constructus, ab omnibus domesticis usibus liber, atque ab Episcopo visitatus et adprobatus, ubi adverte quod non licet habitare die noctuque et etiam dormire super cappellis, in quibus quotidie celebratur; *S. R. C. 11. Maii. 1641.* Generatim extrui debet oratorium in loco decenti et ornato: 3ª. conditio est ut regulariter una tantum missa quotidie dicatur, exceptis festis solemnioribus in quibus a celebratione prorsus abstinendum, i. e. festis Paschatis, feria V. in coena Domini, festis Ascensionis, Pentecostes, SS. Apost. Petri et Pauli, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., omnium SS., Nativitatis, Epiphaniae et Titularis Ecclesiae *S. R. C. 17. Nov. 1607.* et *17. Febr. 1685;* 4ª. ut nonnisi privilegiati seu ii, qui in Brevi principaliter nominantur, praecepto de Missa audienda satisfaciant. Ex mente S. Sedis in concedendis ordinariis indultis oratorii privati per verba « *In tua ac familiae tuae praesentia* » intelligitur privilegium extendi indirecte ad familiam... ita ut solum intuitu praesentiae principalis privilegiati possint ceteri indicati in indulto frui oratorio privato. Nomine autem familiae continetur pater, mater, uxor, filii, nurus, gener ad 4ᵐ. usque gradum et descendentes per lineam rectam sub cura et regimine parentum existentes et cum privilegiato in eadem domo manentes; ad prandium invitati *S. Alph. heic n. 318.* itemque famuli tempore missae necessarii; 5ª. quod actus parochiales e. g. baptismus, banni nuptiales inibi exerceri prohibentur: nec etiam sine ordinarii licentia Sacramenta poenitentiae et Eucharistiae administrari possunt. *Cf. Baller. Palm. de III. Decalogi praecepto n. 119. et sqq.*

308. *Decl. et prob. 5. p.* Episcopi eo privilegio fruuntur, ut ad rem divinam faciendam non tantum domi suae oratorium habeant, sed etiam *altare viaticum* seu portatile erigere possint

magna multitudo e. g. in pia peregrinatione sacro careret, si in Ecclesiis tantum celebraretur.

Quod privilegium per se non continet facultatem celebrandi in mari, quae nonnisi a R. Pontifice per specialissimum privilegium concedi solet sub conditionibus, ut assistat alter sacerdos vel diaconus, ut mare sit tranquillum, nullumque adsit irreverentiae periculum. S. C. de P. F. 20 Ian. 1667 Collect. n. 1775.

in alienis quoque domibus, in quibus vel visitationem obeuntes, vel iter facientes hospitio recipiuntur: quin etiam in iis domibus, in quibus commorantur, cum probatis de causis absunt e dioecesi sua *c. 16. de Privil. in 6.* Episcopi vel titulares tantum *S. R. C. 22. Aug. 1818* eoque magis Cardinales, Protonotarii Apostolici solum participantes *Pius IX. Brevi Quamvis peculiares 9. Febr. 1858;* et haec relate ad altare viaticum (1). Quod si agatur de oratorio ipso publico in domo sua episcopali, *accipiuntur* Episcopi non titulares, domus autem non quas utcumque habitent e. g. in agro, rusticandi causa, sed aedes, in quibus sive in ipsa urbe episcopali sive extra habitualiter resident *Gardell. 4547. De Ram. de Orat. p. 308. 309. Quod Episcopi et Cardinales* gaudeant iure altaris viatici patet ex *c. 12. de Consecr. dist. 1. Gattico de usu alt. port. c. 7. n. 4,* etiam in aliena dioecesi *c. ult. de Privil. in 6.* inconsulto quoque ordinario eius loci *(Bened. XIV. c. Magno § 5.)* ut ipsi possint missam ubivis celebrare, et (hodie), propria celebrata, aliam audire etiam in festis solemnioribus *(S. R. C. 22 Augusti 1818.).* Verum neutrubi licet amplius hoc iure uti *Clementis XI. decr. Quoniam Sancta 15. Dec. 1703,* exceptis his, in quibus visitationis vel itineris causa hospitio excipiuntur, vel (cum id eis licet) moram faciunt.

(1) Itaque privilegium altaris portatilis huc redit ut celebrare liceat extra locum sacrum quidem, sed super parvum lapidem inserendum alicui mensae: Dixi super *parvum lapidem consecratum,* quod mobile est et adsportari potest de uno in alio loco. Qua in re, sicut duplex distinguitur altare fixum ita et altare mobile seu portatile. Nam altare fixum dicitur *a*) quod habet structuram stabilem sive cum sua fixa mensa consecratam sive non consecratam, in cuius medio lapis consecratus etiam amovibilis ponatur, *b*) vel quod lapidem seu mensam ex integro lapide coniunctam et cohaerentem habet cum supposito stipite, ut lapis amoveri non possit: et caeteras servat conditiones, quas requirit solemnis consecratio altaris uti in Pont. rom. *Act. S. Sed. v. 3. pag. 120.*

Priori opponitur altare portatile seu mobile, quod secundum totam suam structuram facile de loco in locum movetur, vel pro solo tempore celebrationis maxime in loco profano erigitur. Alteri opponitur illud altare seu lapis modicae magnitudinis consecratus: qui mensae inseritur et ab una ad aliam potest transferri eiusque sit magnitudinis ut calicem et hostiam recipere valeat.

Praeter Episcopos et alios modo dictos, Regulares mendicantes ante Trid. Synod. facultatibus gaudebant non solum in suis domibus sed etiam privatorum altare viaticum erigendi missamque ibidem celebrandi: sed Conc. Trid. magnam partem abstulit eiusmodi facultatum, quamvis non conveniat inter DD. quibus id factum sit limitibus.

TITULUS XVII.

DE SACRIS UTENSILIBUS.

Summarium. — Breviter indicato a) **sensu, qui subest utensilium voci, horum exponitur** b) **quae consecratione aut benedictione et quo ministro indigeant.**

DE CONSECRATIONE ET BENEDICTIONE UTENSILIUM.

309. *Decl. 1. p.* Nomine ss. utensilium continentur omnia quibus s. supellex constituitur, maxime ad altaris sacrificium rite celebrandum : atqui ad haec pertinent :

1) sacrae vestes sacerdotum aliorumque ministrorum.

2) vasa sacra, quae in re divina adhibentur.

3) alia altaris atque Ecclesiae ornamenta: haec enim omnia inter sacras res recensentur a DD. et Ecclesia uti sacra habuit, et sua benedictione atque consecratione, Dei honori divinoque cultui dicavit, ab usu profano segregando illa. Et res sunt Deo consecratae; propterea iamdiu anathemata iure dicta sunt, quod nequeunt in commercium hominum revocari, in quo res profanae versantur. Iamvero ad 1^{am}. classem pertinent amictus, alba, cingulum, manipulus, stola...., ad 2^{am}. vasa sacra ad *ipsum sacrificium* patena, calix... ad conservandam Eucharistiam tabernaculum, ciborium, pixis pro parvis particulis, hierotheca, in qua maior s. Hostia per crystallum relucens populo monstratur: nec non vasa sacra pro asservando oleo infirmorum, cathecumenorum, et chrismate. Ad 3^{am}. corporale, palla, purificatorium, mappae, ita tamen ut corporalia et vasa, queis imposita est immediate Eucharistia, nonnisi a Clericis

in sacris constitutis tangi valeant. Huc pertinent crux, candelabrum, cereorum et lampadum usus.... libri sacri.... campanae.

310. *Decl. 2. p. Generatim* quae tangunt immediate species consecratas, sub gravi regulariter benedicenda sunt, atque omnis supellex, quae ad altaris sacrificium adhibetur eget benedictione *c. 42. de Cons. dist. 1. D. Th. 3. p. q. 38. a. 3. Speciatim* calix et patena absque dubio consecrari debent ab Episcopo et chrismate ungi. Benedici quoque debent vestes sacrae et paramenta ad sacrificium Missae deservientia, ut tanto maiori cum reverentia divinum sacrificium peragatur, nec fas est sacrum litare absque s. vestibus *can. Ecclesiastica 9 dist. 23. can. Altaris palla 39. can. nemo 40. et 42. de cons.* Utrum sit benedicendum pluviale, cingulum, lunula, pixis, probabilius est. *Bened. XIV. not. 21. 12. s. Alph. l. VI. n. 385.*

Huiusmodi porro vestimenta et ornamenta, in quibus *a*) chrisma non intervenit per generalia privilegia et Declarationem Cardd., quam adducit *Io. Gallemart. ad Trid. s. 22. c. 10. de R.,* benedicere possunt et Praelati Regulares, quamvis usum Pontificalium non habeant, sed pro usu suarum Ecclesiarum tantum. Dixi, *in quibus chrisma non intervenit;* nam tunc ad chrismatis unctionem esset necessarium speciale privilegium apostolicum, quale habent sacerdotes Ordinis Minorum et Societ. Iesu apud Indos et in remotissimis regnis, ubi nullus Episcopus catholicus: atque ex consuetudine Abbates mitrati, qui id possunt etiam pro *aliis* quam pro suis Ecclesiis, si Episcopi commissio accedat. *b*) Secluso privilegio, generatim et per se tum consecratio, tum benedictio ss. utensilium ad Episcopum pertinet *Bened. XIV. Inst. XXI.* uti etiam benedictio cinguli; pluvialis et pyxidis.

311. Amittitur autem consecratio et benedictio *a*) calicis et patenae per amissionem formae et usus: sicut contingit per notabilem fractionem, etsi illa fractio de facili refici possit, e. g. si pes calicis non tornatilis a cuppa abrumpatur: ubi vero nova fit inauratio, calix denuo consecrandus *S. R. C. 9. maii 1857; b*) Sacrorum vero paramentorum... quando haec ita lacerantur, ut non sint apta ad usum, ad quem destinabantur, seu detrita sint, aut non amplius figuram priorem retinent, e. g. si ex planeta fit stola, aut ex corporali palla.

MATERIA UNDE UTENSILIA.

Summarium. — **Materia ex qua s. utensilia praesertim quae immediate tangunt ss. Eucharistiam, pretiosa** *generatim sit: a) nominatim* **calicis cuppa aurea vel argentea intus deaurata esse debet.** *b)* **Paramenta non ex textura vitrea mixta auro vel argento: nec ex tela gossipii aut lini, aut etiam lanae, nec versicoloria aut flava vel cerulea; sed coloris aut albi, aut rubri, aut viridis, aut violacei, vel nigri. Amictus vero, alba, corporalia, pallas et altaris lintea, seu tobaleas lineas omnino esse oportet: ex gossypio vel ex gossypio et lino reprobatis.** *c)* **Quis porro et quo ordine teneatur sacro supellectili Ecclesias instruere atque illud in diem reficere patet ex dictis de Eccl. aedific. et reparandis ut prius ex dote ad hoc constituta, dein a patronis, tum a beneficiariis, tandem ex eleemosynis pro Missarum celebratione.** *d)* **Eiusmodi supellectili custodiendae aptari debet sacristia vel locus vicinus,..... ita ut talia vasa, vestes..... semper nitida sint** *c. 2. de custod. Euch. e)* **Insuper circa usum nec adhibeantur ad usus profanos,** *c. 41. dist. 1. de Consecr.,* **nec profana inferantur in templum: vasa autem sacra, calix, ciborium, corporale dum actu continent Corpus Ch. aut sanguinis a nemine sine gravi culpa praeter sacerdotem et diaconum tangi possunt: extra missam laici et foeminae absque necessitate et rationabili causa nuda manu tangere vasa sacra non possunt. Denique vasa sacra e. g. corporalia et purificatoria adhibere ad usum profanum, gravem redolet contemptum.**

312. *Prob.* 1^m. constat ex *Missal. de defect.* non permittitur calix vel patena ex aere *Missal. l. c.,* neque ex cupro deaurato *S. C. R. 16. Mart. 1876:* bene vero permittitur calix et patena aurea, argentea vel stannea vel etiam ex aluminio aliis metallis commixto positis conditionibus contentis in concessione Pii IX. *6. Dec. 1866. Cf. Collect. de Prop. Fid. n. 863.* Sub gravi porro praecipitur ne celebretur cum calice et patena consecrata.

313. 2^m. **Paramenta** non debere esse ex textura vitrea.... nec ex tela gossipii, aut lini aut etiam lanae... patet ex *S. C.*

R. 28 Iul. 1881, nominatim casula, stola et manipulum: quamvis amictus et alba ex lino vel cannabe, cingulum etiam ex lana vel serico confici possunt. *S. C. C. 22. Ianuarii 1701. 23 Decembris 1862.* Quod pallae, et corporalia aeque ac tobaleae altarium debeant esse ex lino vel cannabe et non ex gossypio, liquet *ex S. R. C. 19 Maii 1819.* Omnia dicta paramenta benedicenda sunt ab episcopo vel alio facultatem a S. Sede habente. Color vestium rubricis praescriptus obligat saltem sub levi. Prohibetur color tum flavus, tum caeruleus: ornamenta autem ex auro contexta permissa sunt adhiberi pro colore albo, rubro, vel viridi; non autem pro violaceo. *S. R. C. 23 Febr. 1839, 5 Dec. 1868.*

3^m^. Quis his omnibus instruere Ecclesias debeat, quis ea reficere... patet ex ll. cit. ubi *de Eccl. aedifican. et reparan.*

314. *4^m^.* In cit. rubr. *De Custodia Euchar...* tria praecipiuntur: 1. ut in Ecclesiis Eucharistia, Chrisma et alia sacramenta, seu potius sacramentalia sacramentorum usibus addicta, uti oleum infirmorum pro Extrema Unctione, oleum catechumenorum pro baptismo sub fideli custodia conserventur, adhibitis clavibus, quas retineat apud se parochus vel rector Ecclesiae. 2. Ne profanae supellectiles reponantur in Ecclesiis, et ut oratoria, vasa, corporalia, purificatoria ac reliqua Ecclesiae, uti et ministrorum vestimenta munda et nitida conserventur. 3. Eucharistia asservari potest et debet in solis Ecclesiis parochialibus, Cathedralibus et Regularibus, quia praecipue asservatur in usum infirmorum et quidem in mundo tabernaculo, in quo nil aliud (neque chrisma et olea sacra) reponatur, ac in pixide deaurata cum lumine perpetuo. *Cf. De Albertis de sacris utensil. c. 9.*

Quam diligenter SS. utensilia essent tractanda et custodienda, patet quoque ex variis officiis, e. g. custodis seu thesaurarii, sacristae, qui regulariter debet esse Clericus in sacris constitutus: qui obligatur ex officio ad exactissimam diligentiam, ita ut ob omissionem talis diligentiae teneatur ad damni refectionem, si qua res sacra surripiatur. Laici non possunt retinere apud se claves custodiae SS. utensilium. Addatur et severissima punitio in Rectores et sacristas negligentes... Alberti *l. c.*

5^m. Constat ex dictis ex *cit. can. 41. dist. 1. de Cons.* ex Pontificali. rom. ubi patet qui vasa sacra tangere valeant. *Cf. De Albertis l. c. cap. XVI.*

TITULUS XVIII.

DE SACRIS IMAGINIBUS ET RELIQUIIS.

DE SS. IMAGINIBUS ET RELIQUIIS IN GENERE.

Summarium. — Ad res sacras 1) pertinent quoque Imagines et reliquiae Sanctorum, spectato praesertim fundamento, quod expressum reperitur Conc. Trid. Sess. 25. 2) Ut autem cultu publico sanctos prosequamur, praecedere debet iudicium et solemnis Ecclesiae definitio, quae in beatificationis et canonizationis ritu consistit; circa quae innuitur: *a*) qui constare sufficienter possit de vita et miraculis: *b*) quae forma procedendi ad canonizationem et Beatificationem: *c*) quae sint praerogativae SS^um. praesertim eorum imagines qua veneratione et forma coli debeant.

315. *Decl. 1. p.* Reliquiae et imagines Sanctorum sunt ad res sacras referendae, non solum quia ad animarum sanctificationem spectant, utpote quae sensum humillimae precationis, qua confidimus sanctorum ope plurima bona obtinere, atque desiderium eorum exempla imitandi in nobis excitant; sed etiam quia immediate ad divinum cultum pertinent. Huiusmodi autem sunt tam imagines et sculpturae Deum, Christum, eiusque sacratissimae Passionis instrumenta exhibentes, tum imagines, signa, et reliquiae SS.; nam per cultum his delatum colimus ipsum Deum in servis et amicis suis, quemadmodum Regem honoramus, cum eius imaginem, ministrum vel amicum honore prosequimur.

Hoc dicitur *a*) fundamentum, cui innititur catholicum dogma de cultu SS. expressum a *Trid. Syn. sess. 25. De invocatione, venerat., reliquiis SS. et SS. imagin.* ex quo *scil. Trid. l. c. et 3. Reg. 18; 4. Reg. 1. 4.; Gen. 18; Iosue 5; Luc. 12.* probatur sanctos non quidem cultu latriae, qui soli Deo debetur, sed duliae tamquam amicos Dei et intercessores hono-

randos nec non eorum corpora et reliquias recte colendas. Hoc testatur *b*) Ecclesiae universae constans et perpetua praxis, scilicet in sanctorum honorem festa instituere, sacras aedes vel altaria extruere, vota nuncupare, eorum reliquias et imagines fidelium veneratione excolere, in publicis supplicationibus deferre.

DE RITU CANONIZATIONIS ET BEATIFICATIONIS SS.

316. *Decl. et pr. 2. p. Privatus* cultus dicitur, qui non Ecclesiae nomine, sed proprio et privata devotione colentis exhibetur, sive occulte id fiat sive palam; *publicus,* qui nomine Ecclesiae exhibetur tamquam institutus ab ea, sive publice sive occulte id fiat. At hic deferri nequit, nisi praecedat iudicium Eccl., quod habetur per Beatificationem et Canonizationem. Constat id ex antiquiss. praxi Eccl.; ex *c. 1. h. t.* atque unanimi interpretatione DD. penes quos definitio est et discrimen utriusque. *Beatificare* aliquem est rite et legitime concedere alicui certo Regno, Provinciae, Religioni vel loco facultatem, qua beatus tamquam in caelis existens cultu publico colatur, celebratione scilicet Missae, recitatione officii etc. *Reiff. h. t. Canonizatio* autem est ritus quo aliquis Dei servus per summum Pont. Albo seu numero SS. adscribitur et publice ac solemniter, canonice et regulariter declaratur, definitur, ac statuitur, ut tamquam sanctus ab omnibus honoretur, et de ipso sicut de aliis sanctis eiusdem conditionis certa die quotannis solemne officium celebretur *Schmalzgr. et Pirh. in h. t.* Porro huiusmodi iudicium pertinet ad R. P. exclusive, quia canonizatio est una ex causis maioribus, et exigit faciendum diligens examen miraculorum, in quibus prae ceteris operatur *fides:* quia ad R. P. spectat examen super dubiis ss. scrip. *c. Per venerabilem* § *rationibus: Qui filii sint legitimi.* Ergo a fortiori dubia sanctitatis *c. Ubi periculum 3. de Elect. in 6.* Per canoniz. Sanctus *fidelibus universis* ad cultum proponitur.

317. Iudicium R. P. circa aliquem sanctum honorandum, exhibitum solemni canonizatione, infallibile esse, utpote quod versatur super factum dogmaticum, cf. penes *de Azevedo synops. de canoniz. SS. Bened. XIV. l. 1. c. 42. et 43.* Infallibile esse Ro-

mani Pontificis iudicium in definitiva sententia Canonizationis Sanctorum, nullus Catholicorum est, qui dubitet. An idem Romani Pontificis iudicium etiam quoad beatificationem sanctorum, DD. communiter ita certum autumant, ut oppositum sit temerarium, scandalosum et errori proximum. Quod praesertim intelligi volumus de beatificationis formalis iudicio, cum in hoc ex processibus constare debeat de virtutibus vel martyrio, de signis seu miraculis. Cf. quae scripsimus lib. 1°., seu de Personis n. 204., de Romano Pontifice. Huic porro iudicio praemittenda est diligens inquisitio super vitae morumque probitate, et miraculorum veritate, iuxta *c. Venerabili 52 de textibus et Greg. IX. Constit. Cum dicat Dominus 4. Bullar. t. 1. § 3. et alias RR. PP. constit.*

318. *a*) Qui autem possit constare de vita et miraculis *Resp.* α) I. Cum constet de eius integritate fidei, examine facto in eius scripta, dicta aut facta narrata a testibus de visu et auditu. *Ex decr. Urban. VIII. § Praeterea.* II. Constare debet de ceteris virtutibus tam theologicis quam moralibus, *quae debent esse charitate formatae* in gradu excellenti et heroico: in quo gradu reputantur esse quando homo perfecte per charitatem Deo et divinis stabiliter inhaerendo cum adiutorio divinae gratiae operatur, cum perfecto dominio suarum passionum, refraenando et supprimendo motus inordinatos, nec deliberate consentit alicui imperfectioni morali, cui insit ratio aliqua peccati etiam levissimi *Esparza theol. t. 1. l. 6. de Virtut. moral. q. 5. § Infertur. Resp.* β) Miracula probari debent saltem per duos testes non singulares nec de auditu alieno, sed de visu vel auditu proprio et iuratos. Ad martyres quod spectat, constare debet martyrium tam materiale quam formale.

319. *b*) Forma praescribitur decretis generalibus, editis sub *Urb. VIII. constit. 45. et 180. t. 5. Bullar.;* ex quibus 1°.) *S. R. C.* nequit amplius procedere in causis beatificat. et canonizat. nisi post 50 annos ab obitu servi Dei: 2°.) quamvis intra hos annos de eius fama, virtutibus et miraculis processus fieri possint (ne probationes pereant) ab Ordinario; a quo 3°.) transmittendi ad Sedem Apost. in copia sigillata et autographa, retentis originalibus sub clavibus in archivio episcopali: 4°.) quibus praesentatis sequitur commissio super introductionem cau-

sae signanda post 10 annos a die praesentationis: 5°.) qua facta commissione, S. R. C. potest procedere ad aperitionem processuum. 6°.) Hisce apertis fit relatio contentorum et discutitur *an ii sint validi*: 7°.) Processus recogniti sic ut validi clauduntur et nonnisi post dictos 50 annos aperiuntur; quibus lapsis discutitur dub. *an constet* 8°.) de virtutibus, 9°.) an et de quibus miraculis. 10°.) Post haec posset quidem de iure procedi ad canonizationem; ordinarie tamen R. P. impartitur licentiam venerandi servum Dei uti beatum, et Alexander VII. iustis de causis (cf. Domin. Cappello in actis S. Franc. Salesii) statuit ut prima beatificationis solemnia in Vaticano templo celebrarentur. Haec porro solemnitas consistit in publicatione indulgentiae eo die in Basilica ab utriusque sexus fidelibus confessis et s. Communione refectis obtinendae; in praesentia Cardd. et Consultorum C. R. et Cleric. Basilicae; in exhibitione et lectione Brevis Apostolici: in cantu hymni Te Deum, in detectione et veneratione imaginum servi Dei, in recitatione Collectae, thuris oblatione imagini Beati, celebratione Missae, demum in accessu Pontificis post vesperas ad colendam Beati imaginem... *Cf. de Azevedo, Synops. Opp. Bened. XIV. de canonizat. l. 1. c. 24*, qui *ibid. c. 39. n. 12.* sic indicat discrimen inter beatificationem et canoniz. « Cum igitur beatificatio regulariter sit cultus permissio, aliquando autem praeceptum, limitatum tamen et directum ad futuram definitivam sententiam; et cultus Beatorum sit regulariter restrictus ad determinatum locum: aliquando vero ad universam Ecclesiam extensus sed mere permissive; canonizatio autem sit summi Pont. sententia ultimo definitiva, qua cultus in universa Eccl. praecipitur; in hac utique sententia constituenda est differentia inter beatificationem et canonizationem ».

In antiquiori Ecclesiae disciplina inter beatificationem et canonizationem discrimen erat in praecepto Episcopi de cultu coarctato ad propriam dioecesim, et tunc erat beatificatio; et in eius extensione ad universam Ecclesiam, accedente Romani Pontificis tacito vel expresso consensu, et erat canonizatio. Ast nunc post reservatam Apostolicae Sedi beatificationem Servorum Dei, discrimen est ut ponitur ab Azevedo iuxta mentem Bened. XIV. *l. c.*

320. Forma vero procedendi ad canonizat. ex disciplina vigenti (1) est 1) ut ad hanc post beatif. non deveniatur, nisi

(1) Dixi ex disciplina vigenti: quia in antiquiori paullo diversa erat, licet summa in huiusmodi causarum discussione Pontificum semper fuerit diligentia, ut constat ex antiquis canonizationibus, quas non semper beatificatio praecedebat. Series actorum in his causis postquam Pontifices illas examinare coeperunt, refertur in Ordine Rom. Card. Caietani apud Mabillon... quorum haec est summa iuxta de Azevedo *l. c.* Pontifex ad iteratas instanter virorum gravium preces, rem in concistorio secreto proponere consuevit, aut aliquibus Episcopis, aut optimis integrisque viris committere, ut inquirerent super fama sanctitatis et miraculorum in genere: eorum relatione accepta rem iterum in concistorio secreto proponebat, iisdemque aut aliis mandabat ut inquirerent super fama, vita et miraculis in specie ac individuo. Hac inquisitione transmissa et in Curia Romana a viris prudentibus expensa, atque approbata, Papa in concistorio secreto primum, deinde in publico agebat de canonizatione, atque stata die ad illam procedebat. Gregor. IX. in causa s. Elisabeth et aliorum mandavit, ut testes sedulo examinarentur de causa scientiae ac de omnibus rerum, quas testabantur, circumstantiis: ut divinum praesidium imploraretur, ut viri prudentes, docti et pii advocarentur, qui testium examini adessent. - B. Gregor. X. in causa S. Ludovici Galliarum Regis, antequam quidquam ageret totius vitae seriem ab eius confessario exquisivit per literas.

Etiam quoad beatificationes numquam Beatis cultum etiam ante institutam Congregationem Rituum, nisi causa cognita Pontifices indulserunt, sive id per se, sive per delegatos suos expleverunt ut constat ex Bolland. tom. 1. Maii pag. 536, tom. 2. Ian. pag. 1070-76, tom. 1. et 3. Mart.

Duplex erat Concistorium: quorum in altero soli Cardinales, in altero praeter ipsos Archiepiscopi, Episcopi et Praesules apud Sedem Apostolicam degentes conveniebant: in 1. examinabatur causa mature perpensa a Cappellanis Papae, qui a Cardinalibus requirebant an procedendum esset ad Canonizationem: si id visum fuisset definitio inter Cardinales secreto custodiebatur Hostien. in *cap. Audivimus de Reliq. et Vener. SS. n.* 5. Legebantur etiam in eo depositiones testium super virtutibus et miraculis et agebatur de sufficientia probationum. Cardinales quoque deputati causae merita exponebant. In 2. Concistorio Pontifex acta causae exponebat: mox Episcopi suffragia ferebant. Subsecutis autem temporibus 7. aut 8. praesules eligi consueverunt qui seriem causae perorando exponerent. Sed ob difficultatem omnia haec in uno Concistorio peragendi additum fuit tertium, in quo suffragia Cardd. et Episcoporum Papa exquirebat sicut tot Praesulum perorationibus substituta fuit unius advocati Concistorialis ratio de actis causae cuius orationis summam advocatus iustis de causis in 3. Concistorio repetebat. Insuper Pontifex de statu et meritis causae loquebatur: auditores vero Rotae ac praesertim commissarii intererant ut difficultatibus satisfacerent.

percrebrescente fama sanctitatis, devotione, cultu... et superventu saltem duorum miraculorum, 2) nisi novae fiant instantiae, preces Episcoporum etc., et 3) dein fiat omnium in causa gestorum relatio. Tum commissio signatur a R. P. super novis processibus, 4) quibus productis, proponatur dubium et discutiatur in duabus congreg. antipraeparatoriis, an constet de relevantia contentorum quoad ea, quae supervenerunt post beatif. 5) Si in his Congr. favorabilis est resolutio, quaestio censetur in statu, ut cum R. Pontifici placuerit, deveniri possit ad solemnem canoniz.: ad quam 6) cogit R. Pontifex Concistorium semipublicum conflatum et S. R. C. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, Abbatibus usum mitrae habentibus in Urbe adstantibus instar parvi Concilii, quorum omnium antequam sententias dici iubeat, de tam ardua actione sermonem habet: 7) sententiis dictis ex ordine, Rom. Pontifex diem certam pro canonizatione statuit, hortaturque omnes ad ieiunia et preces: 8) ipso die canonizationis in templo genuflexus orat, adscendit ad thronum ibique, omnium reverentia suscepta, orationem habet, recitat acta Sancti Canonizandi, et, cantato hymno *Veni Creator Sp.,* divinam opem implorat enixius: 9) tandem sanctum declarat Papa et Sanctorum catalogo adscribit: cantatur Te Deum et cetera in rit.

321. *c*) Honores, qui vi decreti canoniz. sanctis competunt novellis hi sunt: I. Debent ab omnibus publice coli et dici sancti: II. in publicis Eccl. precibus invocantur: III. Templa et altaria Deo in eorum memoriam eriguntur: IV. Sacrificium et officium divinum Deo in honorem illorum offeruntur: V. Atque dies festi celebrantur: VI. Imagines eorumdem pinguntur addito quodam lumine in signum gloriae qua in caelis fruuntur: VII. eorumdem reliquiae pretiosis thecis inclusae publice exponuntur.

DE SACRIS IMAGINIBUS IN SPECIE.

322. Speciatim quoad *eorum imagines* qua veneratione etc.

1°. Nulla imago insolita poni debet in Ecclesia, nisi probata fuerit ab Episcopo (ex Trid.), etiam in Ecclesiis exemptis.

2°. Beatis nec Eccclesias nec altaria nuncupare licet *(S. R.*

C. 11. Apr. 1840.); nec eorum reliquias in processionibus circumferre *(Alex. VII. 27. Sept. 1659)*. Itaque eorum imagines et reliquiae in iis tantum Ecclesiis retineri et exponi possunt, in quibus de eorum officio fieri permittitur. *Urb. VIII. C. Sanctissimum, Clem. XI. Const. 52 n. 11.*

3°. At eorum, qui cum sanctitatis fama dormierint, imagines ne in sacrariis quidem retinere licet *(Urb. VIII. l. c.)*, imo nec in vitris Ecclesiarum depingere:

4°. si spectetur forma, imagines Sanctorum non sunt pingendae habitu profano, et Ordinarii iudicant in hoc etiam exemptos *Urban. VIII. Const. Sacrosancta Trid.* Tolerari non possunt imagines vel falsum dogma repraesentantes, vel erroris occasionem praebentes, lascivae, procaci venustate, aut sanctitatem domus Dei dedecentes, dissidiorum causam dantes.

5°. Definitur Imago *figura picta vel sculpta vere repraesentans illud, cuius est imago*, quae differt ab idolo, quod falsum quid repraesentat, ut imago chimerae. *Cf. Ferraris Bibl. v. Imagines.*

Huc referatur prohibitio sequens ex Leonis XIII. Const. *Officiorum....*

« Imagines quomodocumque impressae D. N. Iesu Christi, B. M. Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes omnino vetantur. Novae vero sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur ». Unde patet quoad imagines iam impressas ante dictam Leonis XIII. constit. vetari omnino eas, quae a sensu et decretis Ecclesiae difformes sint, prout vetantur a Syn. Trid. *Sess. XXV. de sac. imag.*, a Bened. XIV. Const. *Sollicitudini* 5. Oct. 1745, a Decretis insertis inter Decreta de libris prohibitis nec in Indicem nominatim expressis ab initio § III. Quoad vero deinceps imprimendas, hae sine ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur.

DE RELIQUIIS SANCTORUM.

Summarium. — Sapientissimas Ecclesia tulit leges circa Sanctorum reliquias legitimas publico cultu venerandas, nominatim insignes, nec non eas suo ritu exponendas, aut alio transferendas.

323. *Decl.* 1°. Reliquiarum nomine intelliguntur Sanctorum corpora et quaelibet ipsorum particulae aut ossium, carnium... capilli, ungues, dentes, cineres, pulveres in quae conversa sunt; item ea, quibus tempore vitae usi sunt, seu quae eorum usu sacrata sunt e. g. scripta, modo non sit aliquid foetidum, vel quod ad Sanctum pertinuerit, cum esset in statu peccati, vel aliquid in se pravum continens, e. g. liber haereticus ab eo inscio contrectatus.

2°. **Legitimae** porro habentur, cum reapse sunt alicuius S. et praecise illius ad quem pertinuisse... dicuntur; et hae sunt legitimae quoad se; quoad nos legitimae sunt, cum auctoritas legitima demonstret esse illius, cui tribuuntur: auctoritas scilicet Ecclesiae; etsi namque per se dignae sint cultu, hoc tamen non possemus omnes catholici prosequi, nisi auctoritas legitima indigitaret quales essent reliquiae Sanctorum.

324. 3°. Publicae venerationi exponi nequeunt reliquiae omnino novae absque Sedis Apostolicae auctoritate *c. fin.* § *inventas h. t.* Quoad reliquias antiquas alicuius Sancti de novo inventas, si constet ex scriptura vel instrumento publico cum ipsis reperto, sufficit auctoritas Episcopi eas recognoscentis et approbantis *Trid. l. c., Sixtus V. Const. Incipit Dominus 88. Bullar. t. 2.* Approbatio autem ab Episcopo fieri debet sicut Trid. praescribit, scilicet ut Episcopus approbaturus reliquias consulat Theologos, aliosque probos et doctos, hisce consulentibus (non deliberantibus) exequatur, quae veritati et pietati consona videbuntur. Quod si hac de re gravis aliqua oriatur quaestio, Concilium provinciale est cogendum, in eoque dirimatur pro maioritate suffragiorum. Quoad admissionem seu approbationem Episcopus examinet etiam, an sint reliquiae Sancti vel Beati, vel alicuius Sancti antiqui de cuius tacita canonizatione per consensum universae Ecclesiae vel etiam ali-

cuius particularis, non improbante Universali. – Quoad recognitionem circa identitatem prudenti iudicio opus est, quod absit a nimio rigore et multo magis a nimia facilitate: sufficit autem certitudo moralis, quae prudenti innixa sit fundamento, licet plane non infallibili, scilicet an adsit diuturna Ecclesiae veneratio. Testimonium personarum piarum, scriptura, quae de ea testatur, ac proin non unice sigillum cum authentica, quae esset probatio plena. Si absque scriptura vel publico instrumento repertae sunt, statuitur *c. f. h. t.* ut reliquias de novo inventas nemo publice venerari praesumat, nisi prius auctoritate R. Pontificis fuerint approbatae.

Si semel approbatae legitime sint reliquiae Bulla apostolica aut Episcopi testimonio; cum in aliam Ecclesiam transferuntur, iterum approbari non debent, sed examinari ab huius Episcopo, an sint scilicet eae reliquiae, quae in litteris apostolicis aut Episcopi testimonio continentur, absque aliorum consilio. Inconsulta Sede Apostolica reliquiae insignes ad aliam Ecclesiam transferri non possunt. Ex Pii IX. *Const. Apost. Sedis* sunt obnoxii excommunicationi R. P. simpliciter reservatae extrahentes absque legitima venia reliquias sacris coemeteriis sive catacumbis urbis Romae, eisque auxilium vel favorem praebentes. Quod si aliunde extrahuntur furtive, id absque sacrilegio non esset.

Reliquiae et ossa Sanctorum radi non possunt, ut rasura detur cum potu infirmis.

325. De quaestubus avertendis in veneratione reliquiarum *c. 2. h. t. n. 31. Reiff. in h. t.* ne venales exponantur seu vendantur: et Leo XIII *decr. 24. Dec. 1878 (acta S. Sedis v. XI. p. 366.)* districte prohibet quolibet praetextu, etiam redimendi, eas (quamvis capsula reconditas et sigillo munitas) emere et mercari. Supposita approbatione legitima, reliquiae coli possunt absolute et sine conditione *Suarez in 3. p. Disp. 55 § at vero;* quia prudenter et pie creditur Deum non permissurum errorem in publico cultu, et si contingeret talis error, materialis et sine culpa esset, cum procedatur ex certitudine, qua maior in humanis exigi non debet.

PARS SECUNDA

DE REBUS ECCLESIAE TEMPORALIBUS.

Ordo dicendi.

326. Accedimus ad eam classem rerum ecclesiasticarum, quibus temporalibus vita Clericorum praesertim fovetur, et quae in cultum atque pietatis opera impenduntur; quae licet materiales sunt, *sacrae* tamen appellari debent. Nam praeter primam rerum sacrarum speciem spiritualia complectentem, alteram diximus constitui rebus materialibus, quae sacrae dicuntur, quia dicatae sunt cultui divino. Harum duplex classis; 1. earum, quae immediate cultui divino dicatae sunt, ita nimirum, ut sint instrumentum immediatum cultus divini, e. g. Ecclesiae, Altaria, vestes sacrae, vasa sacra, imagines sacrae, Reliquiae SS., de quibus hactenus; 2. earum, quae mediate instrumenta sunt, ita nimirum, ut ordinata sint ad comparanda vel conservanda ea, quae sunt instrumenta immediata, vel ad sustentandos ipsos divini cultus ministros, ut bona temporalia, e. g. oblationes, Decimae exactiones, beneficia... et de his modo agendum est.

Supposito in genere Ecclesiae iure in bona temporalia acquirenda et possidenda, nec non administranda atque alienanda, dicemus in specie de quibusdam bonorum possessionibus iure ecclesiastico determinatis, indicantes directe 1. fontes praecipuos ipsorum, prout haec spectantur *una cum Ecclesiae rationibus,* et sunt Decimae, Primitiae, Oblationes; vel *seiuncta ab Ecclesiae rationibus* bona tenent Clerici, et haec considerat titulus *de peculio Clericorum,* praesertim quae competunt Clericis inferioribus; quae vero propria sunt Episcopi, veniunt sub nomine *census*, quas iam vidimus *l. 1. de Epis. § de lege dioecesana.* At haec emolumenta pro Ecclesiarum expensis et ministrorum sustentatione, res mobiles sunt pro necessario usu

ab iis consumendae et a fidelibus, quoties opus fuerit suppeditandae: quas proin fluxas et incertas primum, tum magis stabiles redditas, *alii perfectiores modi possidendi exceperunt*, qui *tit. de Beneficiis* continentur: sed cum haec imitentur commendae et pensiones; hinc sui de hisce tituli.

Cum autem non solum sunt ecclesiasticae res vel mobiles vel immobiles sumptui templorum et ministris alendis destinatae, sed etiam loca, ubi sive exercenda sint charitatis opera, aut Religio antonomastice sumpta, virtus scilicet, qua quis totaliter divino servitio se mancipat, sive vitam degere debent personae, quas speciatim fovet ac tuetur Ecclesia, e. g. miserabiles, peregrini, infirmi, clerici in spem totius s. Hierarchiae adolescentes; hinc singulis hisce suum titulum tribuimus scilicet de monasteriis, de seminariis, de hospitalibus, de sepulturis.

Res porro ecclesiasticae hucusque recensitae fini proprio non inservient, nisi recte conserventur, et administrentur, aut nisi quaedam rite alienentur; cum id necessitas aut evidens Ecclesiae utilitas expostulet; unde titulus de rebus Ecclesiae *administr.*, et *de rebus Eccl. alienandis vel non.* Et haec sectio 1. est: spectans scilicet bona Ecclesiarum, Ecclesiasticorum, piorumque locorum: tandem hunc librum claudet sectio 2. transiens per varios titt. e. g. de Pactis, de Donationibus... scilicet de iis actibus in specie et variis sive inter vivos, sive mortis causa, qui faciunt pro legitima rerum ecclesiasticarum et clericorum acquisitione vel alienatione.

SECTIO I.

BONA ECCLESIARUM, ECCLESIASTICORUM ET PIORUM LOCORUM.

TITULUS XIX.

DE DECIMIS, PRIMITIIS ET OBLATIONIBUS.

Summarium. — Praecipui bonorum ecclesiasticorum fontes iam ab initio Ecclesiae fuerunt 1. Decimae, 2. Primitiae, 3. Oblationes, quarum exhibetur singillatim definitio, divisio, quibus, et a quonam, nisi quis sit exemptus, praestandae erunt. Et quamvis Primitiae praesertim et oblationes fere ubique obsoleverunt, tamen alia pro illis praestatio inducta est e. g. 4. oblationibus quibusdam antiquis suffectum est stipendium pro sacrosancti sacrificii celebratione per modum eleemosynae a fidelibus delatum, 5. de quo inquiritur quale ius sit taxandi, facultas recipiendi et ius lucrandi.

327. *Decl. 1. p.* Prius generatim *oblationes* spontaneae fidelium erant Ecclesiae patrimonium: tum eaedem constitui coeperunt non per modum transeuntis, sed fixae et determinatae legibus Ecclesiae quoad *a*) quantitatem, e. g. quae *Decimae* audiunt: *b*) qualitatem, e. g. quae *primitiae* dicuntur, *c*) quamvis arbitrariae seu simplices oblationes non cessaverint penitus, *d*) quibus beneficia ecclesiastica addenda sunt.

1m. Decima *est certa pars fructuum vel lucri Dei ministris ad eorum sustentationem persolvenda.* Dixi *certa,* non *decima,* nam aliquando minor ea, vel maior est, ob diversam locorum consuetudinem, qua fere omnis decimarum quaestio definitur.

2m. **Divisio.** Aliae porro sunt *ecclesiasticae,* aliae *laicales,* quae scilicet separatae ab officio ecclesiastico laicis persolvuntur auctoritate Romani Pontificis; aliae praediales, aliae personales, aliae mixtae. *Praediales* seu *reales,* quae debentur ex fructibus praediorum, sive urbana illa sint, sive rustica, ita tamen ut ex praediis urbanis solum praestentur, si haec locantur. *Praediales maiores* audiunt, si de frumento, vino et oleo aliisque fructibus distinctioribus pendantur; *minores* autem aut minutae, si de leguminibus et oleribus: *novalia,* si de agris re-

cens excultis, e. g. de exsiccata palude. *Personales* sunt, quae solvuntur ex rebus industria et opera acquisitis, e. g. ex lucro honesto cuiuscumque negotiationis, militiae, venationis... non vero ex rebus donatione, successione, legato, pactis: *mixtae,* quae de utriusque participant et solvuntur ex fructibus pecudum, i. e. foetu, lacte, lana... Unde patet discrimen inter personales et ceteras: nam 1) quia fructus praediorum dicuntur sine impensarum deductione, ideo hae debentur, ne illis quidem deductis expensis, quae fiunt ad fructus colligendos *c. 28. h. t.;* 2) quia decimae reales censentur onus reale, quod sequitur rei possessionem, ideo hae debentur a quocumque possessore etiam a Iudaeo vel ethnico; sed hisce duobus contraria habent personales. In utrisque autem non deducitur id quod impenditur ad conservandum statum ipsius rei, ex qua sunt decimae, e. g. ad instaurandam molam, ad fulciendam domum. Nec praetereunda est usitata apud AA. praesertim modernos distinctio decimarum in *sacramentales* et *dominicales* seu territoriales, cuius sensus obvius est (1).

(1) Haec distinctio decimarum, i. e. in *dominicales* et *sacramentales,* est maximi momenti quoad applicationem legis a gubernio italico (quamvis incompetenter) super decimis latae. In art. 1. legis 14 Iulii a. 1887 statuitur: « Le decime ed altre prestazioni stabilite sotto qualsiasi denominazione ed in qualunque modo corrisposte per l'amministrazione dei sacramenti o per altri servizi spirituali ai Vescovi, ai Ministri del culto, alle chiese, alle fabbricerie od altri corpi morali, che hanno per iscopo un servizio religioso, al Demanio dello stato, all'Amministrazione del Fondo pel culto e dell'Asse ecclesiastico di Roma, sono abolite, ancorchè si trovino convenzionalmente o giudizialmente riconosciute o convertite in prestazione pecuniaria ». - Ex hoc articulo et ex unanimi iurisprudentia tribunalium laicalium abolitas fuisse tantum decimas *sacramentales,* i. e. eas, quae ex titulo mere spirituali solvuntur, scilicet ex sola ratione administrationis sacramentorum *(Card. De Luca, Theatr. verit. et iust. lib. XIV. disc. V. n. 10),* et non etiam *dominicales,* quae appellantur quoque *indominicatae,* vel *temporales,* vel *territoriales,* fundamentum habent in iure proprietatis, et in recognitionem dominii persolvuntur. Decimae *dominicales* non sunt suppressae, sed tantum *affrancabili* iuxta art. 3. legis citatae, praevia earum commutatione, i. e. liquidatione in certa et fixa quantitate pecuniae. - Quoad media probandi qualitatem decimarum, iuxta doctorum et tribunalium sententias, haec sunt tenenda: 1.) Decimae quae solvuntur laicis, iuris et de iure praesumuntur dominicales, cum laici sint omnino incapaces possidendi decimas sacramentales: si autem clericis solvuntur ex

3m. Relate ad **personas quibus** decimae **solvendae** sunt faciunt seqq.

Reg. I. *Iure Ordinario.* Cum prius decimae solverentur Episcopis, qui eas non secus ac cetera bona Ecclesiae in Clericos, aliosque usus distribuebant, successu temporis divisione facta partium, quae parochis obveniebat separata, fixa ex certis statutis reditibus facta est, eique attributum est ius decimandi *c. Cum contingat.* et *c. Cum tua h. t.* unde iam antiquitus parochis tantum iure communi debebantur; quia ut advertit S. Th. radix solutionis decimarum est debitum, quo seminantibus spiritualia debentur temporalia:

1°.) Atque adeo parochus habet intentionem fundatam in iure. 2°.) Decimae praediales solvendae sunt paroeciae, intra cuius fines praedia iacent, etsi dominus in alia parochia moretur, nisi obstet consuetudo. 3°.) Personales debentur paroeciae, in qua Christiani sacramenta suscipere tenentur. 4°.) Decimae mixtae debentur paroeciae, ubi animalia continuo pascuntur, et si per dimidium anni in territorio alterius pascantur

praesumptione iuris tantum uti sacramentales ideoque suppressae habentur, et clericis incumbit probatio contraria *(Cassazione di Roma 12 Aprile 1892, Rivista di dir. eccles. vol. III. pag. 243; Cass. Torino, 22 Marzo 1892, ibid. pag. 48)*. Haec est unanimis iurisprudentia tribunalium civilium, quamvis non absint, qui teneant decimas non esse praesumendas sacramentales: ita e. g. *G. Salvioli, Digesto Italiano v. Decime, n. 100; Lampertico, Le Decime, Riv. di dir. eccl. vol. II. n. 7-8.* 2.) E contra praesumuntur dominicales decimae, etiamsi clericis solvantur: – *a*) si sint impositae certis fundis, et non omnibus fundis paroeciae; – *b*) si possessori fundi sint debitae, qua tali, independenter ab eius domicilio; – *c*) si solvantur etiam ab aliis clericis, qui ministerium spirituale exercent in eodem territorio; – *d*) si sint impositae etiam fundis extra territorium decimantis *(Cassazione Roma, 12 Aprile 1892: Corte Appello Venezia, 1 Settembre 1891, 5 Agosto 1892, 19 Maggio 1892, 21 Luglio 1892; Rivista di dir. eccl. vol. III. pag. 243, 51, 174, 270, 372; Cassaz. Torino 31 Dicembre 1894, ib. vol. V, p. 65)*. 3.) Non sunt suppressae decimae, quae, quamvis olim sacramentales fuissent, rite postea ab auctoritate ecclesiastica in dominicales fuerint conversae *(Cass. Roma 31 Dicembre 1896, Foro Ital. 1897, I, 59; Corte Appello Perugia 15 Novembre 1897, Foro Ital. 1898, I, 59)*.

Caeterum quoad decimas videre est *G. Caselli, Le Decime (Rivista di dir. eccl. vol. I, pag. 177, 305, 713; vol. II. pag. 7 e 321)* et alios complures auctores ibidem citatos.

inter utramque paroeciam dividendae. 5°.) Decimae novalium cum praediales sint, Ecclesiae parochiali debentur, nisi in contrarium rationabilis ostendatur causa ab his, qui alias percipiunt decimas. 6°.) Novalia minus proprie dicta, h. e. decimae eius praedii, quod non recens excultum, sed tantum ad diversum culturae genus redactum est, eisdem solvendae, quibus antea debebantur, quia permutatio qualitatis substantiam rei non immutat.

Reg. II. *Iure* autem *extraordinario* competunt, praeter parochos, iis, qui ius decimandi acquisiverunt 1. unione beneficii parochialis alicui capitulo, monasterio etc.; 2. privilegio apostolico; 3. conventione legitima, e. g. permutatione decimarum unius Ecclesiae cum decimis alterius; ad legitimam vero conventionem I. implendae sunt solemnitates in rerum Ecclesiae alienatione necessariae: II. cavendum est a vitio simoniae, ne scilicet ipsum ius decimandi in laicos transeat, aut clericis detur pro re temporali. Ius enim tale spirituale est, quia nascitur ex sacri ministerii exercitio, competens proinde solis Clericis, qui animarum curam vel habent, vel habere possunt, atque incapax commutationis pro re temporali. Res autem temporalis, quae nomine decimarum datur e. g. frumentum, oleum, vinum, quia sunt corporales ideo cum alia temporali compensari, emi vel conduci possunt, imo et ad laicos pervenire. 4. Tandem praescriptione 40 annorum cum aliquo titulo (etsi hic vitio laborans sit) vel praescriptione immemorabili, cuius scilicet ignoratur initium, si decimarum possessor nullum titulum possit ostendere.

4^m. **Tenentur solvere** decimas ii omnes 1. qui ius habent percipiendi a parocho suo spiritualia. 2. Reales decimae solvuntur ab omnibus possidentibus praedia iuri decimandi obnoxia. 3. Clerici et religiosi non tenentur *personales* decimas solvere: praediales autem tenentur, si patrimonialia non vero beneficialia bona constituunt: 4. ad nullum decimarum genus solvendum tenentur religiosi exempti.

5^m. **Tituli** vero, qui iuxta canones **eximant** aliquos a solvendis decimis, sunt:

1. *Privilegium* apostolicum, quo eximuntur e. g. Clerici et Regulares. 2. *Transactio c. 3. et 9. h. t.* qua remittuntur aut decimae

aut ipsum ius decimandi: ad primum sufficit decimatoris consensus: ad alterum opus est R. P. auctoritate; quod quidem remittitur ex causa onerosa i. e. compensationis alterius rei spiritualis e. g. si religiosi sese obstringant conciones in parochia habere. 3. Praescriptio, quae si habeat titulum, qui causam dedit possessioni, sufficit ut sit quadragenaria: si titulo careat, requiritur ut sit immemorialis: et 4. tandem consuetudine, qua in aliquo loco decimarum usus generaliter obsolevit: sic decimae personales, praediales, minutae fere ubique, mixtae autem multis in locis in desuetudinem abierunt.

328. *Decl. 2. p. a*) **Primitiae** sunt *primi fructus agrorum* et pecudum, quae in V. T. ex divino praecepto quotannis Deo offerri debebant: quasque etiam cum decimis primi Fideles, ex Iudaismo conversi ad Christum, sua pietate in Ecclesiam induxerunt. *b*) De hisce advertatur 1. Apud priscos Christianos earum usum diu receptum, postea contrariis moribus fere exolevisse; 2. ex moribus diuturnis ex doctrina PP. ex canonum praescripto factum esse, ut primitiae propriis Ecclesiis praestarentur; 3. merito consuetudinem ferendi primitias alicubi vigere adhuc, quia institutae sunt tum ad gratias Deo agendas tamquam bonorum omnium largitori, tum ad ministrorum substentationem.

329. *Decl. 3. p.* **Oblationes** 1. etsi generaliter acceptae decimas quoque et primitias comprehendant, peculiariter tamen sumptae veniunt *spontaneae illae largitiones, quas fideles ad altare afferebant a*) a tempore Missae pro sacrificio, usu Ecclesiae et altaris, e. g. panem, vinum, thus, oleum, spicas: *b*) aut pro substentatione ministrorum extra sacrificium deferebant in Ecclesiam ad subsidium non solum clericorum, sed et pauperum quarum rerum administratio erat penes Episcopum: *c*) vel tandem quae occasione funeris et receptionis sacramentorum aliorumque officiorum occasione, ita sponte donabant, ut turpe esset nil ad dictos fines offerri ab eo, qui dives esset. Hae porro omnes relatae cum primitiis et decimis in eo conveniunt, quod intuitu pietatis ex ultronea voluntate fiant, sicut decimae et primitiae, ad quas lege Ecclesiastica deinceps obligatio; differunt autem quod oblationes semper arbitrio fidelium permittuntur. Iamvero oblationibus hisce prae-

sertim 1[i]. generis suffectum est stipendium missae; 2[i]. generis oblationes perseverant fere eodem modo, cum fideles vel in arcam in Ecclesiis ad id destinatam, vel alio quovis modo stipem pie conferunt: 3[i]. generis oblationibus correspondent, quae nunc audiunt iura stolae.

Hinc 2. **Divisio**: aliae voluntariae e. g. eleemosyna pro missae celebratione et pro quolibet opere, aliae necessariae ut emolumenta stolae. Porro circa has oblationum species animadvertatur: *a*) etsi sacramenta et reliqua sacra officia gratis omnino praestanda sint a Clericis; tamen *b*) laici tenentur ad consuetas oblationes, ad quas, si illi renuant, Episcopus cogere potest *c. 42. de Sim.*, quam legem extorsit necessitas parochorum, quibus si molestiae et labores non desunt, alimenta certe interdum deerant: tamen Clerici omnem turpis lucri suspicionem vitent, nec quidquam a pauperibus recipient. *c*) Quae oblationes generatim sive pecuniis positis in arca Ecclesiae, sive alio quovis modo factae, obveniunt omnes parocho, etiam quae in aliis Ecclesiis non parochialibus aut oratoriis, quae tum materialiter (territorio) tum formaliter (iurisdictione) continentur intra fines paroeciae ipsius parochi, et quae aut consuetudine, aut iuris dispositione, aut intentione manifesta offerentium non forent exemptae: quia censentur dari propter sacramentorum administrationem. *S. C. C. in Fulgin. 6 Apr. 1647.*

Ratio exceptionis patet, qua dixi *aut consuetudine..* quae sc. talis esse debet, ut reapse dici possit obligationem induci voluisse: nam actus facultativi non inducunt obligationem (1).

(1) Per la fiscale legge del 24 Agosto 1877, interpretata anche più fiscalmente da parecchie decisioni della commissione centrale delle imposte dirette, constituiscono un reddito soggetto ad imposta di ricchezza mobile le offerte de' fedeli alle Chiese ed ai Santuarii, non solo quando siano fatte in correspettivo di qualche officio o ministero (elemosine delle messe proventi di stola ecc.) ma anche quando sieno fatte genericamente senza una destinazione specifica (commissione centrale per le imposte dirette, decisione del 6. Giugno 1897. – Foro Italiano 1897 III. 140, item decisione del 29 Nov. 1897, Foro Italiano 1898. III. 7), mentre volendo applicare rettamente la suddetta legge del 24 Agosto 1877 le elemosine fatte genericamente non dovrebbero essere soggette ad imposte, poichè la legge stessa dichiara soggetti ad imposta i proventi anche se avventizii e derivanti da spontanee offerte, in corrispettivo di qualsiasi officio o ministero (Vedi Monografia dell'Avvocato E. Maroni in nota alla citata decisione della Commissione centrale del 6 Giug. 1897).

SPECIATIM DE MISSAE STIPENDIO.

330. **De Missae stipendio** praecipue advertatur I. *modus* quo defertur eiusque leges; II. *relaxatio obligationis*, quam inducit. Defertur autem per modum beneficii, legati, aul eleemosynae.

I. **Quoad modum eleemosynae** notetur quod *generatim* huiusmodi missae, quasi ex pacto tacito, applicari debent singulae pro singulis acceptae stipendiis licet exiguis, si exigua acceptaveris sciens volens, nisi tam exigua sint, ut gratis potius promisisse videaris. Celebrandae autem sunt suo loco, suo tempore, nec, regulariter, interest utrum per se an per alium celebres (1).

(1) Ad promovendam adimpletionem onerum missarum leges plures ab Ecclesia editae sunt, quae continentur praesertim in decr. *S. C. C. Nuper a congregatione* auctoritate Urban. VIII. et Innoc. XII. edito 23. Nov. 1697: cuius praecipua capita sunt I. Mandatur sub obtestatione divini iudicii ut *tot Missae celebrentur,* quot ad rationem attributae eleemosynae fuerint praescriptae ab eo, qui eleemosynam tribuit, « ita ut alioquin ii ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quin imo graviter peccent et ad restitutionem teneantur ».

II. Statuitur ut pecunia seu bona mobilia, ecclesiis tam saecularibus quam regularibus data cum onere perpetuo missas celebrandi ab his, ad quos pertinet quamprimum investiantur in *bonis immobilibus fructiferis* qualia sunt praedia rusticana et immobilia urbana. = Qua tamen in re advertatur *a*) quod si bona stabilia non reperiantur, vel non sinat gubernium civile bona data ecclesiis aliter investiri, quam in *emptionem censuum* publicorum, scil. reddituum, ab aerario publico constitutorum, ad illud medium recurritur licet minus consentaneum sit canonibus et praxi a S. C. indicatae: *b*) quod si haec bona alienari contigerit, ex regulis can. pretium converti debet statim in alios fundos *stabiles* et *frugiferos* cum expressa mentione oneris Missarum a fundatore impositi.

III. Rectores Ecclesiarum *eleemosynas manuales* et quotidianas pro Missis celebrandis non recipiant, nisi oneribus antea per varias fundationes impositis *satisfecerint,* vel intra tempus satis modicum satisfacere valeant, modo tribuens eleemosynam non consentiat ut Missae ad longius tempus protrahantur, donec prioribus oneribus fuerit satisfactum.

IV. Tenentur rectores, ad quos spectat, conficere et in patenti loco retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium literis descriptorum. Insuper habeant in sacristia *duos libros,* in quorum altero singula *onera*

Speciatim vero advertatur 1°. Ius taxandi: 2°. Facultas recipiendi: 3°. Ius lucrandi. Ad 1^m^. Taxat oblator ita, ut si acceptes etiam pro minimo tenearis. Si ipse non taxavit, ut saepe fit in testamentis, Decretum generale Episcopi: secus consuetudo dioecesis.

Ad 2^m^. Generatim facultas recipiendi fit omnibus sacerdotibus: at haec limitatur 1°. quoad eos, qui non possunt intra debitum tempus, nisi certioratus oblator contentus sit de dilatione; 2°. quoad collectores mercimonii caussa, ut ii incurrant in excomm. 12^am^. Pii IX. *Const. Apostolicae Sedis* Romano Pontifici simpliciter reserv.; 3°. quoad alios Collectores, qui id agant, ut negotiantes libros et merces facilius vendant, quod ab aliquibus Episcopis, iamdiu, sed merito omnibus interdictum est *a S. C. C. 1874, 25 Maii 1893;* et ad Episcopos Ital. *28 Aug. 1897.* saepe enim saepius missarum celebratio omittitur (1).

Ad 3^m^. Ius lucrandi habet, qui applicat: unde 1°. illicitum est alteri, retenta parte eleemosynae conferre stipendium minus, etsi iustum pro eadem applicatione: *nisi* qui retinet titulum habeat e. g. *a*) Ius; si missa beneficio cohaereat: *b*) dantis intentio ut puta si legatum sit alicui ad vitam relictum: *c*) suscepta specialis Missas celebrandi obligatio e. g. ex Capellania etsi manuali. 2°. Permutare applicationem, salva sua cuique eleemosyna, quae inaequalis sit. Nam *a*) excusatio, quae af-

perpetua et temporalia, in altero *Missas manuales* atque illorum et istarum adimplementum diligenter adnotare; nec non singulis annis exactam de supradictis adimplementis rationem suo superiori reddant.

(1) A S. C. C. 1874. prohibetur omnibus ceu turpe mercimonium 1) quod eleemosynas *colligentes* mercatores celebrantibus rependant libros loco pecuniae 2) et nulla fieret imminutio eleemosynar... vel ad subveniendum sacerdotibus pauperibus carentibus stipendio, 3) etsi lucrum perceptum ex mercium cum eleemosynis permutatione in bonorum operum usum impendatur, 4) etiam ii, qui colligunt et tradunt bibliopolis..; 5) etiam ii, qui recipiunt libros a bibliopolis pro missis celebrandis. *Ad* efficacius autem *cohibendam pravam quorumdam licentiam qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutandas, missarum ope utebatur S. C. C.* edidit 25 Maii 1893 decretum *Vigilanti,* ut suspensionem R. Pontifici reservatam ipso facto incurrat clericus delinquens contra enunciata decreta an. 1874: laicus autem obstringatur excomm. l. s. Episcopis reservata.

fertur vana est, quod nimirum dies tantum et missa permutatur: nam eleemosyna inhaeret applicationi, adeoque simul permutantur; neque possunt scindi, nisi *vi pacti,* quod vetitum est, (etiamsi forte in se licitum esse possit) *decreto S. Congr. Conc. sub Inn. XII.* et iterum *a Bened. XIV. in Constit. Quanta cura an. 1741. b*) Etiam in terminis permutationis reprobata est *a S. Cong. C. in Volaterrana Missae conventualis 6. Mai. 1865.*

Per *modum legati* onera perpetua suscipi ab Ecclesiis nequeunt absque licentia Ordinarii.

Per *modum beneficii* advertatur quod 1. beneficium per se seiunctum est ab ipsa *applicatione Missarum:* unde applicatio potest alteri deferri, stipendio ei attributo non pro rata reddituum, sed iuxta taxam; 2°. in missis quotidianis non ita urget applicationem, ut aliquando amitti nequeat: his tamen sub conditionibus, *a*) ut non obstet mens fundatoris; unde merito dubitatur, si dixerit aut *per se aut per alios*: *b*) ut dies quibus abstinet *pauci sint:* forte *semel quolibet mense: c*) ut illis diebus non debeat celebrare *S. C. C. apud Giral. in c. Significatum de praeb.*

331. II. **Relaxatio obligationis** quam inducit h. e. 1. reductio, 2. declaratio, 3. compositio.

Reductio missarum proprie dicta est imminutio Missarum in posterum celebrandarum ex iusta causa et legitima auctoritate facta. Iusta causa consistit in exiguo sacerdotum numero, qui omnibus acceptis Missarum oneribus satisfacere nequeunt, in tenuitate stipendii, propter quod nemo sacerdotum est, qui velit celebrationis onus sibi assumere, et in necessitate Ecclesiae aut monasterii, aut ipsius beneficiati, si aliter Ecclesia aut monasterium regi aut beneficiarius vitam agere non possit.

Compositio est condonatio, vel remissio missarum, pro quibus fuerunt eleemosynae vel fructus beneficiorum absque celebratione iam percepti: quae fit aut immediate per summum Pontificem aut mediate per organum Poenitentiariae vel S. Congreg. Concilii, vel S. Congr. Fabricae S. Petri: Hoc autem interest discrimen compositionem inter et reductionem, quod illa respiciat omissiones in praeteritum; haec illas, quae

in futurum obvenient, quibus iustus adimplendi modus determinatur.

Declaratio tandem est resolutio vel potius authenticum iudicium, quo definitur onus missarum non adesse..... Hisce positis.

Quoad *reductionem* cf. Trid. c. 14. sess. 25. de Ref. et decretum S. C. C. auctoritate Urban. VIII. editum penes Reiff. in tit. 41. de Celebr. missae, quo decernitur 1) non posse Episcopum nec in dioecesana Synodo aut superiores Regulares in Capitulis generalibus reducere onera missarum, etsi reditus tenues sint, sed expetendam esse ab apos. Sede reductionem onerum missarum: 2) ne presbyter, qui eleemosynam accepit retenta sibi huius parte, missam faciat ab altero celebrari. Etsi directe reducendi missas auctoritas Episcopis sit adempta: eadem tamen quandoque utuntur in vim specialium concessionum, ob quas iure delegato efficiunt quod, ordinario efficere nequeunt. In Conc. Rom. sub Bened. XIII. concessum est omnibus Episc. eidem Concilio per se vel per procuratorem praesentibus, ut quibusdam servatis conditionibus ad triennium possent onera Missarum reducere. Hoc ipsum Indultum inde postularunt et obtinuerunt alii Episcopi, qui solent de triennio in triennium a S. Sede obtinere hanc potestatem.

Quod Indultum Reductionis comprehendit missarum onera, non vero alia legata pia aut dispositiones et inter vivos, quibus subsidia pauperibus, aut virginibus dotationes relinquuntur. Comprehendit autem *a*) facultatem reducendi missarum onera, quae alias non fuere reducta, quaeque manuali carent eleemosyna, non vero onera missarum vel tantum semel reducta, vel quae synodalem habent eleemosynam; *b*) facultatem absolvendi vere pauperes a praeteritis omissionibus, non vero transferendi missarum adimplementum de una in aliam ecclesiam *Bened. XIV de Synod. l. 13. c. ult.*

Quoad *compositionem.* A compositione seu condonatione missarum abstinere quoque debet Episcopus: condonatio enim privative est reservata R. Pontifici, qui eam solet aliquando concedere, iusta causa urgente et salutaribus conditionibus praescriptis: praesertim mediante sacra S. Petri Fabrica. Haec S. Petri Fabrica congruum quotidie missarum numerum per

deputatos cappellanos in Basilica vaticana celebrare facit in suffragium animarum, pro quibus omissa sacrificia erant applicanda, dum supplet in reliquo ex spirituali Ecclesiae thesauro; et illis iniungit, qui suo non satisfecerunt muneri, ut quaedam emittant opera pia modicamque offerant eleemosynam, quae compositio etiam dicitur. Sed non admittitur nisi ex iusta causa et cum clausula « dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem » secus haec iure ipso nulla foret.

Declarationes tandem facere possunt Episcopo seu edere authentica iudicia, quibus definitur, onus missarum vel nulliter impositum fuisse e. g. si testator qui nihil in bonis habebat, onera missarum demandasset, vel resolutum fuisse e. g. si missarum onus proveniat ex contractu, qui rescissus fuerit; vel demum satis impletum fuisse e. g. si fundus pro missis addictus ab altero vindicetur.

TITULUS XX.

DE PECULIO CLERICORUM.

Summarium. — Sub 1) peculii voce variis Clericorum bonis recensitis, 2) asseruntur Clerici absoluti domini bonorum patrimonialium, quasi patrimonialium, et reddituum beneficialium non tantum necessariorum, sed et superfluorum congruae eorum substentationi atque adeo de iis omnibus libere disponere possunt, 3) exceptis ultimis, quae ex uno Ecclesiae praecepto in pias causas erogare tenentur.

332. *Decl. 1. p. Peculium* quasi pusilla pecunia seu parvum patrimonium dicitur in iure civili *ea bonorum portio quam servus vel filius familias a rationibus domini vel patris habet separatam:* heic autem pro patrimonio et bonis quibuscumque Clericorum accipitur, licet sui sint iuris.

Iamvero haec sunt 1. aut *patrimonialia,* quae nempe Clericis obveniunt ex causa aut titulo mere profano v. g. haereditate, legato, donatione, contractu, labore manuum.... 2. aut *quasi patrimonialia,* quae videl. ipsis obveniunt uti merces vel stipendium ex functione vel ministerio ecclesiastico e. g. con-

cionari, canere in Ecclesia, legere Missas, exequi funeralia, administrare Sacramenta: quo referuntur reditus stolae, et forte etiam distributiones quotidianae: 3. aut *beneficialia* e. g. reditus, fructus, qui ipsis competunt ratione beneficii quod habent: 4. alia *pure* et in specie dicta *Ecclesiastica* tum mobilia, tum immobilia ad cultum divinum vel immediate deputata e. g. s. vasa et paramenta, vel mediate ut fundi, praedia pro ministrorum substentatione impendenda: 5. *parcimonialia* ea scilicet, quae sibi Clerici parcius et quasi unciatim vivendo (tamen non ita ut abiectione et sordibus vilescant) ex beneficialibus ad congruam substentationem pertinentibus comparaverunt. 6. Ex bonis beneficialibus aliqua sunt necessaria congruae substentationi, aliqua possunt esse superflua, quae nempe redundant ultra competentem beneficiariorum substentationem. Congrua substentatio est, qua viri timorati eiusdem conditionis et loci solent communiter esse contenti, et quae requiritur ad eorum ac familiae victum, vestitum, habitationem, convenientem recreationem, hospitalitatem, pro periculo morbi si perseveret annona... Hinc quantum sit necessarium in particulari, dari nequit generalis regula ob diversa adiuncta locorum et temporum, quia cariora hic et nunc quam alibi, quam olim; personarum cum ipsa Ecclesia plus vel minus retribuit iuxta maiorem vel minorem gradum dignitatis, nobilitatis, literarum ac scientiarum, laborum. Notant autem DD. iuxta Pichler heic, quod sicut pretium rerum non est indivisibile, sed datur infimum, medium et summum: ita et congrua substentatio suos habet gradus respectu eiusdem personae; et sicut cuilibet licet rem suam summo praetio vendere, ita et Clericis licebit summum congruae sibi attribuere.

333. *Decl. et pr. 2. p. a*) *quod sint patrimonialium* **domini** patet, ideo quia per Clericatum ea non amittunt, nec incapaces dominii redduntur; *b*) *quasi patrimonialium,* quia recipiunt ea instar *mercedis* et *stipendii;* atqui merces, et stipendium verum transferunt dominium; ergo; *c*) *parcimonialium* etiam, quia debentur propriae industriae, et fructus sunt quasi industriales debiti ex omni iure parce viventibus: *d*) domini vero nulla prorsus ratione sunt bonorum in specie ecclesiasticorum, uti patet. Restat quaestio *de beneficialibus. Horum* I) *necessariorum*

profecto sunt domini, *a*) ita communis DD. contra quosdam veteres *b*) ex Trid. *sess. 23. c. 1.* § *Si quis autem;* ubi statuit, beneficiarios non residentes *pro* rata temporis absentiae fructus suos non facere. Idem *sess. 24. c. 12. de R.* de provisis ad beneficia curata, canonicatus, Dignitates Ecclesiae Cathedralis intra bimestre professionem fidei non emittentibus «*fructus non faciant suos*»: ergo qui resident et professionem emittunt fructus faciunt suos saltem ad congruam substentationem necessarios: atqui facere fructus suos est consequi eorum dominium *ar. l. 2. 5. 2. ff. de R. C. et c. un. de Cler. non resid. in 6;* atque ex eo modo loquendi I. C. Et hoc peculium necessarium ad honestam substentationem ita censetur proprium clerici, ut habeatur loco rigorosae mercedis et stipendii laboris personalis, quem pro Ecclesia exercet atque adeo eiusmodi peculium nemo sibi absque iniustitia vindicare potest. II) *Sed domini sunt etiam superfluorum a*) ex plurim. DD. praesertim Soc. I. omnium sententia. *Sporer et PP. Trid.* teste Pallavicino *valde communem* hanc sententiam dicunt. *Sotus l. 10 de I. et Iur. q. 4. a. 3. ait* hanc sententiam sibi ita esse persuasam ut quamdiu Ecclesia contrarium non definierit, nesciret eam deserere; cum *S. Thom. eam teneat, neque* ullus eiusdem Ord. pater contrarium expresse dicat: *b*) adde quod idem Trid. l. c. non distinguit inter fructus necessarios et superfluos ad substentationem; ergo a contrario utrosque fructus faciunt suos qui resident et professionem emittunt. *c*) Indistincte omnes fructus dantur instar mercedis et stipendii propter ministeria: sicut redditus stolae et bona quasi patrimonialia iuxta et ipsos adversarios. *d*) Per divisionem rerum acquiritur dominium: sed sine distinctione necessariorum a superfluis adsignati sunt Clericis certi reditus. Hinc sequitur quoad praedicta bona libere disponere posse beneficiarios, sicut domini de rebus suis. Dixi in p. 3.

334. *Decl. et pr. 3. p. Exceptis ultimis,* quae in pias causas erogare tenentur. *Causae piae generatim* sunt, quae serviunt ad cultum divinum, vel cedunt ad solatium pauperum: *speciatim* vero sunt 1. opera misericordiae spiritualia et corporalia; 2. pauperes omnes etiam nobiles non habentes necessaria ad statum et conditionem; 3. consanguinei indigentes, maxi-

me foeminae dotandae; 4. nepotes in studiis alendi, si negligant parentes... Tenentur autem in eas erogare non ex iustitia, non ex virtute charitatis, aut Religionis, cum nullum argumentum ex iure nat. aut divino afferatur ad satis probandum, sed ex *solo praecepto Eccl. i. e. Trid. sess. 25. C. 1. de R.* ubi *Clericis omnino* interdicit *ne ex reditibus Eccl. consanguineos familiaresve suos augere studeant, cum et apostolorum canones prohibeant* ne res eccles. quae Dei sunt, consanguineis donent: quod tamen argumentum non satis probat, cum de rebus ad Ecclesias pertinentibus, verba relata intelligi possunt. A fortiori porro eroganda ecclesiast. bona in specie et in pios usus et pauperes si iam ab initio sunt destinata.

Unde solvi videtur quaestio circa quam *D'Annib. heic v. 3. n. 87.* « De solo peculio ecclesiastico Clericis disponere non licet, sed necesse habent illud in pias causas erogare. Quid si aliquid de eo nihilominus disposuerint, iustitiam ne an religionem laedunt? adeoque est ne restitutioni obnoxius et qui dat, et qui accipit? Quaestio insignis, perdifficilis, salebrosa, in qua tanta est opinionum varietas et argumentorum conflictus ut explicari vix possit absque ingenti volumine ».

Nota. De Censibus, Exactionibus, Procurationibus *cf. l. 1. tit. De Episc.*

TITULUS XXI.

DE BENEFICIIS.

NATURA, SPECIES BENEFICIORUM.

Summarium. — Beneficiorum *a*) **origine breviter indicata,** *b*) **eorum natura** *c*) **et divisiones paucis exhibentur.**

335. *Decl. 1. p.* **Historia.** Primis Ecclesiae temporibus regulariter nonnisi mobilibus rebus uti licuit tum propter frequentes RR. Imperatorum insectationes, tum propter civiles leges, quae plerumque immobilia aut comparare, aut comparata retinere non patiebantur: at reddita per Constantinum M. Ecclesiae pace, huic plura immobilia sunt acquisita. Haec porro

sive mobilia sive immobilia ab Ecclesiis possessa sub Episcoporum administratione erant, a quibus synodo provinciali ratio esset reddenda. Modus autem administrationis hic ferme erat 1. ut omnia bona et emolumenta communia forent pro Clericis alendis, rerum sacrarum exercitio et pauperibus sublevandis. 2. Ex communi matricis Ecclesiae aerario quotidie, aut in hebdomadas, aut in mensem, portio mitteretur ad Clericos, qui regebant Ecclesias per civitatem vel dioecesim constitutas, quantum cuique congruum fuisset. Tum in Ecclesiis praesertim Occidentis in quatuor partes reditus omnes dividi coepti sunt: quarum una Episcopo, altera Clericis, tertia pauperibus, quarta fabricae esset. Simplicius Pontifex R. *can. De redditibus 28. Ca. 12. q. 2, Gelasius c. Quatuor ibid. et Gregor. c. Cognovimus ibid.* 3. statuunt quoque ut Episcopus in hac administratione uteretur Archidiacono et Oeconomo, qui Episcopo rationem redderent; 4. quod si gravior accideret casus e. g. bona vendendi ad captivos redimendos, totius Cleri consilium adhiberetur; 5. quamvis semper severissime vetitum esset, ne possessiones Ecclesiae alienarentur. At 6. saeculo V° vertente, necessitas fidelium et praeclare gestorum remuneratio in rusticanis pagis primum, tum in urbibus augescente fidelium numero, quantitate bonorum, Clericorumque coetu, Ecclesiis et monasteriis, morem dandi possessiones certis benemerentibus Clericis vel ad certum tempus, vel ad eorum vitam perfruendas inducere coepit paullatim, ita tamen ut eiusmodi concessiones rarissimae ab initio, deinceps frequentius usurpatae non ob personalia Clericorum merita factae sint; sed ut Clerici, quibus praedia dabantur, officium spirituale exercerent in ea: 7. unde demum beneficia, uti modo obtinent, inducta sunt. Dixi uti modo obtinent, *in quibusdam* tamen *non in omnibus regionibus:* in *quibusdam* e. g. in Italia (1), ubi plus minusve

(1) I benefici ecclesiastici in Italia hanno subito una forte diminuzione per le inique leggi di soppressione ed indemaniamento dei beni della Chiesa.

Riportiamo le principali disposizioni delle leggi fondamentali nella materia. Abbiamo anzitutto la legge del 15 Agosto 1867 sulla liquidazione dell'asse ecclesiastico. Essa all'art. 1°. dispone:

« Non sono più riconosciuti come enti morali

« 1) I capitoli delle Chiese collegiate, le chiese ricettizie, le comunie

viget vera ratio beneficii; non *in omnibus,* quia pluribus in locis vel non est ecclesiastica hierarchia, aut si exsistat, omnia ad Clericorum substentationem requisita, fidelium oblationibus obtinentur: vel ob inita concordata ratio ecclesiasticae possessionis est immutata, suffecta beneficiis determinata pecuniae quantitate pro singulis ecclesiasticis officiis a civili gubernio solvendae.

336. *Decl. 2. p.* **Natura.** Definitur benef. *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae personae Ecclesiasticae competens propter officium spirituale, auctoritate Ecclesiastica constitutum.* Unde in quolibet beneficio habetur:

I. *canonica erectio* atque *collatio: erectio* quia nonnisi Romani Pontificis aut Episcopi auctoritate constitui potest beneficium, ab eo enim dependent ministeria ecclesiastica, quorum distributio fit in beneficiorum fundatione; *collatio,* quia

» e cappellanie corali, salvo per quelle tra esse che abbiano cura d'anime, » un solo beneficio curato od una quota curata di massa per congrua par- » rocchiale;

« 2) I canonicati, benefizi e le cappellanie di patronato regio e laicale » dei capitoli delle chiese cattedrali;

« 3) Le abbazie ed i priorati di natura abbaziale;

« 4) I benefizi, ai quali, per la loro fondazione, non sia annessa cura » d'anime attuale, o l'obbligazione principale permanente di coadiuvare il » parroco nell'esercizio della cura;

« 5) Le prelature e cappellanie ecclesiastiche e laicali;

« 6) Le istituzioni con carattere di perpetuità, che sotto qualsivoglia » denominazione o titolo sono generalmente qualificate, come fondazioni » o legati pii per oggetto di culto, quand'anche non erette in titolo ec- » clesiastico, ad eccezione delle fabbricerie, od opere destinate alla con- » servazione dei monumenti ed edifizi sacri che si conserveranno al culto ».

E l'art. 2 dispone: « Tutti i beni di qualunque specie appartenenti » agli anzidetti enti morali soppressi sono devoluti al Demanio dello » Stato..... »

E l'art. 6: « I canonicati delle Chiese cattedrali non saranno prov- » visti oltre al numero di dodici, compreso il beneficio parrocchiale e la » dignità od uffici capitolari ».

« Le cappellanie e gli altri benefizi di dette chiese non saranno prov- » visti oltre al numero di sei ».

« Quanto alle mense vescovili le rendite ed altre temporalità dei ve- » scovati rimasti o che si lasceranno vacanti, continueranno ad esser de- » volute agli Economati, i quali dovranno principalmente erogarle, come

ad Episcopum spectat tum clericos instituere, tum iis convenientem muneris eccl. partem assignare. Nisi autem superioris ecclesiastici interveniat auctoritas, quae et officium spirituale et locum, in quo debet exèrceri, et dotem, qua debet clericus beneficiarius substentari, vel constituat, vel approbet cum ab alio e. g. a patrono fuerit constituta, atque nisi publico instrumento de erectionis decreto haec omnia constent, beneficium *canonice* erectum dici nequit. II. *Personae ecclesiasticae* h. e. subiectum debet esse clericus, quia officium ecclesiasticum a laico obiri non potest. III. *Ius perpetuum,* quod ab altero separatum appellatur *praebenda:* quae perpetuitas verius intelligenda tum ex parte praebendae *semper* coniunctae cum spirituali officio, tum ex parte personae, quae scilicet usque ad mortem iure gaudeat percipiendi fructus: 1ª. perpetuitas seu officii *obiectiva,* alia seu ius percipiendi *subiectiva* dici potest Sive

» ogni altro provento, a migliorare le condizioni dei parrochi e sacerdoti » bisognosi, alle spese di culto e di restauro delle chiese povere e ad al- » tri usi di carità. . . . ».

Queste disposizioni colla posteriore legge del 19 Giugno 1873 furono estese anche alle provincie dell' ex-Stato Pontificio, ma si credette opportuno di apporvi le seguenti limitazioni per le sedi suburbicarie. Infatti nell'art. 16 di questa legge si dispone:

« Nella città di Roma e nelle sedi suburbicarie, il disposto dell'art. 1. » della legge del 15 Agosto 1867 avrà effetto solamente pei canonicati, » benefizi, cappellanie, abazie ed altre istituzioni ecclesiastiche di patronato » laicale.... ».

« Il primo e secondo paragrafo dell'art. 6 della detta legge del 15 » Agosto 1867 non saranno applicati nella città di Roma e nelle sedi su- » burbicarie ».

E nell'art. 21: « Rispetto agli Enti ecclesiastici compresi nelle dio- » cesi suburbicarie, ma aventi sede fuori della provincia di Roma, nulla » è innovato quanto agli effetti della legge del 15 Agosto 1867 ».

Numerose controversie sono nate nell'applicazione di queste leggi. Gli amministratori degli enti ecclesiastici non hanno tralasciato di difendersi avanti i tribunali civili: ma, com' era a prevedersi lo Stato ne è riuscito il più delle volte vittorioso. E quasi tutto ciò non bastasse da varî anni pare si stia preparando una legge, colla quale si pretenderebbe togliere agli enti ecclesiastici anche l'amministrazione dei beni che non sono stati indemaniati. Questa legge fu promessa nell'art. 18 della legge del 13 Maggio del 1874. Ne parleremo nel titolo *De administratione rerum ecclesiasticarum.*

denique ad vitam beneficiarii conferatur beneficium, ut in beneficiis saecularibus ad tempus legitimum et consuetum, ut plerumque in beneficiis regularibus, rite dici potest ius perpetuum et stabile etiam quia proprio nomine exercetur, et nequit ad libitum revocari. IV. *Propter officium spirituale* i. e. ad divinum cultum et ad ecclesiastica munia ordinatum, adeo ut, si desit ministerium seu officium spirituale, nullatenus beneficium dici valeat. V. Ius *percipiendi* fructus adnexos officio spirituali, sine quibus beneficium nequit intelligi: ratio enim est, ut praebenda detur propter officium; nam qui altari servit, de altari vivat necesse est. « Et sane, ait Ferrante heic, usque ad saeculum XI, nullum erat beneficium, cui adnexa non esset aliqua spiritualis administratio: at ab eo tempore cum forte vel ipsa rei necessitate vel clericorum desidia defecisset in pluribus beneficiis spiritualis muneris exercitium, remanentibus beneficiis reditibus et titulo, factum est ut officium illorum evaserit sola horarum canonicarum recitatio, quae est officium cunctis beneficiariis commune ».

Unde a beneficio differt *a*) *canonia* i. e. ius spirituale, quod provenit ex electione et receptione alicuius in fratrem, vel canonicum *c. 9. tit. de Praeb.* quod cum nullam fructuum participationem includat, non est verum beneficium: *b*) *vicariatus,* in quo vicarius gerit vices beneficiarii, nec habet titulum, cum in beneficio habeatur titulus, intitulatio, ius percipiendi et administrandi ipsum beneficium nomine proprio; vicariatus tamen perpetuus habetur ceu verum beneficium; *c*) *praestimonium* i. e. stipendium quod ab Ecclesiae reditibus abstractum dari solet canonicis aut clericis in vitae subsidium; *d*) a beneficio differunt quoque commenda, pensio, cappellania, quae quandonam aequiparentur beneficiis, patebit infra.

Inter elementa beneficii, *bona* seu fructus quos beneficiarius percipit, sunt aliquid temporale, officium est aliquid spirituale, ius est temporale spirituali adnexum. Porro etsi sine bonis beneficium constitui nequeat; tamen non ex his beneficium formaliter constat (licet interdum et iure et vulgo beneficia dicantur); sed ex officio et iure percipiendi reditus: utrum autem principaliter ex illo, ut TT. malunt, an vero ex isto, uti Canonistae praeoptant? verius ex hoc, seu, ut

P. Schmalzgr. verbis utar, hoc solum ius percipiendi reditus beneficium formaliter constituit, non prius officium: quippe quod est fundamentum illius et causa. Sane officia vetustissima sunt, beneficia vero fere a saec. VI. ex partitione bonorum introducta » (1).

SPECIES BENEFICIORUM.

337. *Decl. 3. p.* Distingui possunt beneficia I. *ratione personae* in *saeculare* quod clericis saecularibus h. e. nullam alicuius ordinis religiosi regulam professis conferri debet *c. 5.*

(1) Quaer. an Pensiones, quas civile Gubernium e. g. in Gallia et alibi solvit Episcopis, Canonicis et Parochis rationem habeant beneficii ecclesiastici? – *Resp. Affirmative* quoad Galliam et alias regiones ubi eadem prorsus reperitur conditio: nam 1) ex pacto inter Sedem Apostolicam et Gubernium substitutae sunt hae pensiones pro *reditibus bonorum ecclesiasticorum,* quae ea sub conditione fuerunt condonata ut provideretur de congrua Episcoporum et aliorum ministrorum substentatione. 2) Quae subrogantur naturam sequuntur eorum, quibus subrogantur. *Cf. Bouix De Capit. p. 177.* – 3) Cardinalis Caprara in decreto novae circumscriptionis dioeceseon 8. Apr. 1802, declarabat « singulis ecclesiis parochialibus erigendis pro congrua rectorum substentatione, eos redditus, qui, ut in conventione statutum est, adsignandi erunt, loco *dotationis* habituros fore ». 4) S. Poenit. 19 Ian. 1819 declaravit his bonis inhaerere strictam et canonicam obligationem expendendi *superflua* pauperibus seu piis causis, itemque obligationem *residendi* sub poena non faciendi fructus suos. Et iterum 9 Ian. 1823 respondit pensiones constitutas loco reddituum, quos beneficiarii antea percipiebant ex fundis seu loco suorum beneficiorum, censeri *reditus ecclesiasticos,* non quasi patrimoniales.

Onera quod attinet beneficiorum huc revocetur *a*) *in genere* ministerium altaris *c. 15 de Rescr. in 6;* et Recitatio Officii *Pius V. const. Ex proximo* V. *Declarantes* an. 1571, ita ut beneficiarius si post 6. menses ab obtento beneficio illud non recitaverit, legitimo impedimento cessante, fructus non faciat suos pro rata omissionis officii et temporis: et non suos perceptos in fabricam beneficii aut in pauperes erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia permanserit contumaciter, legitima monitione praecedente, beneficio ipso *privetur.* Conc. Lat. V. Sess. 9. – Restitutio autem fructuum debetur ante *sententiam iudicis etiam declaratoriam* iuxta damn. prop. 20 ab Alex. VII. Recitatio enim officii est *conditio sine qua non* potest beneficiarius adipisci fructus ex Later. l. c. – *b*) Onera *in specie* incumbunt ea, quae beneficio speciatim adnexa sunt *Conc. Trid. Sess. 25. c. 5. de R.:* de quibus sicut de residentia pro aliquibus beneficiariis, de obligatione erogandi in causas pias, *quae* aliquibus beneficiariis superflua sunt. . . . suo in loco.

de Praeb. in 6. et regulare quod regularibus dandum sit; utpote quod pro ipsorum disciplina institutum est e. g. Abbatiae, Prioratus, Commendae, canonicatus regularis et aliquando etiam Parochiae. Ut dignoscatur autem utrum saeculare an regulare sit, inspicienda est natura officii spiritualis, lex fundationis, vel aliae causae et adiuncta, quibus tale beneficium natum et vestitum est; fiunt enim *regularia* fundatione *arg. c. 28. de Elect.,* incorporatione *Clem. 2. de reb. Eccles. non alien.,* praescriptione legitima *c. 5. de Praeb. in 6,* seu 40. annorum.

II. *Ratione modi,* quo confertur, aliud est *collativum,* quod ad liberam ordinarii collatoris voluntatem conceditur, nulla scilicet praecedente electione, praesentatione vel alia nominatione; aliud *electivum,* quod ex rite facta electione confertur, scilicet quod per suffragia Capitularium, accedente postea Praelati seu superioris ecclesiastici confirmatione vel admissione obtinetur: aliud *Patronatum* quod ex praesentatione ab eo facta, cui tale ius competit, obtinetur: addita tamen Praelati institutione: in dubio praesumitur potius collativum.

III. *Ratione officiorum et onerum* 1°. alia sunt *maiora,* alia *minora* prout officium spirituale continetur in gradibus Hierarchiae episcopalis vel quasi episcopalis, quae proinde nomen habent Praelaturae simulque potestatem iurisdictionis in foro externo e. g. Papatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatiae nullius... (1) *Minora* audiunt, quae sunt iis inferiora, nec ullam iurisdictionem in foro externo, aut Praelaturae nomen

(1) Alii dicerent: sunt *maiora,* quibus haerent principes in Ecclesia gradus cum iurisdictione et cura animarum *c. 12. de conces. praeb.* habentur ut *minora* caetera omnia. Ad haec *erectio* fieri debet *a*) auctoritate legitima scil. Rom. Pontificis quoad beneficia maiora, *C. 1. Dist. 22.* et Episcopi quoad minora *arg. C. 9. Dist. 1. de Cons. b*) una cum titulo, cuius nomine venit non solum Ecclesia capella vel ara alicui Sancto dicata, in qua sub eiusdem sancti tutela et invocatione beneficium erigitur, sed et officium ipsum spirituale, quod in eadem Ecclesia vel cappella vel ara obiri debet: praeter dotem h. e. bona certa stabilia et frugifera, ex quibus rector beneficii annuos fructus percipiat. *c*) Erectionis porro Decretum fieri debet, quo superior ecclesiasticus beneficium ipsum in perpetuum titulum *ecclesiasticum erigit,* eique dotem applicat legesque et conditiones approbat, si quas fundator praescripserit.

habentia. 2°. Alia sunt *residentialia,* alia non *residentialia* scilicet beneficia, quae adsiduitatem i. e. residentiam seu continuam ut paroeciae, seu discontinuam ceu praebendae canonicales desiderant sive ex iure sive ex consuetudine sive ex tabulis fundationum, *residentialia* nuncupantur. Dixi *continuam,* quae scilicet nullis diebus aut horis interruptam (e. g. in beneficiis curatis), vel *discontinuam,* quae scilicet certis tantum diebus et horis, e. g. in choralibus praesentiam exigit. Residentia porro distinguitur *praecisa* seu praecise requisita, quae est respectu tituli et simpliciter obligatoria seu sub amissione et privatione tituli: *causativa,* quae non est simpliciter obligatoria, sed respectu fructuum tantum, ita ut licet ob non residentiam beneficiarius privetur fructibus, titulo tamen ipso beneficii privari non possit *cf. Leuren. For. benef. t. 2. q. 109.* Tandem 3°. alia *sunt duplicia,* quae nempe propter obligationem ceteris communem habent aliquid proprium; quo sub respectu canonicatus est beneficium simplex *Schm. t. de Praeb.* unde iuxta *Schmal.* communiter simplex est beneficium, quod nullam iurisdictionem curam animarum, vel administrationem vel specialem praeeminentiam sibi adnexam habet, sed ad solam adsistentiam in choro vel altaris servitium obligat: iuxta alios beneficia simplicia habent tantum onus privatae recitationis divini officii et forte aliquod aliud absque residentiae lege (1).

338. Simplicibus beneficiis *cappellaniae et cappellae adcenseri* solent. *Cappella* dicitur proprie eiusque praeses rector, si constituit corpus per se et sacram habet aediculam aut etiam Ecclesiam a parochiali seiunctam. Dicitur autem *Cappellania* eiusque rector *Cappellanus,* si est sacellum vel altare in aliqua

(1) Heic recenseri solet alia divisio *ratione retentionis:* sc. alia sunt *a*) *incompatibilia* quorum *natura* in eo est, ut plura simul retineri nequeant, eo *effectu* ut possessio secundi vacationem primi post duos menses pacificae possessionis inducat *Rot. in Asten. Canonicatus 4 Iun. 1745* coram Vicecom. *ea poena* ut ulterior retentio privationem utriusque ipso iure inferat *c. 28. de Praeb. Extr. 4. de Praeb. ~ Genus* complectitur benef. residentialia *Trid. Sess. 24. c. 17.* uniformia seu idem onus habentia in ead. Eccl. *Bened. XIV. Inst. 91. n. 7. - b*) Alia compatibilia, quae duo simul non plura *c. 19. de Praeb. in 6.* retineri possunt si unum vitae sustentationi non sufficiat *Trid. Sess. 24. c. 17. de R.*

Ecclesia. Si Episcopi auctoritate et institutione confertur in perpetuum, utraque perpetua dicitur et est verum beneficium, secus, si rector est ad nutum amovibilis, aut, si quamvis hic est perpetuus, desit tamen Episcopo institutio. Utriusque onus praecipuum in missis per se aut per alium celebrandis consistit: aliud onus, si quid est, praesertim residentiae ex fundatoris voluntate deprehenditur (1).

De Capellaniae erectione haec animadvertenda sunt 1. auctoritate legitima etiam tacita et interpretativa facienda; 2. ad certum altare sub invocatione alicuius Sancti; 3. ea conditione ut adsint omnia requisita beneficii; 4. ut constet de dote congrua, inspecta natura officii; 5. ut possint admitti conditiones etiam iuri communi contrariae, dummodo per se honestae et possibiles; 6. ut status beneficii et conditiones appositae variari nequeant post factam erectionem, nisi fundator sibi reservet. Videndum qua auctoritate, quibus conditionibus, quis effectus.

DE VACATIONE, COLLATIONE, POSSESSIONE BENEFICIORUM.

Summarium. — 1) Supposita beneficii vacatione 2) praeter collationem a legitima auctoritate subiecto nulla ad beneficia irregularitate laboranti factam, 3) requiritur possessio, quam quomodo, quis, sub quibus effectibus dare debeat breviter exponitur.

339. *Decl. 1. p.* **Vacatione** *supposita beneficii...* spectamunnunc beneficium non quoad elementa generatim inspecta quatenus constituant naturam seu essentiam, sed in individuo quatenus iure et actu habetur et simul officium exercetur.

(1) Duplex distinguitur: cappellania in genere est onus celebrandi annuatim missas ad certum altare a testatore vel alio institutore designatum cum iure recipiendi stipendium pro sustentatione Cappellani. *In specie* est alia *ecclesiastica,* quae sc. a Patrono proposita pro celebratione Missarum auctoritate episcopi erigitur in titulum ab eodem vel alio Praelato conferendum clerico apto ad celebrandum: alia *laicalis,* quae sine auctoritate episcopi a testatore vel alio instituta confertur ab illis vel eorum haeredibus aut aliis, sacerdoti, qui assumit onus celebrandi missas secundum intentionem fundatoris: illa collativa, haec electiva cappellania dicitur. *Cf. Suarez l. 4. de Hor. can.*

Porro, cum quis servato iure simul habet beneficium et exercet officium, beneficium ei adaequate constitutum esse intelligitur; atqui ad hoc 1. requiritur, ut actu ei conferatur: 2. atque huius beneficii ipse possessionem capiat: et 3. supponat ipsius beneficii vacationem, unde pauca de vacatione beneficii, collatione et possessione.

Rite concedi nequit beneficium, neque per liberam collationem, neque per institutionem, praevia praesentatione, nisi prius debito modo vacet. *Tit. 8. de Concess. praeb. et 9. Ne Sede vacante Trid. Sess. XXIV. c. 1. et 16. R.* Vacare beneficium potest tripliciter 1. *de facto tantum* quando habet quidem proprietarium, qui ius et titulum in beneficio obtinet, sed non possessorem, quia ille vel nondum adivit possessionem, vel ab ipso vi expulsus est, vel longo tempore abest a beneficio et nescitur ubi sit; 2. *de iure tantum,* si habeat quidem possessorem, caret tamen proprietario e. g. intrusus in beneficium quod nullus obtinet in titulum, vel privatus ipso iure ob delictum, illud de facto occupet et possessionem retineat: 3. *De iure et facto simul* si nec possessorem nec proprietarium habeat. Iamvero vacatio 1. est impropria et beneficium non vacare censetur; 2. est propria; 3. est propriissima et dicitur plena. Haec dicitur etiam *verà* ut distinguatur vacatio ficta, et sic dicitur *quasi vacantia* e. g. sedes impedita, quae tunc obtinet cum adhuc existit beneficiarius in suo titulo iure et possessione ab administrando beneficio suo diu impeditur propter amentiam vel eiusmodi, ut alter ceu administrator designetur. Porro I. beneficium vacans *de iure tantum* potest quidem conferri et promitti; et si possessio notorie iniusta non sit, haec concedi nequit, nisi prius vocato possessore et praevia cognitione an huic competat aliquod ius in beneficio *c. 28. de Praeb. in 6.* propter periculum, ne quis iniuste suo iure privetur, cui exponeretur prius non auditus. II. Concessio beneficii non vacantis vel *de facto tantum* vacantis est ipso iure nulla *c. 1. 2. 7. tit. de Concess. Praeb. et c. 4. de Donat.* Nec sufficit si beneficium interpretative vacet e. g. si beneficiatus sit solum excommunicatus, suspensus, ab hostibus captus... III. Imo et *promissio* beneficii nondum vacantis sive certi sive incerti, etsi iuramento aut scriptura firmata sit, nulla est, etsi collator, vel

patronus promiserit *c. 2. 3. 11. 13. de Concess. Praeb.* Trid. *Sess. 24. c. 19. de R.* gratias expectativas in materia beneficiorum sustulit *a*) ad avaritiam et ambitionem coercendam in iis praesertim, qui beneficia praemature inhiant, *b*) ita ut saepe saepius minus digni importunis atque intempestivis precibus, beneficia dignioribus praeripiant, *c*) ut evitetur ansa optandi captandique mortem alienam, scilicet possidentium actu beneficia. Tandem si iuramentum, cum heic repugnans sit ss. can. et in praeiudicium boni publici et privati cedat, non firmat, multo minus signatura firmare potest promissionem.

Plena beneficii vacatio accidit 1. *morte beneficiarii,* qui cum usufructuarius esset beneficii, huius ad haeredes fructus tantum percepti, aut nisi ius spolii obstet, usque ad obitum pendentes transeunt: 2. *translatione,* 3. *privatione beneficii* a legitimo superiore facta; quae duplex est *a*) privatio iuris, qua nempe ipso facto patrati alicuius criminis *gravioris* e. g. simoniae, homicidii, furti etc. beneficio quis privetur: *b*) privatio hominis, cum quis scilicet per sententiam iudicis, praeviis monitionibus, ob grave crimen illo careat: sed de his modis amittendi beneficium iam egimus *l. 1. tit. XIII,* sicut etiam *de 4°.* id est *resignatione seu renunciatione n. 193.*

340. *Decl. 2. p.* Praeter **collationem**.... Collatio heic a nobis sumitur *non pressius,* prout est unus ex modis acquirendae ecclesiasticae iurisdictionis, contradistinctus ab electione, postulatione, praesentatione seu institutione: de quibus iam diximus *l. 1. l. c.* sed latius *pro concessione* cuiuscumque beneficii: quae porro a superiore ecclesiastico facienda est in omni beneficio prout statuit *C. 1. de Reg. I. in 6.* « *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri* »; ubi institutio est *collatio generatim* accepta, sive *libera,* sive *necessaria,* sine qua scilicet qui sese ingerit in beneficium *intrusus* dicitur, atque omni iure privatur ipso facto, gravissimis statutis poenis *Cf. titt. de Instit. de Praeb. et Dign.* Hoc sensu ipsa Collatio est *concessio vacantis beneficii absolute et canonice facta ab eo, qui spirituali potestate gaudet, personae beneficii capaci.*

Cum autem collatio sic sumpta veniat *in cit. Reg. I. in 6.* nomine **Institutionis,** de hac ipsa pariter memoranda est tri-

plex species institutionis i. e. 1°. *collativa,* quae confert *titulum* in beneficio: et est vel *libera,* qua omne ius oritur *ad rem et in re* ut in beneficiis liberae collationis, ubi omnia ex ea habentur: vel *necessaria,* ut in praesentatione, quae dat *tantum ius ad rem;* 2°. **auctorizabilis,** qua clerico ad animarum curam promoto eadem committitur per Sacramentorum administrationem; 3°. *corporalis* seu *realis,* quae *investitura* dicitur, est ea, per quam clerico titulum seu *ius in re* iam legitime consecuto tribuitur ius apprehendendi possessionem corporalem et actualem beneficii, quaeque idem est ac immissio in possessionem, de qua mox (1).

A *legitima potestate* factam... scilicet superiore, quia in institutione *a) collativa* est is, a quo beneficium confertur quando collatio est *omnino libera:* quando vero est *necessaria,* tunc iure communi praeter R. Pontificem ad Episcopum spectat instituere et ad Vicarium Capitularem, sede vacante, quia res est pertinens ad iustitiam : quod ius competere potest etiam Praelatis inferioribus; *b)* in institutione *auctorizabili* est Episcopus, etsi in collativa sit alius; E. g. parochiae plene incorporatae monasterio collatio tituli fit a Praelato regulari, imo proprie loquendo parochus est ipse Praelatus substituens sibi Vicarium, qui sic ab eo constitutus debet ab Episcopo post regulare examen approbari edito de eiusdem idoneitate authentico testimonio.

(1) Huc paucis revoca quae alibi fusius pro canonica collatione scil. servandae sunt leges publicae, quae *a)* quoad ipsa beneficia sunt I. ut sint *vacantia c. 2. 11. 13. De Concess. praeb.;* II. ut si *sint parochialia* conferri debeant, si non sint iurispatronatus, ab Episcopo per concursum. *Trid. Sess. 24. C. 18. De R.;* si sint iurispatronatus *Laicorum,* ab Episcopo, ei tamen qui oblatus est, si facto experimento sine concursu; aut *Ecclesiasticorum,* ab Episcopo, ei tamen, qui ab iisdem inter approbatos in concursu ab Examinatoribus utpote dignior electus. *Trid. l. c.*

b) Quoad beneficiorum collatores sunt ut conferantur I. legitimo *tempore* seu intra sex menses a notitia vacationis *c. 5. de Conc. praeb.;* II. legitimo *modo* i. e. sine pretio *c. 8. et 9. de Simon.* et sine conditione *c. 9. § constituimus* et eod. *Ca. 1. q. 3. c. 4. 6. 8. de Pactis;* III. *Legitimae personae* seu digniori *c. un. ut eccl. benef. Trid. sess. 24. c. 1. et 18. de R.*

Servandae quoque sunt privatae leges sive *Fundatorum* arg. Clem. 2. de Relig. dom., sive *Ecclesiarum* c. 11. de Praeb.

Subiecto seu clerico nulla ad beneficium irregularitate laboranti; non debent enim concedi beneficia iis, qui sunt eorum incapaces, cuiusmodi sunt non modo, qui aliqua detinentur irregularitate ad ordines assequendos, sed etiam qui particulari ad beneficia irregularitate laborant. Unde pluribus ex causis ortae eiusmodi irregularitates sunt: praesertim 1. ex *defectu aetatis;* 2. ex *defectu* ecclesiastici *caelibatus;* clerici enim coniugati beneficia habere nequeunt, imo ob initum coniugium, quae forte possident, amittunt *ipso iure, c. 2. de Cler. coni.;* 3. *ex defectu ordinis,* qui ex alias dictis quandoque requiritur praeter tonsuram, quae semper postulatur. Vidimus enim repelli ob defectum ordinis si beneficio adnexus utcumque est ordo sacer, *si quidem actu,* qui eo caret; sin aptitudine, qui illum infra annum suscipere ex iure non potest. *Trid. sess. 22. de R. c. 4. c. 5. de aet. et qual. praef.* quia nec iuri nec voluntati fundatoris derogare fas est *Trid. sess. XXV. de R. c. 5;* 4°. *ex defectu scientiae* ad rite officium adimplendum necessariae; 5°. *ex censuris,* quibus aliquis sit irretitus; 6°. ex *defectu famae* seu propter notoriam vitae improbitatem; 7°. *ex peculiari ecclesiastica lege,* qua filius quamvis legitimus beneficium a patre possessum immediate nequit habere, ne quasi haereditario iure beneficia possideri videantur: illegitimi autem nequeunt in Ecclesia, ubi eorum patres aliquod beneficium ecclesiasticum habent, vel habuerunt, obtinere quodcumque vel dissimile beneficium: ut incontinentiae paternae memoria a locis Deo consecratis quam longissime removeatur. Praeter negativam legem, quod scilicet subiectum nullo canonico detineatur impedimento, est alia lex negativa quod sc. beneficia non impetret nec vi; nec metu *c. 18. de Praeb. in 6°;* nec obreptione *c. 22. de Filiis presbyt. in 6. Clem. 2. de Praeb.;* nec subreptione *c. 42. de Rescr.*

341. *Decl. et prob. p. 3.* Requiritur **possessio**. *Possessio beneficii est eius detentio cum affectu exercendi illius officium tenendique proprio nomine bona* (1). Dicitur cum *affectu...* proprio

(1) Aliis verbis: Possessio est actus, quo post *collationem* quis in exercitium iuris beneficii fruendi solemni modo immittitur: cuius **apprehensio** fit per se, vel per procuratorem *c. 24. de praeb.;* **traditio** fit per Collatorem *arg. l. 20. ff. de acquir. rer. dom.,* vel per eius delegatum *arg. c. 68.*

nomine etc. ut possessio proprie distinguatur a materiali detentione rei: et tenere latius patet quam possidere: nam is etiam tenet, qui sine iudicio, voluntate neque affectione et voluntate sibi tenendi tenet, e. g. furiosus, amens plura tenent, sed non possident. Iamvero missio in possessionem et ipsa possessio est necessaria ad beneficium adaequate constituendum; quia collatio ius quidem tribuit capiendae possessionis beneficii, sed nemo potest id de auctoritate propria *c. 18. de Praeb. in 6. et c. 19. de Privileg. Cf. Schmalzgrueber in t. de Praeb. 62. 63. 64.* Quod si quis propria auctoritate capiet, poenam incurrit *temeritatis,* propter quam ipso iure amittit quoad titulum beneficii omne ius, quod ante ipsi in eo competebat, posito quod priorem beneficiarium, qui adhuc possessionem beneficii a se amissi continuaret, vi illata ex illa depulerit; si vero nulla intervenerit vis, poena arbitraria a iudice puniendus *Schm. l. c. n. 65.* Hinc si Pontifex facultatem dederit adeundi auctoritate propria possessionem beneficii, quod contulit: haec nonnisi vacua apprehendi potest, si quidem ad praedonem etiam possessione pellendum, auctoritate iudicis opus est, cum nemo iudex esse possit in causa propria.

Quando autem et quomodo possessio sumi debeat? Resp. Ius percipiendi fructus i. e. praebenda, res materialis datur propter officium exercendum, quod intime tamquam causa vel potius tamquam principale cum suo accessorio illi rei connectitur. Unde patet I. haberi possessionem totius beneficii *statim ac quis apprehendit possessionem officii,* quia officium est prin-

de Reg. Iur. in 6. - **Conditio** *a*) in *genere* est ut symbolici adhibeantur ritus, ut in *Canonicis* traditio libri vel stalli etc. *Ventriglia* tom. 2. adn. 9. *b*) In *specie* quoad canonicos Eccl. Cathedr. et obtinentes benefic. curatum est *Fidei professio,* quae fieri debet 1. per semetipsum S. C. C. in Calaguritana 12 Sept. 1896; 2. coram legitimis personis: quae sunt in beneficiis curatis Episcopus eiusque Vicarius; in canonicatibus tum Episcopus eiusve Vicarius, tum Capitulum *Trid. Sess. 24. c. 12. de R. Bened. XIV. Inst. 6.* 3. Legitimo tempore i. e. saltem post duos menses a capta professione; ita ut omissio facultatem adimat faciendi fructus suos. - **Effectus** possessionis est I. *initio* facultas faciendi fructus suos *arg. l. 20. C. de pactis;* II. *post annum* Ius certum in *possessorio:* III. post triennium liberatio a quibusvis molestiis etiam in *petitorio,* (salva exceptione Simoniae) si possessio pacifica fuerit. *Reg. Cancel. 35, 36.*

cipale, ius vero illud est effectus naturalis: II. *si spectetur forma* seu modus immittendi in possessionem, hic varius est pro variis locis... Signa usu recepta habentur, quae actus quidam sunt seu potius symbola spiritualis officii non praebendae: ut in tradenda possessione canonicis datur liber, beneficiariis tintinnabulum, parochis ingressus in Ecclesiam: III. vere beneficium possideri ab eo, qui legitime officium exercet, etsi praebenda contra ius expolietur « *Quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi* » *R. Iur. 64.* « *Non praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum* ». *Reg. Iur. 52.* IV. Apprehensa dignitatis vel alterius beneficii possessione etiam rerum ac iurium ad hoc spectantium possessionem comparari; si quidem illa vacent, eaque non obtineat alius: Ratio est, quia iure et consuetudine receptum est, ut possessione unius rei vel iuris adita, reliquarum quoque quae connexae sunt, aut inde dependent, apprehensio facta esse censeatur. *Schmalzgr. l. c. n. 56. seq.*

342. Possessionem 1. **dare debet** beneficii collator, vel eius delegatus, qui debet esse Clericus, vel Notarius apostolicus vel ab Episcopo creatus: 2. is debet exprimere, cuius auctoritate id agat: 3. se abstinere debet a iudicando num dignus sit Clericus beneficio, nisi id ei commissum fuerit: 4. quod si eo primum tempore publicetur aliquod certum impedimentum seu irregularitas Clerici, dum rem totam ad collatorem deferat, dare possessionem prudenter differet. Datur autem possessio vel ipsi clerico praesenti, vel alteri speciale illius mandatum praeseferenti: nam sine speciali mandato nequit a procuratore fieri iuramentum e. g. obedientiae suo Episcopo, quod parochus, vel se instituta Capituli observaturum, quod canonicus praestare solet antequam beneficiarius in possessionem mittatur.

343. Effectus possessionis potissimi sunt: *a*) per possessionem beneficiarius potest percipere fructus beneficii, atque ei adnexae iurisdictionis actus exercere (cum antequam eam acquirat beneficiatus nequeat fructus percipere, aut exercere iurisdictionem adnexam); paucis casibus exceptis. *b*) Quoniam melior est conditio possidentis, in dubio ex duabus collationibus occurrentibus utra prior sit tempore, praefertur quae

iam est cum possessione coniuncta. *c*) Insuper ex beneficiis liberae collationis possessionem datam a Collatore aequivalere collationi; Possessorem beneficii liberum esse ab onere probandi. Possessionem cum titulo iusto et bona fide ius tribuere percipiendi fructus beneficii.

344. Effectus speciales continentur *Cancell. reg. 35. et 36.* **Iuxta reg. 35. de annali possessione** hic effectus est, ut ubi Clericus anno possederit, si quis idem beneficium uti vacans seu non rite collatum impetrare voluerit, 1) is omnino debeat nomen et gradum possessionis aperire; 2) et causam certam proferre, ob quam contendit beneficium ab eo retineri non posse; 3) intra sex menses possessorem in iudicio vocare, causamque intra alios sex menses prosequi. Interea vero possessor in sua possessione manet.

Iuxta reg. 36. Cancell. effectus **ex triennali possessione est**: *a*) ut beneficiarius tutus sit omnino *b*) tum in foro conscientiae, tum in foro externo in sua possessione; *c*) quamvis collatio irrita fuerit: *a*) Ut tutus sit in sua possessione ita ut amplius in ius vocari et possessione exturbari nequeat; haec enim possessio in re beneficiaria vi *reg. 36. Canc.* obtinet quod quadragenariae praescriptionis vice fungi videatur. Cf. *Molin. de Ius. et iur. t. 2. disp. 80. Lugo de Iust. et Iur. VIII. 104. et al.* *b*) In foro conscientiae, uti externo, id probabilius. Cf. Reiff. *in C. 1. de Reg. Iur. in 6. n. 26. Lugo l. c. n. 106. Sanchez de Dec. d. 25.* *c*) Quamvis collatio irrita fuerit, *sive* 1) ex parte collatoris e. g. si collatio ad ipsum non pertineret et Episcopus contulerit beneficium superiori iam devolutum *Rigant. ad Reg. Canc. et 36. n. 109.* vel reservatum cum clausula irritandi (v. g. quod vacaverat in mense apostolico aut perpetuo e. g. 1ª. dignitas Ecclesiae Cathedralis) vel si ipse conferre prohibebatur e. g. quia excommunicatus, suspensus... *sive* 2) *ex parte beneficiati,* si forte inhabilis beneficio recipiendo e. g. quia illegitimus, apostata, aetate carens vel ordine actu requisito... *sive* 3) ex ipsa collatione forte minus canonica *Reiff. in R. 1. in 6. n. 25.* e. g. si facta fuit sub conditione, vel modo, vel die. Liquet finem et naturam regulae esse tum lites circa beneficia, quoad fieri potest, excludere, tum ipsos beneficiarios tutos reddere: unde latissime accipienda est. Hinc sequitur regulam

habere locum in quibuslibet beneficiis ecclesiasticis etiam litigiosis, et patronatis e. g. si beneficium iuris patronatus tibi collatum fuerit uti liberum... at non in *manualibus,* quippe quae *Cancellariae regulis* eximantur *Rigan. 194... Apostolica vel ordinaria collatione* i. e. facta ab eo, penes quem est potestas ordinaria conferendi beneficia, ex iure aut ex privilegio, ex statutis vel consuetudine *ex c. 7. de Praeb.;* illa enim pro lege locorum sunt; haec pro lege non immerito custoditur.

A favore triennalis possessionis **excipiuntur** *ingredientes simoniace et intrusi in Papae reservatum.* Est qui addit intrusos in beneficia parochialia contra vel praeter formam tridentinam collata. Cf. *D'Annib. summ. Th. mor. heic.* Dixi *ingredientes simoniace:* ergo non oberit simonia vel postea commissa, vel ab alio, se inscio, imo nec a se, nisi fuerit realis, et utrinque completa. *Intrusus* heic est, qui collato sibi beneficio (quia alias reiicitur ex defectu tituli), sed litteris apostolicis nondum expeditis, beneficii possessionem ingreditur, et non quivis intrusus *Reiff. in t. de Praeb. 514*: reservata intellige de beneficiis vacatis in Curia per obitum, non alias, nec aliter *Rigant. heic n. 136.*

Conditiones vero *sine quibus non* habetur effectus sunt 1. *titulus coloratus* et 2. *possessio triennalis.* 1°. *Titulus coloratus.* Titulus est collatio seu institutio facta potestate apostolica vel ordinaria: ideo non prodest eis, qui vel nullum titulum habent, vel ab alio habent velut a Vicario Capitulari, a Nuntio Apostolico, vel eum habent, qui postea recidit in non titulum i. e. postea iure ademptum e. g. si beneficii renunciationem non publicaverit et tamen in sua possessione remanserit, vel ob non susceptum ordinem, suo tempore non dimisit. 2°. *Possessio triennalis* h. e. I. *non vitiosa,* si eam non ceperit vi *Rigant n. 148;* II. *pacifica,* si nullam toto triennio controversiam sive in possessorio sive in petitorio passus fuerit quoad ipsam vel fructus, neque in iure neque extra ius: coeterum non obest controversia iudicialis, si adversarius liti renunciaverit aut eam deseruerit: nec si lis mota fuerit post annum vel coram iudice incompetenti. III. *Continua*: tamen interrupta naturaliter denuo inchoari potest: civilis interruptio non obest, si adversarius causa ceciderit. IV. *Completa* ita, ut nulla

desit dies triennio: beneficiatus tamen uti poterit accessione possessionis eius, a quo per renunciationem vel permutationem beneficium accepit.

Duo adhuc notanda: 1. Triennalis possessio satis probatur, si ostendatur aliquem initio triennii et in fine possedisse: Nam possessio perseverasse praesumitur. 2. Triennalis possessio censetur habere virtutem legitimae praescriptionis, imo iuxta *Rigant n. 1–4.* est modus quidam legitimae praescriptionis, sed videtur deficere a vera praescriptione, quia iuxta plures non requiritur bona fides.

345. Tandem ad beneficii possessionem a quibusdam beneficiatis emittenda est fidei professio, exigenda iuxta *Trid. Sess. 24. c. 12. de R. a)* intra duos menses ab adepta possessione ne fructibus iam perceptis priventur, et in posterum eos nequeant percipere, *b)* quaeque intra hoc tempus emitti debet ab iis, qui provisi sunt de beneficio curato, vel de canonicatu aut dignitate in Ecclesia Cathedrali: in aliis autem beneficiis particulari lege vel consuetudine postulari posset. *Pius IV. Const. Iniunctum 13. Nov. 1564.*

DE PROHIBITA BENEFICIORUM MULTIPLICITATE.

Summarium. – Pro conservatione beneficii adaequate sumpti, 1) multiplicitas beneficiorum in una eademque persona merito ab Ecclesia prohibetur ratione congruae substentationis, spiritualis ministerii, et residentiae: 2) unde distinctio in beneficia compatibilia, et incompatibilia; 3) et haec ipso iure vel per sententiam iudicis: 4) a qua prohibitae multiplicitatis lege ex iusta causa quandoque dispensat Ecclesia.

346. *Decl. 1. p.* Statutae sunt ab Ecclesia leges non modo pro constituendis, sed et pro conservandis beneficiis adaequate sumptis. Ad conservanda lex generalis est *tit. XII. l. III.* « *Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur* » contra quam est generatim beneficii 1. unio, 2. divisio, 3. administratio, 4. suppressio, 5. fructuum reservatio, 6. et pensionis impositio. Ast etiam contra hanc legem fit nimia beneficiorum multitudo in una eademque persona: quia cum benefi-

cium ordinetur ad officium, hoc negligentius pertractaretur si multiplex incumberet uni eidemque personae. Unde ipsa rei natura dictante, generatim vetuit Ecclesia beneficiorum multitudinem.

Ad coercendam Clericorum avaritiam opus fuit prohibere, ne Clerici duabus Ecclesiis conscriberentur etiam in antiqua Ecclesiae disciplina; cum nemo poterat ordinari, nisi certae Ecclesiae statim adscriberetur et huic uni serviret, non diversis: neque id facile impetrasset, quia locus alteri defuisset ad ordines, si unus duabus Ecclesiis ministraret: atque id tandem frustra fecisset, cum ab una vel altera Ecclesia percipere licebat quantum satis esset substentationi honestae. Cum autem beneficia ab ordinatione seiungi coepta sunt, et simplicia inoleverunt, cumque praesertim Antistites saec. IX. sentire coeperunt posse Clericum officia curatis etiam beneficiis adnexa per alium adimplere, tunc maxime necessariae fuerunt leges hanc vetantes multitudinem, quales ediderunt *Conc. Later. III. IV. et Trident.* 1°. ut nemo possit habere duo beneficia quorum utrumque residentiam servitiumque personale requirit, quaeque audiunt beneficia *incompatibilia:* 2°. ut iusta de causa et certis limitibus possit una persona vel cum uno incompatibili habere beneficia simplicia, quae residentiam ac personale servitium non requirunt, dicta proinde *compatibilia.*

Merito dicimus **multiplicitatem** prohiberi. Beneficium proprie et adaequate spectatum est verum spirituale officium, cui adnectitur ius perpetuum recipiendi fructus ex bonis Ecclesiae; atqui officium exigit ministerium spirituale, quod plerumque residentiam requirit; et ius percipiendi fructus datur tantum ad sufficientem substentationem. Ergo cum per se pluralitas beneficiorum obsit ministerio spirituali et residentiae superetque congruam substentationem, merito prohibetur: 1°. **ratione congruae substentationis:** quae supponitur singulis inesse beneficiis. Nam tum antiquitus, cum ordinationi (qua Clerici uni Ecclesiae adscripti erant) collatio beneficiorum cohaesit, tum etiam nunc beneficia sunt titulus legitimus recipiendae ordinationis ac proinde sufficiens substentationis. *Trid. Sess. 24. c. 17.* prohibetur beneficia ad congruam substentationem sufficientia eidem conferri personae; quia eiusmodi

pluralitas praebet ansam dissolutionis in moribus, oritur ex ambitione vel avaritia, minuit cultum divinum atque Ecclesiae servitium, aliisque indigentibus Clericis subtrahit beneficia quae ipsis debentur: 2°. **ratione spiritualis ministerii,** eo potissimum quod, si animarum curam adnexam habeat, vel unum beneficium omnem beneficiati curam et sollicitudinem deposcat; adeo ut magnis praesertim paroeciis gravis parochis et Episcopis obligatio insit coadiutores et vicarios habendi: 3°. **ratione residentiae** quae in beneficiis proprie dictis *simul* postulatur: scilicet beneficia quae perpetuam ac continuam residentiam personalem exigunt: ergo merito pluralitas prohibetur.

347. *Decl. 2. p.* Ex dictis patet descendere **distinctionem compatibilium vel incompatibilium** beneficiorum quatenus ab eadem persona simul haberi queant vel non: atque incompatibilia fiunt ratione *residentiae,* uniformitatis et consistentiae, atque sufficientiae unius ad congruam substentationem. 1°. *Ratione residentiae* modo residentia sit praecisa et revera adsidua (continua); nam discontinua non impedit duo simul habere beneficia modo et utriusque officii diversis temporibus satisfacere per se possit et beneficia duplicia non sint. Unde sic incompatibilia sunt *a*) duo diversi Episcopatus, vel duae Abatiae, duo canonicatus in diversis Ecclesiis vel duae paroeciae; *b*) duo beneficia etiam simplicia in diversis Ecclesiis, si per accidens ex aliqua peculiari lege residentiam exigant. 2°. *Ratione uniformitatis et coexistentiae* ita ut iisdem benef. adnexa sint *a*) eadem officia, *b*) eodem tempore, *c*) in eadem Ecclesia obeunda. Nomine Ecclesiae veniunt partes contiguae illi, quae, polluta Ecclesia, polluuntur e. g. Cappellae, sacristia, coemeterium. Haec beneficia incompatibilia sunt iure canonico ne numerus ministrorum atque Ecclesiae servitium minuatur. *Ex c. 3. de Cler. non resid. Extrav. et de Praebend. inter Comm.* si vel unum ex tribus recensitis uniformitatis elementis desit, iam ex hoc capite non sunt incompatibilia. 3°. *Ratione sufficientiae* relate ad congruam substentationem *a*) si unum sufficit, iam per se aliud ex dictis haberi nequit: *b*) si non sufficit, etsi quis ex suis bonis aut aliis Ecclesiae reditibus habeat, potest ei uniri alterum beneficium simplex: *c*) at coniungi non potest ter-

tium, etsi duo priora sufficientia non sint, et tunc alia ratione providendum.

348. *Decl. 3. p.* **Incompatibilia ipso iure** seu 1^{i}. generis dicuntur duo vel plura beneficia, quae inter se ita pugnant, ut ipso iure disponente unum excludat alterum et obtento 2°. vacet hoc ipso 1^{m}. ante quamlibet resignationem; cuiusmodi sunt *a*) beneficia habentia adnexam curam animarum, dignitatem, personatum, officium licet sint sub diverso titulo, si sint in diversis Ecclesiis: *b*) beneficia uniformia sub eodem tecto, nimirum fere omnia, quae de se et ex natura sua incompatibilia sunt.

Incompatibilia ex sententia iudicis, seu 2^{i}. generis sunt, quorum prius non vacat ipso iure, sed quia retineri simul nequeunt, et postquam alterutrum quis elegerit, altero privatur sententia iudicis. Ad hoc genus pertinent omnia beneficia residentiae obnoxia, sed nullam curam animarum... dignitatem, personatum... habentia, neque uniformia sub eodem tecto e. g. duo canonicatus in diversis Ecclesiis. Iuvat efferre genus iuxta Pichler *heic n. 10.* obtento *plene* quocumque benef. altero incompatibili 1^{i}. generis, regulariter statim ipso iure vacat primum quoad titulum, ut si quis primum cum altero retinere vellet, ipso iure vacaret etiam alterum quoad titulum; ipse vero fit inhabilis quoad omnia beneficia et ordines recipiendos. Probatur *a*) *ex Trid. Sess. 7. c. 4. de R. b*) *Extrav. Io. XXII. h. t.* Tandem beneficia simplicia neque residentiam, neque personale servitium exigentia, non sunt incompatibilia, nisi ex turpis lucri cupiditate, quae removeri debet. Hinc si quis quodcumque beneficium sufficiens habeat, aliud utut simplex etsi patronatum ceu incompatibile, si non ex consuetudine, saltem ex iure habetur, adeo ut opus sit apostolica dispensatione.

349. *Decl. 4. p.* De plenitudine potestatis R. Pontifex ab hac lege **dispensare** potest *c. 1. et 28. h. t.,* tamen ex iusta causa: quae est 1°. necessitas Ecclesiae, si pro singulis beneficiis non reperiantur idonei ministri, ut accidit in locis haereticorum; 2°. utilitas Ecclesiae, non beneficiarii, si scilicet unus plus prodesse credatur fidelibus sua prudentia, industria, potentia e. g. Episcopi Germaniae dispensantur ut duos vel tres habeant Episcopatus, cum ibi expediat Episcopos esse magnae

auctoritatis et potentiae; 3°. praeclara merita, quae est aut generis claritas attendenda solum in filiis regum; *Extrav. Io. XXII Execrabilis,* aut eximia ss. disciplinarum scientia, quae decori et emolumento sint Reipublicae ecclesiasticae: *c. 28 de Praebendis.*

DE UNIONE ET DISIUNCTIONE BENEFICIORUM.

Summarium. — Unionis 1) realis tribus modis breviter explicatis, 2) recensentur conditiones, quibus illa fieri possit, 3) tandem uti appendix incorporationis species adduntur.

350. *Decl. 1. p.* Praemittenda est definitio et partitio. Itaque « *unio beneficiorum est plurium Ecclesiarum vel beneficiorum coniunctio rite iusteque facta per legitimum superiorem* ». Dividitur autem in perpetuam seu realem et in temporaneam seu personalem. *Perpetua* est, cum duo beneficia uniuntur et annectuntur in perpetuum ob Ecclesiae bonum: *temporanea* est, cum duo beneficia ad vitam beneficiarii in eius favorem uniuntur, quae potius dispensatio, quam proprie dicta unio censetur; et in dubio praesumitur esse perpetua si exprimitur 1. *ut duret perpetuum,* 2. ad perpetuam rei memoriam ad beneplacitum Sedis Apost., 3. si fiat in contemplatione Ecclesiae, quae nunquam moritur.

Generatim unio est contra ius commune, quia nisi habeat iustam evidentis utilitatis aut necessitatis causam, atque a legitima auctoritate fiat, per se adversatur regulae Iur. « *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur* » et alteri axiomati « *singula singulis beneficia conferantur* ». Ceterum cum unio praesertim personalis sit quoddam pallium, ut clericus possit impune retinere duo beneficia incompatibilia, merito a Conc. Trid. proscripta est.

Realis unio tribus modis fieri potest. Praemitto Ecclesias omnes et beneficia separari inter se et distingui a titulo; cum nulla sit Ecclesia nullumque beneficium titulo carens, et sic dicitur Ecclesia Albanensis, Praenestina, beneficium s. Ioan., beneficium s. Antonii. Modi porro dictae unionis sunt 1. per aequalitatem, *unio aequalis,* coniunctiva aut conservativa, vel aeque principaliter; 2. per subiectionem, per accessionem hinc

dicitur *unio subiectiva vel accessoria;* 3. per *unionem suppressivam.* Porro 1°) quamvis communiter unio realis beneficiorum dicatur fieri tripliciter I. aeque principaliter per unionem socialem; II. accessorie per unionem subiectivam; III. totaliter per unionem suppressivam: 2°) liquet tamen unionem aeque principalem aliquo sensu personalem esse: I. aeque principalis unio appellatur, cum duo beneficia simul connectuntur ut unicum perpetuum debeant habere rectorem atque utrumque beneficium suum retineat titulum, immutata etiam et distincta sua iura, privilegia, onera et bona, quae solum coalescunt in unam personam. Haec unio solet habere locum in beneficiis maioribus, cum e. g. duo Episcopatus sub uno constituuntur Episcopo: sic unitae sunt Ecclesiae Cathedrales Nepesina et Sutrina; Viterbiensis et Tuscanensis, quarum praeses dicitur Episcopus Nepesinus et Sutrinus, Viterb.....; aut Episcopatus et monasterium uni adiiciuntur Episcopo, qui sit simul Episcopus et Abbas. II. *Subiectiva* vel *accessoria unio* est, cum unum beneficium aut Ecclesia alteri connectitur tamquam pars principali eidemque subiicitur quasi superiori v. g. parochia canonicatui, Abbatiae praelatura; quo casu unum fit superius et principale, alterum inferius et accessorium; hinc nequit hoc modo uniri dignius minus digno e. g. parochiale Cappellaniae, quia est unio servilis, filialis, subiectiva: unde subiectiva unio duarum aliarum unionum aliquid habet; quia beneficium sic unitum in naturam principalis transit uti pars, et tamen non alteratur status Ecclesiae unitae atque in ea per Vicarium more solito deserviri oportet. III. *Unio suppressiva* seu *extinctiva* est, quando non solum e. g. beneficiorum unum supprimitur i. e. eius titulus omnino extinguitur, bona vero et nonnulla forte eiusdem onera alteri beneficio addicuntur; sed etiam cum ex duobus vel pluribus unum conflatur, in quo utriusque extincti beneficii praecipua iura et obligationes, quae simul consistere possunt, coalescunt unientis arbitrio: unde haec unio *confusio* quoque appellatur; atque haec dicitur suppressiva quoniam beneficii suppressio magis est, quam unio. Ex dictis patet *unionem aeque principalem esse aliquo modo personalem:* in reali enim duo in unum beneficium aliquo pacto coalescunt; in personali duo beneficia di-

visa uni personae conferuntur; quod obtinet et in unione aeque principali; sic duae vel plures Cathedrales Ecclesiae uni Episcopo conferuntur, quarum unaquaeque suum habet Capitulum, Seminarium, Vicarium gener. et sede vacante Vicarium Capitularem; itemque omnia sua retinet iura, privilegia, onera. Ast quamvis unio haec fiat in persona, sub quo respectu personalis dici queat, non fit tamen intuitu *personae,* sed ob aliquam causam, quae in bonum Ecclesiae refunditur. Romanus Pontifex permanenti quodam modo unit has Ecclesias vel beneficia.

351. *Decl. 2. p.* **Conditiones** *requisitae* sunt 1ª. ut fiat ex *iusta causa,* ita ut invalide fiat ab Episcopo quando non adest iusta causa et non praecedit cognitio de veritate causae: *a*) *ex Trid. Sess. 7. c. 6. de R. b*) *c. 13. 30. et 32. de Praeb. et in Clem.* **Necessitatis** evidentis causa esset e. g. si fructus duorum beneficiorum ita imminuti forent, ut amplius duobus parochis sustentandis non sufficerent. *Arg. Clemen. Ad haec de statu mon.* Si numerus parochianorum ad decem mancipia tantum pervenerit *c. 3. Ca. 10. q. 3.* Si Ecclesia per hostes devastata sit *c. 2. de relig. dom.* Si populus bello aut peste imminutus sit, si status Ecclesiae talis est, ut in ea disciplina non amplius servetur *arg. c. 7. Ne Clerici vel Mon.* Evidentis **utilitatis** causa esset e. g. si Clerici idonei non reperirentur, qui vellent beneficio deservire *Pirhing de Praeb.,* si cultus divinus non notabiliter et manifeste augeatur. Conditio 2ª. est *auctoritas legitimi superioris.* Praeter R. Pontificem *a*) relate ad universae Ecclesiae beneficia, praesertim Cathedrales Ecclesias et beneficia concistorialia, quorum unio ipsius R. Pontificis ius est exclusivum; regulariter potest unire omnia beneficia suae dioecesis *b*) Episcopus: et *c*) Capitulum sede vacante: sed non *d*) mensae suae vel capituli: *e*) aut in praeiudicium tertii... Conditio 3ª. est ut *serventur solemnitates*: nempe ut rite et valide fiat unio requiritur 1. consensus capituli in unum congregati et praevio tractatu causam discutientis: 2. Patroni si patronatum, collatoris si collativum sit beneficium. Tum saltem audiendi sunt parochiani si beneficium sit parochiale, Rector beneficii, vel si vacet, defensor *Clem. 2; Trid. Sess. 24.*

c. 5. et sess. 7. c. 6. Unde patet quod unio debeat esse prudens, legitima, solemnis, compatibilis.

Inde sequitur Episcopum 1°. unire non posse parochiam monasterio aut dignitati, *Trid. Sess. 24. c. 13;* 2°. beneficia libera beneficiis iuripatronatus subiectis; 3°. beneficium unius dioecesis cum beneficio alterius dioecesis; 4°. beneficium ad alicuius vitam.

352. *Decl. 3. p.* **Incorporatio** tunc obtinet, cum unum vel plura beneficia uniuntur dignitati, aut collegio ecclesiastico. Nomine dignitatis venit quaecumque praelatura saecularis uti Episcopatus, aut regularis v. g. Abatia; Collegium vero est quoddam corpus morale ecclesiasticum iuridicum e. g. Capitulum Cathedralis aut Collegiatae Ecclesiae, Conventus, Universitates ecclesiasticae. Omnes in *2. p.* recensitae solemnitates verificari debent pro incorporatione. De incorporatione agunt DD. praesertim *l. 3. Decretal. tit. 37. de Cappellis monach.* ubi maxime consideratur et nomine Cappellae accipitur Ecclesia curata monasterio unita. Incorporatio triplex est 1. *pleni iuris quoad scilicet spiritualia et temporalia* simul, quae tunc obtinet, cum beneficium seu praebenda una cum officio transfertur ita, ut si beneficium sit parochiale et incorporetur e. g. Monasterio; huius Praelatus fiat et sit parochus in habitu et principalis, quem primitivum etiam vocant. Eiusmodi unio in qua monasterio vel eius capiti competit administratio curae animarum, mutat uti patet statum beneficii et ex saeculari reddit illud regulare. Hic autem habitualis parochus potest sibi substituere vicarium ad nutum amovibilem, si est regularis ob votum obedientiae; secus de saeculari clerico dicendum. Vicarius autem, quicumque sit, Episcopo praesentari debet ab eoque examinari, atque curae animarum exercendae deputari: porro Episcopus in iis, quae pertinent ad Sacramentorum administrationem atque curam animarum, iurisdictionem suam retinet. *Trid. Sess. 7. c. 7. de R.* et *Sess. 25. c. 11.*

Incorporatio *minus pleni iuris* est cum praebenda seu *quoad temporalia tantum,* non vero officium seu administratio spiritualium unitur; sic censentur unita beneficia curata alicui monasterio, cui bona temporalia, decimae aliique reditus parochiae assignata sunt, et simul ius competit praesentandi Epi-

scopo Clericum seu sacerdotem saecularem: qui per Episcopum institutus praeter congruam portionem solvendam a monasterio nil aliud exigere potest ex reditibus, si qui beneficii supersunt. Quae proin incorporatio duo iura affert monasterio 1°. scilicet ut participet beneficii fructus, 2°. ut nominet clericum instituendum *c. 1. h. t.*

Tertia incorporatio dicitur *iure plenissimo* et *quoad omnia* tituli saecularis quodammodo *extinctiva,* cum scilicet Ecclesia parochialis sic monasterio unita est, ut integer districtus in quo] exsistit, una cum populo sit exemptus ab Episcopo ceu in separato territorio, in quo Praelatus regularis tamquam dioecesi parvula iurisdictionem quasi Episcopalem exerceat: unde Episcopus dioecesanus nil habet in ea iuris, quoad institutionem, destitutionem, visitationem etc. sed Praelatus loco Episcopi est *c. 21. de Privil. Trid. Sess. 25. c. 11. de Regul.* In dubio quaenam praesumatur facta unio, praesumenda est minus derogans iuribus Episcopi quia hic fundatam habet intentionem in iure pro libertate exercitii regiminis spiritualis.

Summarium. — 1) **Disiunctio beneficiorum fieri potest, modo iusta adsint requisita:** 2) **etsi divisio** *a*) **generatim prohibita, tamen** *b*) **si iustae sint causae, et iuris solemnitates serventur, R. Pontifex maiora, Episcopus vero parochias et alia minora in duo dividere possunt:** 3) **quod et de dismembratione dicendum.**

353. *Decl. 1. p.* Tunc proprie beneficiorum **disiunctio** locum habet, cum separetur ac scindatur in duo beneficium ex duobus constans: quae antea cum essent distincta, rite postea fuerint unita: ea igitur disiungi dicuntur cum tollitur unio. Requisita vero, ut rite disiunctio fiat, sunt: 1°. ut cesset causa unionis; 2°. auctoritas eius, a quo unio facta est: 3°. ut audiantur, quorum interest, ii scilicet, qui in unione audiendi erant. Ex quibus patet effectum disiunctionis esse, ut beneficia restituantur ad eum statum, quo ante unionem reperiebantur, scilicet quoad ius collationis.... nisi aliter ad lites praecidendas ipso actu disiunctionis statuatur expresse.

354. *Decl. 2. p.* **Divisio beneficiorum** « *est unius in duo vel plura partitio* » ita ut quaelibet pars novum constituat be-

neficium, quaeque nova beneficia duo vel plura ex illo uno tamquam ex materia profluant e. g. si duo canonicatus constituuntur ex reditibus unius. Quod haec prohibeatur patet *a*) ex tit. *ut Eccl. beneficia sine diminutione conferantur: b*) *c. 8. de Praeb.* quia omne beneficium natura sua unum corpus efficit, et unum tantum requirit sacerdotem, ne in uno corpore plura sint capita. Si *adsint causae iustae* fieri potest divisio *c. 3. de Eccl. aedif.* quia id exigere potest necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas e. g. relate ad parochias: in quibus attendendus non numerus per se maior (cum Vicarius constitui possit), sed necessitas ipsius populi fidelis, si horum pars aliqua sine gravi discrimine parochialem Ecclesiam non possit adire: *Trid. Sess. 21. c. 4. de R.* pro iusta causa habet copiam et distantiam parochianorum, ita ut officiis divinis Ecclesiae parochiali non possint interesse. Insuper solemnitates requisitae sunt: 1. consensus capituli Ecclesiae Cathedralis, si agatur de divisione, quae fit ab Episcopo; 2. ut ii audiantur, quorum interest, quos consentire vel vocari debere diximus, ubi de unione; 3. ut in divisione caveatur, ut unusquisque habeat portionem congruam ad sui substentationem *c. 8. et 26. de Praeb. et Trid. l. c.*

355. *Decl. 3. p.* **Dismembratio** seu **mutilatio** est beneficii diminutio, qua salva illius unitate, pars redituum, quibus abundat, ab eo aufertur et applicatur alteri e. g. causae piae vel Eccl. remanente interim beneficio penes suum Rectorem ordinarium, ita ut titulus beneficii non extinguatur: hinc patet dismembrationem et divisionem habere locum potius in *praebenda,* quam in beneficio seu officio. Et hoc sensu, qua est praebenda beneficialis diminutio regulariter est prohibita modo intelligatur dismembratio, *quae ex facto hominis* contingit e. g. pensiones, vicariae, coadiutoriae, commendae, non vero quae fit ex ipso iure uti onera beneficio annexa solvere, annatas, synodaticum, subsidium charitativum... subministrare. Attamen illa, quae iure ordinario vetatur, fieri quandoque potest si concurrat: 1. iusta utilitatis vel necessitatis causa; 2. abundantia redituum in beneficio dismembrando; 3. indigentia illius piae causae, cui reditus decerpti applicandi sunt; 4. consensus Ca-

pituli Cathedralis; 5. ut audiatur vel etiam consentiat is, cuius id interesse poterit.

Ex dictis patet quod disiunctio in genere easdem ac coniunctio regulas habet *arg. c. 26. de Praeb.; in specie* fit alia etiam ex causa, quae est *cessatio causae,* quae coniunctionem suasit *a. l. 35. ff. de reg. Iur.*

TITULUS XXII.

DE COMMENDIS.

Summarium. — Declarata Commendae 1) **notione atque** 2) **exposita eius triplici disciplina iuxta triplicem epocham sc. antiquam, recentiorem usque ad Conc. Trid., atque recentissimam a Trid. deinceps, asseritur** 3) **commendam nunc aequiparari beneficiis** 4) **ab uno R. Pontifice concedendam, ita ut** 5) **commendatarii pene omnibus Regularium Abbatum tum utilibus tum honorificis iuribus gaudeant.**

356. *Decl. 1. p.* Commenda si praesertim 1. spectetur **origo** « est officium administrandi vacantem Ecclesiam vel monasterium, quin tamen vero et proprio sensu illud in titulum habeatur ». *Vacantem ecclesiam,* nam ab initio 1ª. causa commendae fuit providere Episcopis de suis sedibus hostium vi depulsis, quibus suarum Ecclesiarum titulum retinentibus, Romanus Pontifex alias Cathedrales vacantes vel Abbatias regendas committebat, quin eos constitueret proprios ac perpetuos ipsarum pastores... vel *monasterium...* nam 2ª. causa commendae post saec. XII. et XIII. fuit clerico eximiae probitatis et prudentiae tradere regenda monasteria, ut ibi forte collapsam restauraret disciplinam.

357. *Decl. 2. p.* Porro prima Commendarum *epocha* modo dictis continetur: scilicet utraque indicata causa temporalis omnino erat ab origine, quia mortuo Episcopo de sede sua deiecto, vel in ea restituto et reformata monastica disciplina illius Episcopatibus vel monasteriis proprii pastores praeficiendi erant in posterum. Nam finis, cur commendabantur, erat, ut reditus adsignarentur Episcopis vel pulsis e suis sedibus, vel abire coactis ob devastatas Ecclesias Cathedrales;

quo proin obtento, commenda cessabat; unde in commendis etsi saltem ordinario personalis perpetuitas videtur haberi; tamen obiectivam quoad ipsam commendam defuisse perpetuitatem. Attamen (*secunda epocha*), quod ex necessitate et utilitate inductum erat in abusum tum devenit, cum collapsa parumper ecclesiastica disciplina tam laici, quam Clerici regularia praesertim beneficia praeter modum in commendam habere coeperunt: *Laici:* cum enim hi bona ecclesiastica invadere coeperunt, eorum potissimum principes illa militibus in commendam concedebant, ut opes ad gerendum bellum haberent. *Clerici:* nam cum diligentem RR. PP. navarent operam, ut ecclesiastica bona a laicis ea violenter occupantibus ad Ecclesiam redirent, multa clericis commendarunt. Iustae causae ad haec commendanda accedebant, praesertim supra expositae: scilicet, iterum ab infidelibus Locis Sanctis occupatis, opportunum videbatur ipsis Episcopis inde eiectis abbatias atque episcopatus vacantes in Italia et alibi commendare: iterum in monasteriis disciplina pene sublata, vel ipsa monasteria alicubi pene derelicta, praelato defensore indigebant vel administratore. Hoc in 2°. stadio praecipue factum est, ut ius ipsum administrandi ad bona temporalia tantum restringeretur, seposito spirituali officio iisdem adnexo: inde abusus *a*) ut in commendam plura monasteria haberentur a laicis, imo a militibus; *b*) a clericis vero obtentu commendae plura beneficia etiam incompatibilia contra leges Ecclesiae, unum in titulum, coetera in commendam possiderentur passim ab uno eodemque Clerico. Unde merito RR. PP. sanctissimis legibus eiusmodi abusus coercere coeperunt; nominatim Clem. V. commendas sustulit, quae, non bene cognitis expensisque rebus, datae fuerant *Extr. 3. de Praeb. int. Com.* Bened. XII. et Leo X. commendas abrogarunt, quas in monasteriorum atque ecclesiasticae disciplinae perniciem redundare animadverterunt.

Tertia epocha. At cum haec decreta non omnes compescerent abusus, quin imo crescerent ii usque ad *Synod. Trid.*, ab hoc et RR. PP. statutum est, ut 1) non solum monasteria, quae capita essent ordinum, commendari non possint, 2) sed *iam commendata* vere suos habeant regulares superiores in monasterio residentes, atque plene his subsint religiosi in iis, quae

ad regularem spectant disciplinam, suisque exemptionis privilegiis utantur; 3) ut distingueretur mensa Commendatarii a mensa conventuali, nec non quarta pars mensae Abatialis a commendatario in bonum Eccl. et pauperum sit oblegata. Ubi vero deest illa mensarum distinctio, tertia pars omnium fructuum commendati monasterii deputetur pro omnibus eius oneribus; nec non pro substentatione Monachorum. Dixi *iam commendata:* nam de iis monasteriis, quae in posterum vacabunt, ait, ea nonnisi regularibus spectatae virtutis et sanctitatis conferenda, *sess. 25. c. 21. de Ref. Reg.* Atque hisce remediis saltem in praesens duplici malo obviam itum est ex Commendis orto: 1. erat disciplinae monasticae neglectus ob abbatis regularis defectum, qui residendo praeesset religiosis: 2. erat ruina monasteriorum ob census sufficientis defectum, quem sibi pene totum vindicabant Abbates Commendatarii. Dixi saltem in praesens: optabat enim ss. Synodus ad omnes abusus penitus compescendos totalem commendarum abolitionem, quas omnes tunc e medio auferre, cum ob iniquam temporum conditionem opus alea plenum esset, remedia dicta decrevit; pietati ac prudentiae R. P. remissis coeteris.

358. *Decl. 3. p.* **An commenda sit beneficium.** R. iuxta *Schmalz. in t. de Praeb. n. 7.* distinguendum: quia duplex est commenda una perpetua, qua Ecclesia vel beneficium alicuius clerici custodiae, curae et administrationi committitur in perpetuum seu quamdiu is vivit; altera temporalis, qua beneficium vel Ecclesia commendatur solum ad certum tempus v. g. quamdiu rector eiusdem abest, vel donec loco defuncti aut depositi novus alius instituatur. De perpetua non est dubium, quod sit beneficium vel saltem huic aequiparetur *Gonzalez in Reg. 8. Cancell. gl. 5. Barbosa, Konig, Weistner...* Hinc *Devot. Inst. can. heic § 28.* verbis autem, inquit, potius quam re nunc a beneficio Commendae differunt, quoniam et hae in perpetuum dantur, et titulum praestant ad ordines suscipiendos, et Clerici commendatarii iisdem ferme praerogativis ac iuribus, quibus beneficiarii fruuntur. Quare liberam habent redituum administrationem.

359. *Decl. 4. p.* **Unus R. Pontifex** ex primatus plenitudine iustis de causis **concedere** potest **commendas** sive

temporaneas sive perpetuas: ipsi namque uni est potestas relaxandi canones, qui regularia beneficia clericis saecularibus concedi vetant *c. 27. de Elect. c. Cum de benef. de Praeb. in 6. Trid. Sess. 14. c. 10. de R.* Episcopi nc ad tempus quidem commendare Ecclesias possunt, quin etiam temporaria ad 6. menses Ecclesiarum parochialium commendatio, quae iure novo tribuebatur Episcopis, sublata dein est iure noviss. *Trid. Sess. 7. c. 4.* ubi statuitur in vacantibus Ecclesiis parochialibus non commendatarios, sed vicarios seu oeconomos deputandos esse quoad novus Rector instituatur.

360. *Decl. 5. p.* **Commendatario** competunt **utilia et honorifica iura**. Est enim ius administrandi; hinc in literis apostol. exhibentur e. g. utilia sic, ut commendatarius « de fructibus, reditibus et proventibus ipsius monasterii disponere et ordinare valeat, sicut veri Abbates et Priores; alienatione tamen bonorum immobilium et pretiosorum mobilium penitus interdicta ». Quae intelligenda sunt iuxta dicta *in 3. p.* de distinctione facta vel mensae conventualis, vel 3. partis mensae abbatialis... Cfr. coetera in lit. Apostol. quibus commenda traditur.

361. Itaque ut, quae de commendis beneficiorum nunc vigent, (1) paucis concludamus, earum attendenda sunt:

I. **Definitio** i. e. *custodia* (arg. l. 186. ff. de V. S.) *alicuius Ecclesiae cum libera administratione et perceptione reddituum* (arg. Concil. Trid. Sess. 7. c. 4. de R.

II. **Collatio**: quae fit 1°. *legitima auctoritate* i. e. a Summo Pontifice *(Rigan. in Reg. 43. Cancell. n. 28. Gagliardi De Benefic. c. 11. n. 20);* 2°. legitimae *personae* i. e. ex *iure* Clerico *saeculari* quoad commendas Beneficii saecularis, et *Regulari* quoad commendas beneficii regularis. Ex *privilegio*

(1) Doctrina scil. hic coarctatur de commendis perpetuis, quas iuri antiquo ignotas fuisse testatur Fugnanus in *c. Cum ad nostram n. 9. de Elect.* Temporaneas vero Commendas, de quibus Textus in *cap. 15. de Elect. in 6,* ubi facultas Ordinariis datur commendandi ad sex menses Ecclesias Curatas, eas administrandi causa, abolevit Concilium Trid. *Sess. 24. c. 21. de R.* praecipiendo, ut, vacante Ecclesia parochiali, deputetur oeconomus, congrua fructuum assignata portione, donec Ecclesiae Rector provideatur.

seu dispensatione (1) etiam vicissim, nisi tamen res sit de iis Monasteriis, quae sunt Capita et Primates Ordinum, quae quidem commendari vetat saecularibus Concilium Trid. *sess. 26. c. 21. de Reg.* (2).

III. **Iura**: haec ad ea omnia fere extenduntur, quibus Beneficiarius ipse frueretur *S. C. C. apud Garcia de Benef. P. 3. c. 2. n. 266; Rota coram Penia Dec. 1321. n. 14. et seqq.* excepto tamen Monachorum regimine, si res sit de Monasterio commendato *Conc. Trid. Sess. 25. c. 20. de Reg. Alex. VII. Const. Exponi.*

IV. **Onera**: quae *generatim* est dimissio certae partis reddituum: cuius 1°. *quantitas* est *tertia pars* si agatur de Commenda Monasterii cum Conventu, quod scilicet mensam Abbatialem non habet a Conventuali distinctam; quoad reliquas autem Commendas est *quarta pars.* 2°. *Usus est a*) pro *substentatione* Monachorum, onerumque satisfactione, si agatur de Commenda Monasterii cum Conventu: *b*) pro *necessitatibus* Ecclesiae pauperumque alimenta quoad reliquas commendas. *Leo X. Const. Supernae* § 10.

In specie, si nempe ad Commendatarium spectat ratione Commendae cura animarum, onus est *susceptio* SS. Ordinum et *Residentia.* Fagnan. *in c. 1. de Capel. Monach. et Gallem. adnot. ad Conc. Trid. Sess. 6. c. 2. de R.* (3).

V. **Status** qui habetur veluti precarius; adeoque praescriptionem ad mutandum beneficii statum non inducit *Rigan. l. c. n. 217. et seqq.*

(1) Quod hodiernis moribus plerumque fit. Huc enim tendunt huiusce temporis Commendae, ut qui habiles non sunt ad beneficia in titulum obtinenda, efficiantur habiles per viam Commendae *Rigan. l. c. n. 26.*

(2) Summi tamen Pontifices, *secundum plenitudinem potestatis de iure possunt supra ius dispensare* (c. 4. de Conc. praeb.): aliquando etiam Monasteria, quae sunt Ordinum Capita in Commendam saecularibus eos tradidisse nonnulla congerit exempla. Rigan. *l. c. n. 83.*

(3) In Gallia omnes omnino Commendatarii ad sacros ordines intra annum suscipiendos tenebantur a Conc. Rothomagen. *Tit. de Monast. c. 4;* sed nunc iam nullae ibi sunt Commendae.

TITULUS XXIII.

DE PENSIONIBUS.

Summarium. — Pensio ecclesiastica sive personalis sive realis quae 1) est ius percipiendi portionem aliquam fructuum ex beneficio alieno alicui clerico legitime, iuste et moderate concessum 2) suas qualitates et onera in pensionariis exigit, atque 3) variis extinguitur modis.

362. *Decl. 1. p.* Dicitur *Ecclesiastica,* ut distinguatur a *laica* quae laicis quidem conceditur, sed ob ministerium temporale e. g. Patrono in recognitionem fundationis, defensori ob defensionem, oeconomo, aedituo, cantori etc. *Ecclesiastica* est, quae conceditur clerico, seu quae statum clericalem exigit, quaeque alia est simpliciter spiritualis, concessa scilicet clerico *ob ministerium* spirituale e. g. coadiutori Episcopi vel curati, Vicario, Concionatori, alia *mixta* fundata scilicet in statu clericali, sed ob aliam causam v. g. parocho seni, vel clerico pauperi ad necessariam vel commodiorem vitae tuitionem concessa. *De ecclesiastica,* quae antiquissimae originis est, nos agimus, eamque diducimus in *personalem,* quae est onus inhaerens ipsi beneficiario huius vita durante solvendum alteri, ac proinde est omnino temporanea, *in realem* quae imponitur ipsi beneficio seu onus solvendum vel durante vita pensionarii, vel etiam post huius vitam, si ille favor per legem ad alios transeat.

Ex beneficio alieno: ergo est onus super alieno, unde recte debet imponi, quod fiet *si rite, iuste, moderate* imponatur. *Rite* si a legitima potestate, quae est exclusive R. Pontifex sive de personali aut reali agatur (1): et quamvis antea probabile

(1) Sunt qui asserunt quod *iure inspecto* Episcopis etiam constituere licet pensiones Glos. in *c. 3. de Collus.* et pluries *Rota* praesertim vero coram *Millin. dec. 104. n. 1.* et *seqq.* duplici tamen sub conditione 1. ut huiusmodi facultas ad reales pensiones non extendatur. *Gloss. l. c.* et DD. communiter: 2. ut *iusta causa* nedum adsit sed exprimatur etiam *Gonzalez c. 21. de Praeb.* At vero, subdunt, praxi inspecta Episcopi aut nullo modo, aut ad summum mere nominant pensionem ac pensionarium: et deinde a Sum. Pontifice obtinent collationem. *Rebuf. Prax. benef. l. 1. de Reserv. n. 17. in fin.*

foret personalem posse imponi ab Episcopis; tamen contraria obtinet praxis monetque Riganti *modo* requiri beneplacitum Apostolicum semper de quacumque pensione agatur; monet et Fagnan. quod quidquid de iure sit, usus Sedis Apostolicae ubique receptus habet, ut pensiones ab uno R. P. imponantur. Idque suadet ratio, quia per pensiones beneficia aut scinduntur, aut iis onus imponitur contra can. *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione* etc. Unde *iuste* imponenda h. e. gravi de causa, quae quadruplex assignari solet saltem ad liceitatem 1. si quis renuntiat beneficio iusta de causa, nec habet unde vivat: 2. si movetur lis circa ipsum beneficium nec dirimi potest seu beneficium non desineret esse litigiosum, donec quaedam veluti transactio adhibeatur per pensionis impositionem: 3. si permutatio beneficii maioris cum minori legitime fiat, aequum est, ut maiori imponatur pensio in favorem eius, qui minus beneficium accepit: 4. praeclara merita atque eximia gesta in bonum Ecclesiae, unde propter doctrinae et scientiae laudem utilis debita remuneratio. *Moderate* seu rationabiliter relate ad quantitatem, quae scilicet non auferat congruam substentationem, nec generatim beneficiarium ad onera beneficialia imparem reddat: hinc merito praesertim *Trid. Sess. 24. c. 13. de R.* statutum est. 1. ut Ecclesiis Cathedralibus nulla pensio imponatur, si earum reditus summam ducatorum mille non excedit: 2. neque Ecclesiis parochialibus, nisi earum reditus summam ducatorum centum excedat, in qua summa non computantur fructus incerti, ut sunt emolumenta stolae: quin imo nunc in parochiis omnibus pensiones non imponuntur, ut parochus integros habeat ad subveniendum pauperibus reditus *Bened. XIII. Const. Quanta 1724*: 3. ut in aliis beneficiis pensio non excedat tertiam partem beneficii: 4. ut pensio demum certis tantum beneficii fructibus imposita praesumatur, non distributionibus, quae magis videntur incertae, cum eas non lucretur beneficiarius nisi choro intersit (1).

(1) Ex dictis patet quod pensionis adeptio fiat *a) legitima constitutione* quae fit legitima causa *onerosa,* quae oritur ex triplici fonte sc. *resignationis* ut nempe resignanti supersit unde vivat *c. 4. de Cler. aegr.* – *Permutationis* ut nempe aequa lanx servetur ubi locupletius beneficium cum magis tenui permutari contingit *arg. c. 6. de rer. permut.* - *Transactionis* ut sc. lis super

363. *Decl. 2. p.* Pensio *a*) est pars fructuum ex bonis Ecclesiae decerpta, ergo iure **exiguntur qualitates, obligationes** et **onera** bonis respondentia: *b*) praesertim si in titulum pensio datur, consideratur instar beneficii ecclesiastici: nam subrogatur in locum beneficii, subrogatum sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur, atque inde ei quadamtenus convenit definitio beneficii unde aequiparatur beneficio, in cuius loco est, *Pii V. const. Sacrosanctum 98. t. 4. p. 3. pag. 38. Bullar., et Sixti V. const. Cum sacrosanctum 141.* § *2. t. 5. p. 1. pag. 43. edit. rom.;* etsi proprie beneficium non sit, a quo illa semper in iure distinguitur, quia beneficium suapte natura perpetuum est, et propter officium spirituale, porro pensio plerumque ad tempus est, et non tam in spirituali officio, quam in persona spirituali fundatur. Ergo in pensionario ad *a*) *acquirendam* pensionem ea generatim requiruntur, quae pro beneficiis h. e. ut sit clericus, caelebs, nulla specie bigamus, aut irregularis, censuris haud irretitus, non religiosus, habens legitimam aetatem: *b*) ad eam retinendam debet fungi *officio spirituali,* quod esse solet recitatio officii B. V. M. sub poena non faciendi fructus suos, eosque in pios usus e. g. pauperibus dare tenetur ut beneficiarius *Suarez de Rel. t. 2. l. IV. c. 30. n. 22,* pro rata temporis et officii *Pius V. Const. In proxime* (verum haec bulla non ubique est recepta); gestare habitum et tonsuram, alias ipso iure pensionem amittit; nempe si ad statum laicalem rediisse videatur. Cf. *D'Annib. Summ. Append. ad c. 4. de benef.* § *73.* Ad illas etiam contributiones tenetur una cum beneficiario, quae fructibus beneficii imponuntur. Cf. *S. C. Episcopor. et Reg. decret. 28. Ian. 1871.*

364. *Decl. 3. p.* **variis modis extinguitur pensio** 1. morte

beneficio exorta finiatur; alteri nempe beneficium controversum concedendo, alteri pensionem super eodem reservando *c. 21. de Praeb.* Est altera, quae fit ex causa lucrativa sc. vel utilitatis Eccl. vel grati animi, si pensionandus sit de Eclesia benemeritus *arg. c. 25. de Iur. iur.* – Ast *b*) fit adeptio etiam *translatione* ab uno ad alterum, quae sit legitima cum venia i. e. R. Pontificis sub legitima conditione: ne ultra medietatem quis pensionem suam transferat; Innoc. XI. Const. *Circumspecta:* et ne agatur de pensione alias translata, nisi adsit tum speciale R. Pontificis privilegium, tum consensus beneficiarii gravati. Urb. VIII. Const. *Inter gravissimas;* Conrad. *Prax. benefic. l. 5. C. 5.*

pensionarii nisi privilegium adsit saltem pro medietate eam transferendi; 2. matrimonio; 3. professione religiosa; 4. pensionis renuntiatione, quae, nisi ea sit in titulum ordinationis, sed in bonum simpliciter pensionarii valet sine superioris auctoritate; 5. assecutione ipsius beneficii, cui pensio est imposita; 6. si iura aut praedia Ecclesiae in quibus pensio constituta est, quovis modo perierint; 7. privatione in poenam criminis vel ipso facto vel per sententiam iudicis, et 8. dimissione habitus clericalis.

Ex ratione beneficii saltem analoga, quae pensioni inest, sequitur pensionem redimi non posse *repraesentatis* i. e. mature factis uno tempore simul aliquot annuis *pensionum solutionibus,* tum propter simoniam, tum propter turpis lucri cupiditatem, quam eiusmodi contractus redolere videntur; unde eos *Bened. XIV. Const. in sublimi et Const. Universalis Eccl. 29. August. 1741.* merito prohibuit atque irritavit.

TITULUS XXIV.

DE MONASTERIIS (1).

Summarium. — Monasterium seu conventus 1) qui materialiter est locus ubi homines solitariam vitam degunt i. e. procul ab urbibus hominumque frequentia, 2) erigi atque constitui nequit sine α) ordinarii facultate et β) beneplacito apostolico, et γ) nonnisi auditis iis quorum interest, ac supposita substentatione congrua pro 12 vel 6 religiosis: 3) quae leges saltem complexive sumptae, hospitalia, Congregationis Clericorum saecularium domos, aut Monialium Collegia non tenent.

365. *Decl. 1. p.* **Notio.** Accedimus ad ea Ecclesiae Christi loca et res, quae comparatae sunt Religioni antonomastice

(1) Monasteria heic nobis sunt loca destinata hominibus profitentibus religionem seu statum tendentium ad perfectionem per tria vota, sub determinata regula vitam communem viventium: unde hic spectamus communitatem personarum quarum I. *privilegia* sunt *clericalia* praesertim canonis *c. 5. de sent. excom.* et exemptionis a foro laicali et publicis muneribus *c. 38, Ca. 11. q. 1; c. 40. Ca. 16. q. 1;* et privilegia *propria*

sumptae, coeterisque pietatis operibus exercendis, unde domus seu loca religiosa et pia de quibus *t. 36. de religiosis domibus.* Per *domos religiosas* generice veniunt *loca cultui divino vel aliis piis usibus auctoritate Episcopi destinata c. 4. h. t.* si praeter auctoritatem Episcopi non interveniat consecratio, *specifice* dicuntur *domus religiosae* uti monasteria, collegia et aliae Regularium domus, nosocomia, hospitalia, confraternitates... si praeter auctoritatem Episcopi adhibetur etiam consecratio, proprie ac specifice sunt *loca et domus sacrae* e. g. templa, sacella, altaria pro divinis officiis : si nec auctoritas Episcopi intervenerit, nec consecratio, *domus piae* dicuntur. Additur *in tit. de relig. domibus ut Episcopo sint subiectae,* ad indicandum principium exhibitum *capp. 1. 4. 6.* omnia loca pia esse sub Episcopi potestate, nisi contrarium probetur seu exem-

ipsorum tum generalia seu omnibus regularibus communia, praecipue *a*) ut habeant Ecclesiam ubi sacras peragant functiones *arg. Const. Etsi mendicantes S. Pii V. S. C. C. in Nullius Prov. Ravennaten. 15. Dec. 1629; b*) ut sint exempti ab Episcopi potestate iuxta tamen Decr. Conc. Triden. et recentior. Const. RR. Pontif. praesertim Leonis XIII., Const. *Romanos Pontifices. S. C. C. apud Fagn. in C. Quod super his n. 23. de Mai. et Ob.* Rota in *Firmana Iurisdictionis 10 Maii 1700 coram Molines n. 4. et seq.* Dein tum habeant *particularia* privilegia, quae sunt propria Ordinum singulorum, quaeque in illos RR. Pontifices contulerunt. Cf. e. g. Paul. III. Const. in forma Brev. *15. Nov. 1549.* - II. Supponimus personas quarum leges (prout regulares distinguuntur a laicis et a clero saeculari) sunt *communes* omnium Ordinum, et *particulares* quae ex peculiari singulorum Ordinum regula procedunt. Iam in *l. 1. de Personis* exposuimus communes praesertim 1. ut quisque profiteatur Ordinem ab Apostolica Sede probatum *c. 4. de relig. dom.;* 2. ut tria substantialia vota emittant *Pius V. Const. Lubricum,* serventque sc. praeter obedientiam *a*) castitatis *c. 6. de stat. Monach. in fin.* et ibi Gloss. *c. un. de Voto in 6; - b*) paupertatis, cuius vi suorum bonorum debent renunciationem emittere, quaeque *emittitur* intra duos menses ante professionem solemnem cum venia Episcopi, et vim habet post absolutam professionem. III. Supponimus in his personis regulam solemniter professis *effectus* professionis i. e. *a*) amissio 1) potestatis transeundi in aliud institutum *c. 5. de Regul.* nisi *aut* sit arctius *c. 18. eod.; aut* adsit R. Pontif. venia *c. un. de Relig. Dom. in 6*; - 2) iuris acquirendi. *C. Trid. sess. 25. C. 1. de R.* 3) Beneficiorum *c. 4. de Reg. in 6.* - *b*) Dissolutio matrimonii rati non consummati *C. Trid. sess. 24. de Matr. can. 6.* - Dissolutis votorum simplicium, quae ante professionem emissa sunt *c. 4. de Vot.* - et tandem dissolutio patriae potestatis *Auth. Ingressi Cod. de Sacr. Eccl. Auth. Presbyteros Cod. de Episc. Gloss. in L. 9. § 4. de Min.*

ptio, quae generatim non Regularibus ordinibus, sed eorum domibus singulis concedebatur ante Trid. Ast modo contraria generalis regula est: omnia monasteria regularium ordinum a Sede Ap. approbatorum saltem in Congregationem coalescentia exempta esse *Trid. sess. 25. c. 8. de R. Reg.* In definitione dixi *materialiter* significari aedes ipsas; adde et loca iisdem adnexa, in quibus Regulares morari possint, quia *formaliter* sunt ipsa communitas seu personae religiosae sub una communi regula viventes cum omnibus suis iuribus, privilegiis et officiis de quibus iam *in 3. p. l. 1; solitariam vitam* ad indicanda non modo monasteria, quae sicut ab initio erant extra urbes, a consortio hominum procul sita, quae velut in s. recessum, quo solitarii vitam a rumoribus saeculi quietam acturi contendebant, sed et ea, quae deinceps in mediis civitatibus constituebantur ut plures Regulares sicut clerici, animarum salutem procurarent, et nunc etiam constituuntur. Horum regularium monasterium potest dici *procul ab urbibus, hominumque frequentia* spectato fine speciali vitae regularium et ratione vivendi, quatenus segregati a coeteris saecularibus vivunt, ac si inter ipsos non essent, relate ad saecularia negotia et vitae commoditatem: hinc sedes eorum dicitur *Conventus,* quatenus est *locus conseptus ubi plures* ad certam piam regulam communem vitam agunt: atque ideo promiscue sumuntur Monasterium, Conventus, Coenobium. Intelliguntur autem saltem proprie et primario de domibus religiosorum solemnia vota emittentium, quae, in iure de monasteriis habentur, quamvis quaedam et ad ea pertineant coenobia, in quibus aut vota simplicia profitentur, aut iuxta unius regulae praescriptum dumtaxat vivunt in communi. Spectantes ea tantum, quae *locis* ipsis religiosorum inhaerent, agemus *a*) de monasterii erectione *b*) tum de eius clausura *c*) et tandem aliquid circa bona.

366. *Decl. et pr. 2. p.* **Erectio**. Exhibentur elementa seu requisita fundationis, quae sunt I. *Licentia Ordinarii,* in cuius dioec. erigenda sunt monasteria (tam virorum, quam mulierum) prius obtenta *Trid. sess. 25. c. 3. de R. Reg. Urb. VIII. Const. Romanus Pont.,* qua sub poena privationis vocis activae et passivae, nec non officiorum et inhabilitatis ad illa in

futurum obtinenda, ac etiam excommunicationis interdicitur superioribus ordinum quorumcumque recipere, erigere, fundare seu alias quomodocumque instituere nova monasteria, collegia, domus, conventus et alia loca regularia huiusmodi, nisi de expressa licentia ordinariorum servata in omnibus ss. Canonum forma. Et concessio s. Sedis semper, nisi aliud exprimatur, censetur facta salvo iure Episcopi. Si tamen *iniuste* haec facultas denegetur recurri semper potest ad Sedem Apost. in devolutivo ut patet *ex Const. Leon. XIII. Const. Romanos Pontifices* §. *Quum res... Cf. et Greg. XV. Const. Cum alias 17. Aug. 1622.*

II. *Beneplacitum* Apost. pro Italia et insulis adiacentibus: an pro aliis regionibus quaestio prius erat: at post *Bened. XIV* ubique ceu obligatorium est. Unde totum responsum ad hanc controversiam est: requiritur talis licentia 1) quoad ordines mendicantes ubique: 2) quoad non mendicantes in Italia ex Innoc. X. *Const. Instaurandae:* 3) quoad non mendicantes extra Italiam, res clara non esset, si res per se spectetur: at si spectetur sive DD. auctoritas, tum communis est, sive praxis Romanar. Congreg. tum tenenda sententia est affirmans (1) *Bened. XIV. De Syn. l. 9. c. 1. n. 9. Monacelli Formul. p. 1. tit. 6. form. 18. n. 31. Cf. C. de Prop. Fide Collec. et Leon. XIII Const. Rom. Pontifices 8. Maii 1881.* ubi duplex dicta venia exigitur et pro locis missionum.

(1) *Quaer.* Utrum duplex dicta venia requiratur si regularis familia non prorsus novum opus moliatur, sed ea, quae sunt instituta, velit in alios usus convertere. – Et *resp.* Non licet ea convertere in usus a religione et pietate alienos: neque licet dimovere de loco instituta et *alio transferre* quia obstat *c. Cum ex eo De Excess. Prael. in 6.* ubi Bonif. VIII. vetuit «ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare». – Item non licet ea immutare in usum consentaneum, e. g. si schola in ecclesiam, coenobium in collegium, in domum pupillis recipiendis. Nam id nobis videtur prohibere Urb. VIII. Const. *Rom. Pontif.* – Quod si priori usu retento, nova causa vel usus inducatur, tunc licet sine nova venia, si inductio alterius usus ad interiorem administrationem et disciplinam domesticam spectet e. g. si tyrocinium aut collegium studiorum causa iunioribus sodalibus in coenobio constituatur: secus si finis interioris administrationis sit excessura e. g. si inibi schola fiat quae alienis pateat.

III. *Auditis iis, quorum interest:* ii autem praesertim sunt alii Regulares, qui forte intra 4. milliaria distent, ubi nova domus est erigenda, parochus, parochiani... Sed *a*) ii quidem audiendi sunt, ita tamen ut eorum consensus *b*) vel suppleri possit, si iniuste recusetur, vel etiam minime requirendus sit, si iam certo constet nullum ex nova erectione detrimentum iis obventurum. Assertum 1. constat *quoad alios Regulares* audiendos ex *Clem. VIII. Decr. Quoniam ad Institutum 23 Iul. 1603. Greg. XV. Decr. Cum alias 17. Aug. 1622. et Urb. VIII. Rom. Pont. 31. Ian. 1625.* quoad parochos, licet possint hi se opponere novae erectioni monasterii, si huic stricta iura parochialia adversentur: tamen disceptatur inter DD. utrum teneatur Episcopus vocare et audire parochum; ergo a fortiori huius consensus non requiritur. 2. Quod si consensus ab aliis regularibus omnino iniuste negetur potest suppleri vel minime requirendus *Reiff. in t. de Eccl. aedif.* § 2. *n. 29. seq.* ubi recte advertit Greg. XV. *Const. Cum alias an. 1622.* adiecisse, « aut alias Ordinariis locorum constiterit » quia tunc cessat causa finalis, ob quam solum requireretur consensus et vocatio, ne scilicet praeiudicium iuri alterius inferatur: quod maxime et de parochis dicendum.

IV. *Numerus autem personarum constet oportet 12 vel 6 religiosis* ut exemptione gaudeant, et ne ob personarum defectum disciplinae regularis desit observantia, licet quidam sint casus, in quibus ad exemptionem et cetera privilegia minor sufficit. Congrua autem substentatio pro hoc numero praerequiritur sive ex reditibus sive ex piorum fidelium eleemosynis ex Greg. XV. et Trid. *ll. cc.* Quod intelligi non debet de domibus, atque hospitiis Missionum, prout declar. *C. de P. F. Collect. et Leo XIII. const. cit.*

Quae omnia requiruntur etiam in reassumptione prisci conventus, si illum ex se dereliquerunt: non vero si inde vi et iniuste expulsi forent, etsi redeuntes directam reaedificent domum, quia iura et privilegia solo adhaerent (1).

(1) Le corporazioni religiose, non altrimenti che i beneficii, non isfuggirono in Italia alla falce della soppressione. Venne a tal uopo emanata un'apposita legge nel 7 Luglio 1866. La disposizione fondamentale è contenuta nell'art. 1.

367. *Decl. 3. p.* Ex dictis patet 1^m. et 2^m. et ex DD. auctor. Quoad 3^m. scilicet erectionem monasteriorum monialium, lex aliqua certa et directa licentiam Sedis Apost. non praescribit; tamen indirecte ex lege scilicet clausurae eiusque connexis habetur. Idcirco inquit Fagn. practica est, ut erectiones monasteriorum monialium fiant a Sede Apost. tum propter gratias, indulgentias, privilegia et exemptiones, quae ab illa impetrantur, tum propter facultatem educendi abbatissam ex alio monasterio pro novi monasterii institutione.

Summarium. — Ad monasteria sic canonice erecta pertinet quod circa clausuram et administrationem bonorum versatur 1) **Clausurae quidem dumtaxat notio, et limites, causae excusantes, personae quaedam exemptae et personae contra eam violantes breviter indicantur:** 2) **de administratione bonorum breve est dicere monasteria habere ius sua temporalia bona administrandi per suos regulares praelatos nomine monasterii, ita tamen ut sine beneplacito Apost. Sedis neque immobilia, quae summam 500 francorum excedunt, neque pretiosa mobilia sub excommunicationis poena alienari possint: circa quam administrationem nihil possunt Episcopi si de exemptis virorum monasteriis res sit.**

368. *Decl. 1. p.* **Clausura** dicitur « totum illud spatium

« Non sono più riconosciuti nello Stato gli Ordini, le Corporazioni e « le Congregazioni religiose regolari e secolari, i Conservatorii e Ritiri, i « quali importino vita comune ed abbiano carattere ecclesiastico ».

« Le Case e gli stabilimenti appartenenti agli Ordini, alle Congrega- « zioni ed ai Conservatorii e Ritiri anzidetti sono soppressi ».

Effetto precipuo di questo articolo fu la devoluzione al Demanio dello Stato di tutti i beni costituenti il patrimonio delle corporazioni soppresse.

Col detto articolo si vollero sopprimere non solo gli Ordini religiosi propriamente detti, ma anche le Congregazioni religiose, purchè (notisi bene) avessero carattere ecclesiastico, il che presuppone un titolo di fondazione in ente ecclesiastico.

In Italia si è negata la personalità civile anche a corporazioni religiose, riconosciute tuttora all'estero. Basti ricordare la sentenza della Cassazione di Roma del 15 Aprile 1887 nella causa tra la Compagnia di Gesù e il Demanio (*Monit. Trib. Milan.*, 1888, p. 368). Non mancano tuttavia scrittori di diritto pubblico, i quali ritengono che la persona giuridica debba in ciò equipararsi alla persona fisica, e quindi sia sufficiente la ere-

quod septis (1) monasterii sive virorum sive mulierum continetur ». Loquimur autem de clausura pontificia non episcopali. Lex clausurae alia pro viris alia vero longe arctior pro foeminis. Clausura formaliter spectata est *lex qua prohibetur omnino ingressus mulierum in monasterium virorum, et ingressus virorum et foeminarum cuiusvis generis in monasteria monialium:* et insuper *pro monialibus egressus de monasterio iis omnino interdicitur, si tamen religionem profiteantur.* Locus autem materialis, quo lex haec viget eiusque ambitus dicitur clausura. Porro *clausura* 1°. *virorum* duo importat: ut *a*) nulli religioso liceat excedere e monasterio sine licentia superioris saltem praesumpta interdiu sub levi, noctu sub gravi. *Fagn. in c. Cum cappella de Privileg. et Urb. VIII. Const. Nullus Trid. Sess. 25. c. 5. de Reg.* (2): *b*) utque nulli mulierum liceat eo pedem inferre, nulli eas admittere, utrisque sub poena excomm. latae sent. R. Pontifici reservatae. *Cf. et varias Const. S. Pii V. Greg. XIII. Bened. XIV.*

Pariter 2°. *clausura monialium* duo importat *a*) ut iniussu R. P. nulla earum egredi nisi incendii, leprae, epidemiae i. e. cuiusvis morbi contagiosi; quod coenobium (et non urbem tantum invaserit) aut qua simili causa velut inundatio, ruina, latronum incursus (3); ut *b*) nemo ingredi permittatur cuius-

zione legale nel territorio nativo, affinchè una persona giuridica sia riconosciuta all'estero, senza bisogno del riconoscimento per parte dello stato straniero, dove estende possessi e rappresentanza e comparisce in giudizio *(Merlin, Rép. Gén. v. Mainmorte § 7. n. 2: Foelix, Traité de droit internat. priv. I. 31: Fiore, Diritto civile, I. par. 2. pag. 61; Gianzana, Lo straniero, par. I. pag. 139.–140: Saredo, Il Governo del Re e l' acquisto dei corpi morali ecc.).*

(1) Septis monasterii seu conventus continentur claustra, cellae, officinae, coenaculum, dormitorium, infirmaria, coquina, et huiusmodi: item horti, viridaria et prata si coniuncta sint cum conventu et claustro; si clavi et muro convenienti separata. *Ferraris V. Conventus a. 3. n. 9. seqq.*

(2) Suarez *de Rel. tract. 8. l. 1. c. 6.* huius legis exhibet fundamentum situm in iure superioris ad gubernandum et custodiendum suum subditum, quod graviter laeditur per subditi discessum e monasterio invito vel inscio Praelato: etsi iusta de causa exitus hic asbque venia fieri possit e. g. ad subveniendum morienti per absolutionem vel ad aliud charitatis opus iuxta Suar. *l. c.*

(3) Cf. Pius V. Const. *Decori.* Quod si ob alias causas e. g. balneo-

cumque generis conditionis, sexus, aetatis praeter quam necessitatis causa. Dixi *nullam egredi nisi incendii causa,* hostilis incursus... petita tamen prius in scriptis facultate Episcopi et Regularis Praelati, si forte huic subsint, cum causa praevideri potest. Ipsa autem necessitas sufficit si periculum est in mora. Semper autem opus est beneplacito Apostolico, si non communis sed peculiaris alicuius monialis necessitas eius egressum e monasterio requirat. Necessitas pariter ad ingrediendum in septa monasterii requiritur e. g. reparandi monasterium, moniali infirmae medelam aut Sacramenta administrandi; vel dignitas regia aliquem opportunis munitum facultatibus in monasterium ingredi (1) sinat: sic licet regi et reginae atque iis qui hos comitentur.

rum, valetudinis recuperandae aeris mutatione requiritur specialis licentia R. Pontif. ita ut neque ad tempus aliquam Monialem de uno in aliud Monasterium etiam eiusdem Ordinis transferre Episcopus possit, etsi in superiorissam sit illa electa *S. C. Episc. et Reg. 16. Iul. 1884,* etsi in contrarium immemorabilis extiterit consuetudo *S. C. S. O. 22. Dec. 1880.*

(1) Quae *necessitas sit ex parte ipsius monasterii* non extraneorum: hinc Ordinarius nequit permittere ut in monasteria huic clausurae subiecta ingrediantur mulieres *pensionariae* S. C. Ep. et Reg. *16 Iul. 1884.* neque puellae educationis gratia, pro quibus recipiendis S. C. Ep. et Reg. conditiones apponit in pagella cuius Exemplaria scripta reperies apud Lucidi *de Visit. SS. lim. vol. 3. doc. 56.* Sit autem necessitas late sumpta seu moralis ex parte monasterii, ita ut sufficiat quaevis causa rationabilis seu probabiliter iusta. In necessitatibus quae moram non patiuntur, licentia requiri nequit *S. Lig. l. 7. n. 225.*

Episcopi *visitationis* aut alia *necessitatis* causa monasterium ingredi possunt, modo ipsos pauci iique seniores et religiosae personae comitantur. Greg. XIII. *Const. Dubiis 23. Dec. 1581.* - Idem in monasteria sibi subiecta licet Praelatis Regularibus *semel* in *anno;* quod si pluries opus esset, licet cum praesentia Episcopi dioecesani Alex. VII. *Const. Felici 10 Oct. 1664,* ita tamen ut iidem tantum *ad crates* possint examinare moniales, earum electionibus praeesse, ad habitum et Professionem admittere aut ad confirmationem.

Accessus et collocutio cum monialibus, si fiat absque legitima causa prohibetur clericis *c. 8. de Vit. et hon. Cler.* sub poena privationis officii ecclesiastici: Regulares vero ex Decr. Clemen. IX. peccant mortaliter accedentes sine legitima facultate ad colloquendum et *coerceri* possunt ab Ordinario ceu delegato Apostol. Sedis sub poena excomm. nec non privationis vocis activae et passivae.

Quibus in adiunctis clausuram violantes excommunicationem incurrant, cf. Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis.*

369. *Decl. 2. p.* Monasteria habent **ius** sua bona **administrandi.** *a*) Nativum enim ius administrandi est generatim et per se penes subiectum dominii proprietatis: atqui dominium proprietatis est penes ipsa Monasteria *ex c. Quoniam 68. Ca. 16. q. 1. Liberum est Monachis et spiritualibus viris.... decimas et oblationes cunctaque remedia concedere ei de iure suo in dominium illorum et usum transferre, c. Videntes Ca. 12. q. 1; b*) *ex DD. e. g. Suarez.* Unaquaeque Communitas, ait, ius proprium habet sua bona administrandi: sed quia istud ius nequit practice a tota Communitate exerceri, Praelato committi solet ipsius exercitium, vel cum omnimoda independentia, vel cum consensu Capituli, etiam cum facultate alienandi, modo non in detrimentum, sed in monasterii utilitatem id fiat. Quae porro potestas subordinata est R. Pontifici etiam ut administratori supremo rerum ecclesiasticarum. Dixi per *suos Praelatos* uti patet, qui contractus e. g. efficere semper debent nomine monasterii non autem Episcopi aut superioris ab ipso deputati, quia personae morales seu conventus obligantur, qui domini sunt. Ita tamen ut sine beneplacito Apost. Sedis nequeant alienari.... quia id vetat *Extrav. Ambitiosae* ampliata S. C. Concilii decreto approb. *ab Urb. VIII. 7. Sept. 1624,* ubi alienatio bonorum ecclesiasticorum immobilium et mobilium pretiosorum et omnes in eisdem enumeratae dispositiones inconsulto R. Pontif. peractae sub variis poenis prohibentur, si fiant extra casus a iure exceptos: videlicet extra necessitatem quando facile adiri potest Papa. Secus si ob famem pauperibus aliter subveniri nequit, si res servando servari non possent, si vendendae ob solvenda debita creditoribus per iudicem urgentibus, et in casu valde notoriae utilitatis; cuius opportuna eriperetur occasio si R. Pontificis consensus expectandus foret. (S. Ligor. *Theol. mor. l. 4. n. 187. notandum VI*). Quae omnia sicut caetera, quae forte ad licitam et validam alienationem requiruntur, patent ex iis, quae infra de iure comm. sumus dicturi. Patent et poenae, quae sunt excomm. maior ipso facto incurrenda ab alienantibus et recipere praesumentibus bona ecclesiastica.

370. *Decl. 3. p. Circa quam administrationem nil possunt Episcopi.....* Nam non pendent quoad alienationem exigentem beneplacitum Apostolicum; non quoad immobilia modici valoris si communitas sit exempta, neque quoad mobilia non pretiosa. Ratio est, quia cum praesertim regulares exempti sint, nullam in hos neque dominativam neque iurisdictionis habent potestatem, nisi in casibus a iure vel constitutionibus ordinis concessis. Secus de Communitatibus mulierum ex *Greg. XV. Const. Inscrutabili 5. Febr. 1622.*

371. Appendix De Tertiariis saecularibus. Ad formam Ordinum Regularium instituti sunt quidam coetus seu Ordines, qui illorum regulam ex parte saltem sequuntur. Origo si spectetur, indicat nobis Leo XIII. Encycl. *Auspicato* 17. Sept. 1882. scilicet postquam s. Franciscus Ordinem Minorum et alterum monialium instituisset «incredibile dictu est quanta inclinatione animorum ac prope impetu ad Franciscum turba raperetur. Assectabantur maximo concursu quocumque ille ingrederetur; nec raro ex oppidis, ex urbibus frequentioribus universi promiscue cives homini erant supplices, ut se vellet in disciplinam rite accipere. Quamobrem causa nata est viro sanctissimo, cur sodalitatem tertii Ordinis instituteret, quae omnem hominum conditionem, omnem aetatem, utrumque sexum reciperet, nec familiae rerumque domesticarum vinculum abrumperet». Unde exemplo s. Francisci quaedam aliae religiosae familiae suum Tertium habuerunt Ordinem. S. Sedes obligationes et privilegia Tertiariorum probavit, definivit. Cum duplex classis distinguatur Tertiariorum: altera *viventium collegialiter,* sive cum solemnibus, sive cum simplicibus votis; altera remanentium in saeculo, nos agimus hic de hac 2ª. classe, prout ad s. Franciscum Assisiensem refertur.

Porro dicuntur ordines *tertii*: ad distinctionem ordinis 1ⁱ. virorum et 2ⁱ. mulierum: *saeculares* quia personae, quibus coalescunt, manent in saeculo degentes atque ex stylo Curiae ii proprie dicuntur Tertii Ordines, qui ab Ordinibus regularibus proprie dictis instituti sunt: qui vero a Congregationibus religiosis orti sunt: ceu simplices associationes proprie habentur. Saeculares IIIⁱ. Ordines gaudent praecedentia super quascumque laicales confraternitates Bened. XIII. const. *Ad*

nostram audientiam, Bened. XIV. Const. *Emanavit nuper*: quae praecedentia eis competit sub propria Cruce vel Fratrum minorum. Tandem notamus *Decr. S. C. Indul. 16. Iul. 1887.* quod omnes utriusque sexus, qui sunt membra alicuius religiosi Instituti vel Congregationis, aut a R. P. vel ab Episcopo approbatae, in qua vota emittuntur simplicia, perpetua vel ad tempus, non possunt adscribi in III^{m}. Ordinem S. Francisci Assisien.

Porro ut hoc et alia Tertiariorum iura, officia, privilegia intelligantur, cfr. Const. *Nicol. V. Supra montem* 18 Aug. 1289; Leo XIII. Const. *Auspicato* 17. Sept. 1882, et lit. Apostol. 3. Kal. iun. 1883. (1).

(1) Ubi habetur I. Cooptatio, Tyrocinium, Professio sc. 1. solum maiores 14 an.; 2. nuptae nonnisi sciente et consentiente viro; 3. ad valide fruendum privilegiis adlecti scapulare parvum et cingulum deferant; 4. tyrocinium ponendum per integrum annum. - II. Disciplina vivendi h. e. 1. in omni cultu habituque teneant mediocritatis regulam; 2. a procacioribus ludis scenicis, choreis abstineant; 3. pastu et potu utantur frugaliter; 4. ieiunent pridie festi B. M. V. Immacul. et S. Franc. Patris; 5. singulis mensibus accedant ad S. exomolog. et Synaxim; 6. In familiari vita studeant ceteros exemplo antecedere; 7. caritatem benevolam inter se et ad alienos tueantur sedulo; 8. intersint quotidie sacro; 9. conferant in commune ad sublevandos pauperes, infirmosque visitandos; 10. pro sodali demortuo preces fundendae etc. - III. Officia advocatis ad conventum sodalibus deferantur. Eadem triennalia sunto. Curator i. e. Visitator diligenter quaeret satisne salvae leges; unde sodalium sedes quotannis circumeat, caetumque habeat Praefectis sodalibusque universis adesse iussis. Visitatoris munere laicis viris interdictum esto... Sodales *nec obedientes* et *noxii* iterum et tertium moneantur officii sui: ni pareant excedere ordine iubeantur... In his legibus, si qui forte quid deliquerint hoc se nomine culpam suscepturos nullam sciant. Si quae huius capita legis quemquam servare causa gravis et iusta prohibeat, eum ex ea parte lege *solvi,* eademve capita commutari prudenter liceat. - Tandem sequuntur indulgentiae plenariae et partiales nec non privilegia innumera, quibus Tertiarii fruuntur.

TITULUS XXV.

DE SEMINARIIS CLERICORUM.

DE ERECTIONE, DOTATIONE, REGIMINE SEMINARIORUM (1).

Summarium. — « Sapientissimae ab Ecclesia et nominatim a Trid. Sess. 23. c. 18. de R. determinatae sunt leges circa 1) erigendas 2) dotandas, et 3) moderandas ecclesiasticas domos, seminaria dicta seu Clericorum Collegia ad hoc instituta ut Clerici optimis imbuantur moribus ac bonis literis, scientiisque ecclesiasticis ibidem ad eum finem instruantur, ut idonei fiant Ecclesiae ministri ».

372. Praen. I. *Ab Ecclesia...* ut indicaretur nexus historicus inter erectionem Seminariorum per Trid. iussam et praecedentem disciplinam in Ecclesia de Clericorum institutione: uti patet ex historicis monumentis de scholis monasteriorum et Ecclesiarum Cathedralium deque Universitatibus studiorum,

(1) Competit Ecclesiae Christi ius exclusivum in seminaria absque civili potestate. Est enim societas perfecta ita ut sibi consulere valeat de omnibus mediis necessariis ad finem suum perfecte assequendum: at nil magis necessarium fini Eccl. quam ut « optimorum sacerdotum sobolescat copia, qui virtutum omnium ornatu fulgentes ac sana solidaque pollentes doctrina valeant proprii ministerii muneribus pie sciteque perfungi, christianam plebem sedulo erudire, animarum saluti accurate consulere, errantes ad veritatis et iustitiae semitam reducere ac Dei et S. Ecclesiae causam strenue scienterque defendere » *Litt. Pii IX. Cum Romani 27 Iun. 1853.* – Hinc RR. Pontifices et catholici Episcopi omnem curam gesserunt ut canditatos s. ordinis contubernia constituerent in quibus eos.... ad literas, ad severiores doctrinas et praecipue ad mores sua vocatione dignos excolerent. Cf. Leonis XIII. *encycl. Iam pridem 6 Ian. 1886.* Hinc fecerunt clericos immunes a militia *Syll. prop. damn. 32.* Sit igitur integrum, sit liberum ius et potestas Episcopis in seminariorum palaestra mansuetae Christi militiae fingendae conferre operam, sit integrum sacerdotes iudicio deligere alios aliis ministeriis praeficiendos ac nulli impedimento obnoxios pastorali suo munere tranquille perfungi. Leo XIII. *l. c.* Dixi *exclusivum* ius arg. ex damn. Syll. prop. 33; ob omnimodam independentiam competentem Ecclesiae a Soc. civili. Leo XIII. encyc. cit. nemini dubium esse potest, non aliis, quam Episcopis ius munusque esse docendi et instituendi iuvenes, quos Deus singulari beneficio ex hominibus assumit ut sint ministri sui ac dispensatores mysteriorum suorum.

praesertim a saec. VI. constructas fuisse domos, in quibus Clerici communem vitam traducerent, atque ad omne clericale munus sese idoneos redderent. Et merito iam a remotissimis temporibus Sacri Antistites maioresque nostri severiori ministros Ecclesiae disciplina informare non destiterunt: semper enim prae oculis habuere, omne societatis bonum praesertim Ecclesiae a recta puerorum institutione pendere nominatim Ecclesiasticorum ministrorum; qui ad sublimia, ingentia, supernaturalia, heroicae virtutis actus a teneris unguiculis pro se et Christi populo assuescere omnino deberent. Hinc etiam merito Trident. eiusmodi Clericorum institutionem meliori ratione determinavit, ut rectius quo fieri posset sub Episcopi cura et gubernatione educarentur atque in spem totius Ordinis clericalis alerentur adolescentes, qui optimis imbuti moribus doctrinisque virorum ecclesiasticorum propriis eruditi, inter clericos cooptari sacrisque initiari ordinibus possent. II. Praeter *Trid. cf. Bened. XIII. Const. Creditae nobis 67. et Bened. XIV. De Syn. l. 5. c. 11. Const. Ubi primum et Instit. 59. Zamboni Collect. Declarat. S. C. C. v. Seminarium* (1).

373. *Decl. 1. p.* Itaque ad quaest. **an facienda sit erectio**? Resp. iuxta *Trid. l. c.* omnino facienda est. Si qua dioecesis adeo pauper sit, ut sufficiens redditus ex ea cogi nequeat ad Seminarium constituendum, ita supplendum est, ut vel synodus Provincialis vel Metropolita una cum duobus antiquioribus suffraganeis ex duarum vel plurium dioeceseon redditibus illud erigant sive in Ecclesia ipsa Metropolitana, sive in alia commodiore Ecclesia, ubi Clerici ex duabus illis vel pluribus dioecesibus collecti instruantur (2).

(1) Maxima utilitas ex Trid. *l. c.* ex Pallavic. *Histor. Conc. Trid.* l. 21. c. 8. n. 3. - Clem. VIII. *Ea semper* 23 Iun. 1592. Benedict. XIII. *Creditae nobis* 7. Mai. 1725. Pii IX. *Cum Romani* 27 Iun. 1853. Encycl. *Inter multiplices* 21 Mart. 1853. Leo XIII. ad Episc. Italiae *Etsi nos* 15. Feb. 1882. et ad Ep. Hungariae Lutitaniae, Borussiae, Bavariae. — Cf. et penes Lucidi de Visit. ss. Lim. c. 1. n. 122. ubi cura patet S. C. C.

(2) Heic ut spatium aliquod proportionatum transigant omnes clerici, potest Episcopus praescribere, unde fit ut idonei dumtaxat in Clerum adsciscantur qui vocationis suae indicia minime dubia praebuerint. Ad rem can. 4. dist. 23. Bened. XIV. de Syn. l. 11. c. 2.

Ubi autem? Resp. prope Ecclesiam Cathedralem, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo. Erigi autem unum vel plura debent arbitrio Episcopi, prout exigit dioecesis amplitudo: ut, ubi duae Ecclesiae aeque principaliter unitae sint, utrobique sit erigendum.

374. *Decl. 2. p.* **ad dotationem seminarii** efformandam, praeter alia media a Trid. *l. c.* excogitata praecipue ceu fontes aperti sunt, unde redditus haurirentur, ipsa sc. beneficia, ex quorum fructibus aliqua pars detraheretur, *taxa Seminarii* dicta. Et generatim dos proprie dicta peti debet: 1. Ex reditibus mensae episcopalis ceterorumque beneficiorum pro rata reddituum solutionis, modo ab Episcopo constituto. 2. Ex unione beneficiorum simplicium, quae tamen sine detrimento cultus divini fieri possit, et sine praeiudicio ea obtinentium.

375. *Decl. 3. p.* Quoad **regimen** consideranda veniunt I. *Puerorum admissio,* quae has exigat conditiones 1. ut sint legitimi (adeoque ne *legitimati* quidem, intellige per rescriptum principis): 2. ut saltem sint duodennes, h. e. duodecimum *saltem attigerint* annum: 3. legendi et scribendi periti: 4. ut sint bonae indolis, et ut *spes sit* eos ecclesiasticis se perpetuo ministeriis addicturos.

II. *Puerorum educatio* quoad scientiam et quoad mores. Et 1°. *quoad mores,* tenet omnes alumnos Missa quotidie audienda, confessio saltem menstrua et Communio, Confessoris iudicio. Iubet insuper Trid. ut quilibet alumnus diligens sit: adeoque dyscoli et incorrigibiles acriter puniantur, et, si opus fuerit, expellantur. 2°. *Quoad scientiam* iubet s. Synodus ut in illis scientiis versetur educatio, quae necessariae sunt ad ministeria ecclesiastica recte administranda. In specie tradantur grammatica, cantus Gregorianus (*ut Bened. XIII. Const. Creditae*), computus ecclesiasticus, notitia rituum et caeremoniarum, scientiae ipsae sacrae, e. g. S. Scriptura, Homiliae sanctorum, libri ecclesiastici, Theologia universa, praesertim quae sacramenta tradenda respiciunt, atque maxime ad audiendas confessiones sint opportuna. Denique in Cathedrali aliisque Ecclesiis diebus festis inserviant.

III. *Administratio bonorum* et recta Seminarii procuratio iuxta Trid. exigit, ut Episcopo in iis sint a consilio periti sa-

cerdotes quatuor, quorum duo a Capitulo Ecclesiae Cathedralis, atque alii duo e clero civitatis sint adlecti: ex utraque classe unus eligitur ab Episcopo, alter a suo Collegio vel Clero totius dioecesis. – Videtur addenda esse deputatio tertia quatuor virorum ecclesiasticorum, coram quibus deputatis (duobus item a capitulo et duobus a Clero civitatis electis) et Episcopo ratio reddatur quotannis a Seminarii administratoribus: at s. Cong. Concilii non semel declaravit deputationem ad reddendam rationem eamdem esse quae pertinet ad bonorum temporalium administrationem.

IV. *Personae tandem in quibus residet regimen* est Episcopus, qui tamen uti debet consultorum consilio, licet illud sequi non teneatur. Quamvis enim seminarii administrandi ac bene regendi onus omne sit Episcopo impositum, quod ipse maiori qua potest diligentia sustinere ac tueri debeat; tamen ut res gravissima diligentiori gubernatione regatur, Episcopus a Trid. iubetur alios duos sibi adsciscere canonicos seniores gravioresque e Capitulo Cathedralis pro interno seminarii regimine, quorum consilio utatur ad alumnorum institutionem, disciplinam, et cetera huiusmodi moderanda, quosque, nisi iusta adsit causa, inamovibiles esse oportet. Dixi: qui tamen *uti debet*.... ut indicaretur horum ad internum regimen deputatorum consilium *exquirere* teneri Episcopum, sed non sequi; Deputati autem sive pro administratione bonorum, sive pro excipienda ratione ab administratione seminarii, ita audiri debent ab *Episcopo, ut iis non auditis* acta sint irrita, non tamen tenetur sequi eorum consilium, neque in determinanda taxa, quae seminario solvatur.

Nonnulli Episcopi seminarium regendum tradunt alicui religioso ordini: et tunc inter Episcopum et ordinem religiosum res bene componenda ita, ut et maneat Episcopo ius insitum seminarii gubernandi, et Regularibus tum privilegium exemptionis, tum essentialis dependentia a suis superioribus.

TITULUS XXVI.

DE HOSPITALIBUS ET LOCIS PIIS.

Summarium. — 1) Ad res ecclesiasticas pertinent hospitalia et reliqua loca pia; 2) in quae iurisdictio quoad spiritualia penes Episcopum semper est: quoad temporalia ius pariter ipsi inest ea visitandi atque administrationis rationem exigendi. 3) Ipsorum tandem locorum piorum iura varia indicantur (1).

376. *Decl. 1. p.* **Notio.** Hospitalia sive etymologice sumantur h. e. ab hospitio dicta, peregrinis recipiendis curandisque no-

(1) Secondo le leggi italiane vigenti le istituzioni di pubblica beneficenza sono soggette alla tutela dello Stato. Quest'abusiva ingerenza dello Stato, già affermata colla legge del 3 Agosto 1862, che riproduceva i principî delle leggi dell'ex-regno Sardo, venne ancor meglio determinata colla legge 17 Luglio 1890.

Questa comincia col dichiarare nell'art. 1. che:

« Sono istituzioni di beneficenza soggette alla presente legge le opere » pie ed ogni altro ente morale che abbia in tutto od in parte per fine:

» *a*) di procurare l'assistenza ai poveri tanto in istato di sanità quanto » di malattia;

» *b*) di procurare l' educazione, l' istruzione, l' avviamento a qualche » professione arte o mestiere, od in qualsiasi altro modo il miglioramento » morale ed economico ».

La stessa legge detta le norme per la nomina degli amministratori e per la contabilità (art. 18-34), e stabilisce che le cause di responsabilità dipendenti dalla gestione amministrativa, debbono agitarsi avanti i tribunali ordinari (art. 30). Enumera quindi gli atti delle opere pie che sono soggetti all'approvazione della Giunta Provinciale Amministrativa, cioè i bilanci, i contratti di acquisto, le locazioni etc. (art. 35-53).

Finalmente sulla legge stessa, arrogandosi lo Stato la facoltà di immutare le ultime volontà dei defunti, ordina che l' amministrazione di alcune opere pie, e specialmente delle opere pie elemosiniere ed entro certi limiti anche degli ospedali, sia sottratta agli amministratori designati nelle tavole di fondazione, e venga concentrata nelle locali Congregazioni di carità (istituti laicali con membri eletti dai Consigli Comunali) ed inoltre che vengano trasformate e dirette ad altri scopi quelle istituzioni, cui sia venuto a mancare il fine, o che più non corrispondano ad un interesse della pubblica beneficenza (art. 54-71).

Contro il Decreto reale di concentramento o di trasformazione è data facoltà di ricorrere al Consiglio di Stato. Molti amministratori servendosi di questo mezzo, sono riusciti a sottrarre alcune opere pie alle ingiuste pretese del Governo.

mine Christi et intuitu pietatis christianae destinata, sive sensu reali et eccl., ea loca sc. in quibus publice exercitium christianae charitatis exhibetur, semper religionis ac pietatis exercitium spectant. Ita *pia* loca accipiuntur a DD.: instar omnium *Schmalz. in t. 36. de relig. dom. n. 2.* « domus religiosae in sensu specifico seu non sacrae, in quibus citra consecrationem sed auctoritate Episcopi pietatis et misericordiae opera exercentur, ut sunt monasteria, Collegia ceteraeque domus Regularium: item Xenodochia in quibus peregrini, nosocomia in quibus aegroti, orphanotrophia in quibus orphani recipiuntur et substentantur ». Quibus adde ptochotrophia pauperibus sustendandis, gerontocomia alendis senibus, brephotrophia nutriendis infantibus comparata. – Christum Dominum pellucentia huius pietatis exempla praebentem imitata est Eccl. semper iam a primo suo ortu, per instabilia instituta primum, tum per firmiora ac securiora a saec. IV. deinceps providit. Atque adeo sicut Eccl. infallibili atque indefectibili unitati auctoritatique supremae debetur salus ac integritas fidei et morum, ita etiam per eius stabiles leges et pia loca stabiliter constituta, firmitas et constantia in bene coeptis fidelium ad perpetuum solamen egenorum obtineretur. – Christiani occidentales praesertim hac in re laborarunt saec. VIII. et IX. cum omnia fere monachorum monasteria et canonicorum Collegia coniunctas haberent aedes, quae pauperibus, aegrotis ac peregrinis essent praesidio *cf. Thomass. vet. et nov. Eccl. discipl.* Hoc autem pietatis exercitium in locis piis nunquam defecisse opera Catholicorum, cernere est vel in una Urbe aut in Galliis, ubi passim eriguntur atque erecta manent eiusmodi instituta. Porro in tota antiquitate apparet omnia haec semper et ubique subiecta fuisse Episcopis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, donec laicalia inter et ecclesiastica discrimen fieret.

Igitur loca pia diducuntur in ecclesiastica et laicalia: illa sunt, quae Episcopi auctoritate erecta demonstrantur, haec autem quae civili auctoritate constituuntur. Hinc duobus opus est ut locus pius sit religiosus sive ecclesiasticus: 1°. ut ad pium usum inserviat *sive religionis* opus sit e. g. monasteria, confraternitates laicorum,.... *sive charitatis* e. g. orphanotrophia, hospitalia: 2°. ut auctoritate episcopi sit erectus sive in ipso limine

fundationis sive postea. Unde non sunt religiosa oratoria privata, hospitalia a laicis erecta, adeoque nec Ordinarii iurisdictioni subiacent, nec asyli immunitate gaudent. Inde etiam patet ad dignoscendum utrum loca pia sint laicalia aut ecclesiastica, per se non sufficere ecclesiasticam administrationem, aut habere adnexum oratorium: quae duo simul si semper fuerunt exhibent probabile indicium.

377. *Decl. 2. p.* **Quis iurisdictione gaudeat in hospitalia et loca pia**. Ad iurisdictionem quod attinet in haec loca pia, in iis quae spiritualia sunt, semper et in omnibus viget potestas dioecesani Ep. intra cuius fines sunt talia loca, ita ut fundatam de iure communi habeat intentionem, nisi peculiari apostolico privilegio sint omnino exempta ab Ordinarii iurisdictione et visitatione, et alteri Episcopo seu Praelato subdantur. Asserenti autem exempta esse, onus probandi incumbit. Quoad vero temporalia adhuc ius inest Episcopis visitandi loca pia, atque sive in, sive extra visitationem ab administratoribus rationem exigendi, ad hoc ut constet, an leges statutae serventur et piorum locorum bona in eos usus rite erogentur, quibus sunt destinata. Id autem exequuntur Episcopi auctoritate ordinaria et propria in non exempta; et tamquam delegati Apost. Sedis in exempta, nisi haec etiam quoad hoc excipiantur specialissimo privilegio, prout a Conc. Trid. excepta sunt Hospitalia, quae sub immediata Regum protectione reperiuntur. *Conc. Trid. Sess. XXII. c. 8. de R.*

Ad laicalia quod spectat, generatim haec e. g. hospitalia, si saeculari dumtaxat auctoritate sint erecta, Episcopi dioec. iurisdictioni non subsunt *cf. Fagn. in c. ad haec De Relig. dom. n. 51. Reiff. n. 8.* Unde haec neque Ep. visitationi subsunt, cum visitatio actus sit iuridictionis. Quid si dicatur videri Trid. subiicere laicalia visitationi Episcoporum omnia loca pia, etiam quorum cura ad laicos pertinet? R. cum Schmal. l. c. ibidem additur *in casibus* a iure concessis et iuxta ss. canonum statuta *S. C. C. apud Fagn. l. c. n. 54.* – Nihilominus fundatore mortuo, inspicere potest « utrum secundum defuncti voluntatem cuncta procedant » (*c. 17. de Testam.*); adeoque rationes exigere quotannis administrationis, nisi vel sub Regum immediata protectione sint, vel aliud in limine fundationis cautum fuerit.

Cfr. D'Annib. summ. v. 3. de locis sacris – sic etiam Card. De Luca, qui agens de Conservatoriis saecularibus, ex ecclesiastica et civili potestate *mixtum* in toto ponit regimen, et distinctum in parte; ita ut quae religionem tangunt ab Episcopo, et, quae ad regimen temporale et oeconomicum referuntur, a principe vel magistratu dependeant. Et ratio quae ab eodem Card. *(De Reg. disc. 50. et de iurisdict. disc. 45)* est, tum quia talia loca non inter eccl. a DD. recensentur, tum quia in praxi ita observatur. Hinc sequitur quod I. spectat ad Episcopum probare institutum, permittere functiones, videre an onera missarum adimpleantur, an eccl. ritus serventur, et alia omnia dirigere, quae spiritualia sunt vel cum spiritualibus necessario coniunguntur, e. g. ipsae Ecclesiae vel oratoria confraternitatum et bona, quae ad ipsas Ecclesias vel oratoria pertinent: quod II. cum in iis, quae circa temporale et oeconom. regimen versantur praedicta instituta pendeant a potestate civ.; non subiiciuntur Episcopo causae iudiciales, contractus bonorum administrationes, acquisitiones et alienationes *Card. De Luca in Miscell. disc. 1. n. 34. et alien. n. 11. Devoti de Confraternit., Ferrari Ioseph. Instit. can. § 245-250.*

378. *Decl. 3. p.* **De privilegiis locorum piorum.** Locis piis quaedam iura ac privilegia, quae varia sunt prout ecclesiastica differunt a laicalibus. Nam illa gaudent privilegiis, iuribus, immunitatibus, quibus gaudent Eccl. bona quaecumque: et quibus certe loca laicalia destituuntur: illa gaudent iure sepeliendi, administrandi sacramenta, fori ecclesiastici. At laicalia fruuntur solum electione fori, omnibusque aliis privilegiis quae a iure causis piis conceduntur. Et quamvis solemnitates iuris per se non tenerent loca pia laicalia, quibus tamen tenentur ecclesiastica pro alienatione rerum; tamen s. Cong. praxis contraria est.

379. Tandem sequitur ex dictis auctoritatem civilem nullum ius habere alienandi pro lubitu bona locorum piorum etiam laicalium independenter sc. ab Eccl. Haec urgere debet executionem voluntatis seu finis praestituti a fundatoribus: secus sacrilegii vel iniustitiae arguitur civile gubernium, prout ecclesiastica vel laicalia sunt pia loca.

Summarium. — 1) **De Confraternitatibus laicorum, quarum sedes merito inter loca pia et ecclesiastica recensentur breviter indicatur,** 2) **erectio canonica,** 3) **sodalium adscriptio,** 4) **regimen quoad statuta conficienda, conventus celebrandos, officiales et confratres eligendos, bona administranda, subiectionem Parochis servandam.** 5) **Quaenam conditiones ut sodales iuribus, privilegiis et indulgentiis frui valeant.**

Notio. Sedulo distinguendum est inter sodalitia, quae strictiori sensu Collegia aut Societates dici possunt ad modum corporis organici constitutae, et quae *latiori* modo seu vinculo sociali colligantur. Dixi strictiori.... quia latius sumptae « coniunctionem in fraternitate sonant sicut consanguinitas in sanguine, seu fidelium congregationes in unum quandoque convenientium ad quaedam pietatis officia obeunda ecclesiastica auctoritate institutae. Latissime vero nuncupantur tales, quae nihil aliud sunt nisi piae Uniones et congregationes. - Porro confraternitates proprie dictae, sive latius sive strictius sumantur sunt Societates laicorum, Ecclesiae auctoritate institutae ad exercenda opera pietatis vel charitatis et in augmentum publici cultus ». *Cf. Melata egregium Manuale Indulg. art. 1. § 1.*

380. Erectio canonica, quae est actus legitimae auctoritatis, quo Confraternitas in suo esse iuridico constituitur, ita ut in Ecclesia personalitatem moralem acquirat. Erigere possunt huiusmodi confraternitates *potestate ordinaria* Rom. Pontifex pro universa Ecclesia, Episcopus pro sua dioecesi, non autem Vicarius generalis nisi habeat speciale mandatum: potestate autem *delegata* ii omnes, quibus ab habente ordinariam sit facultas, e. g. Superiores Missionum, qui a R. Pontifice per *S. C. de P. F.* ad id delegantur. - Sunt et Generales religiosorum Ordinum, qui ex privilegio aliquas erigere possunt cumulative cum Episcopis, aliquas vero exclusive ipsi soli possunt, praevio tamen Ordinarii loci consensu ac testimonialibus literis, quibus Confraternitatis erigendae pietas et christianae charitatis opera, quae exercere cupit, commmendentur *Clem. VIII. Const. Quaecumque 7 Dec. 1604.* Quae porro canonica erectio necessaria prorsus est, quoties aggregari velint alicui

Archiconfraternitati, haberi ut locus pius ecclesiasticus, iuxta rub. *De relig. dom.,* eius frui iuribus et privilegiis et generatim ad iuridicam existentiam, ut per se patet. Leges, quas Papa inferiores servent oportet in erigendis Confrat., sunt: sc. 1°. Unica tantum confraternitas eiusdem Instituti et generis potest in Ecclesiis tam saecularium quam regularium institui et aggregari. 2. Ad erectionem huiusmodi Confraternitatis requiritur, ut alia similis confraternitas in alio ad tria milliaria propinquo loco erecta non fuerit *S. C. I. 8. Ian. 1861.* 3. Ita tamen ut haec prohibitio non intelligatur de Congregationibus ante Bull. Clem. VIII. publicatam iam erectis *Ferraris V. Confraternitas a. 1. n. 29:* atque 4. ab ea excipiendae quoque sunt, ex benigna S. Sedis concessione, confraternitates. *Beringer des indulgences l. c. § 4;* quod intellige ex *ipso iure,* e. g. Confraternitates SSmi Sacramenti et Doctrinae Christianae quae in qualibet paroecia fundari possunt. Excipiuntur omnes congregationes Marianae: exceptae quoque sunt Societates filiarum Mariae *Decr. 416. 30. Aug. 1866.* – 5. Ut non erigantur in aliqua Ecclesia Monialium: neque expedit eas erigi in Ecclesia communitatum foeminarum quasi religiosarum.

Nulla determinata formula Episcopo in erigendis confraternitatibus iniuncta est: superioribus vero Regularium, qui gaudent privilegio erigendi confraternitates et congregationes, a S. C. I. praescripta est formula decr. 8. Iun. 1861. quo confirmatur et in vigorem revocatur c. Const. Clem. VIII. Haec porro formula est etiam saltem in substantialibus servanda ab Archiconfraternitatibus et Congregationibus pro *aggregatione* aliarum Confraternitatum et Congreg. *S. C. I. 19. Oct. 1866.*

381. **Legitima** Sodalium **Adscriptio** *formalis,* seu actus, quo quis ad normam iuris et cuiusque associationis propriam inter membra alicuius confraternitatis seu Congregationis recipitur, necessaria est tum ut talis confraternitatis fiat membrum, tum ut lucretur indulgentias illi concessas. Materialis autem inscriptio nominum scil. novorum sodalium in sodalitatis registris, (quae non est aliud nisi testimonium permanens receptionis ab eo datum, qui in confraternitatem cooptat), quamvis non sit de essentia, est tamen de integritate cooptationis. Porro quoad *cooptandum* hic debet esse membrum Ec-

clesiae, habens intentionem ut in numerum fratrum recipiatur; praesens autem sit regulariter praesentia personali. Sufficit autem praesentia coram quocumque, qui ubilibet delegatam vel subdelegatam recipiendi habeat facultatem: unde non sufficit moralis aut interpretativa praesentia. Dixi *regulariter:* quia dantur exceptiones plures vel ex peculiari sodalitatum quadam constitutione, vel ex specialibus quarumdam privilegiis, vel ex intrinsecis adiunctis, aut ex benigna Apostolica dispensatione, ita S. C. I. providens pro opportunis dispensationibus. Generatim conceditur moderatoribus eorumque delegatis, ut in casibus singularibus dispensare possint a statuta forma inter praesentes et absentes, etiam per singularem seu extraordinariam exceptionem. *S. C. I. Decr. 453. 26. Novem. 1880.* Quoad *adscribentes,* hi erunt quos designant propria confraternitatis statuta. In Confraternitatibus late sumptis hic est Director seu Moderator ipsius confraternitatis qui ordinarie ab Episcopo designatur. Quoad *formam* seu *modum* adscribendi decet omnino, ut ipsa inscriptio serio ac devote, certo aliquo modo fiat, ac *debita forma.*

382. Regimen quoad *statuta*: licet haec sibi quaelibet sodalitas condere possit; tamen ab Ordinario sunt confirmanda, qui ex rationabili causa poterit illa revocare et mutare. Dicta porro statuta, praeter finem et media ad finem sodalitii proprium obtinendum, contineant oportet regulas pro sociorum admissione, pro moderatorum et ceterorum officialium electione, pro comitiis habendis, pro rebus administrandis. *Cit. Const. Clem. VIII.* quoad *conventus celebrandos,* generatim possunt congregari ubi et quoties ei placuerit etiam absque Episcopi licentia: in quibus per se aut per delegatum potest adsistere Episcopus, ita tamen ut *solita* exercitia nequeat prohibere aut restringere, bene quidem *insolita,* si talia esse existimet, quae offensionem aut scandalum excitare possint. *Ferraris V. Confrat. n. 29.* et seqq. quoad *electionem:* quamvis electio sive confratrum sive Officialium ad confratres pertineat, neque possit episcopus confratres expellere, aut novos admittere; tamen gravi de causa potest Episcopus electos officiales provisorie suspendere novosque sufficere, ne causa pia detrimentum patiatur. Quoad *bona administranda* sodalitas ha-

bet ius ad hoc, absque dependentia a parocho: ita tamen ut Episcopus provideat, ut haec bona in usum determinatum a statutis sodalitatis impendantur iuxta fundatorum intentionem, atque ab administratoribus rationem reddi sibi omnino possit cogere; Trid. *22. c. 9. de R.;* et ipsi administratores eleemosynas facere nequeant, nisi iuxta formam ab Ordinario praescribendam.

Ex dictis patet qualem servare debeat Confraternitas dependentiam 1. *erga episcopos.* Ex dictis Episcopus habet *a*) ius eam approbandi et erigendi: *b*) confirmandi et mutandi et corrigendi statuta: *c*) assistendi per se aut per delegatum comitiis: *d*) cogendi confraternitates stricte sumptas, quae utuntur sacco ad conveniendum processionibus: *e*) visitandi omnes confraternitates cum limitationibus statutis tit. *De religios. dom.* erectis etiam in Eccl. Regular. *Bened. XIV. Instit. 105.* 2. Quoad *parochos.* Confraternitates erectae in Ecclesia parochiali vel in oratoriis tam publicis quam privatis parochiali ecclesiae adnexis pendent a parocho quoad omnes functiones ecclesiasticas, etiam non parochiales *S. C. R. Decr. 10. Dec. 1703. n. 1. et 2,* quae vero sunt erectae in Ecclesiis publicis ab ecclesia parochiali seiunctis non pendent a parocho in iis, quae referuntur ad functiones mere ecclesiasticas, nec munia parochorum propria reputantur.... cetera *cf. cit. decr. S. C. R. 1703.*

383. Quoad Indulgentias notamus 1. ex ipsa sua erectione confraternitates nullo indulgentiarum privilegio fruuntur, sed S. Sedes adeunda, quae si alias confraternitas aggregata non sit Archiconfraternitati benigne precibus annuit. 2. Aggregatio fit Archiconfraternitati ad obtinenda privilegia et indulgentias per huius officiales: 3. ita ut aggregari non possit quae alteri Arciconfraternitati fuerit aggregata: 4. facienda sit aggregatio de consensu Ordinarii eiusque literis testimonialibus *Clem. VIII. Const. c.* Neque tales indulgentiae promulgandae absque praevia cognitione Ordinarii *S. C. I. 8. Ian. 1861.* 5. Ea tantum privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta quae ipsi Ordini, Religioni, Instituto erigenti seu archiconfraternitati aggreganti nominatim et in specie, non autem quae per *extensionem* vel *communicationem* sibi quovis modo concessa sunt: et illa quidem non sub ge-

nerali formula verborum sed *expresse* et in *specie tantum* archiconfraternitates communicare valent. *Clem. VIII. Const. cit.* § 4. Hinc Regulares cuiusvis Ordinis non possunt Confraternitatibus communicare indulgentias ipsis Regularibus concessas, sed illas tantum quas ut huiusmodi *confraternitatibus communicent* facultas eis specifice et nominatim per Sedem Apost. concessa fuerit. *Cf. Melata l. 6.* hac de re egregie scribentem: Bassum et alios Auctores ab illo citt. Notamus tandem confratres infirmos, vel carcere detentos, iisdem omnibus et singulis indulgentiis gaudere posse, quibus ceteri gaudent confratres, sic ut, omissa visitatione Ecclesiae, *alia pia opera* a discreto confessario iniuncta, quae pro viribus peragere possunt, fideliter ac devote exequantur.

Cf. Quoad historiam Pastor Storia de Papi *tom. 3.*

TITULUS XXVII.

DE SEPULTURIS ET COEMETERIIS.

Summarium. — Coemeterii et sepulturae 1) **notione tradita,** 2) **huius varia in Eccl. indicatur disciplina,** 3) **triplex species distinguitur et adsignatur sua cuique, e. g. Religiosis, impuberibus, parochianis, nec non quibus sit quae iam fuerit a maioribus electa:** 4) **ostenditur autem quinam donandi aut privandi sint ecclesiastica sepultura:** 5) **quam si quis violaverit suas dabit poenas.** 6) **Tandem ius proprium parochi in funeribus exhibetur sepeliendi, interveniendi atque emolumenta percipiendi.**

384. *Decl. 1. p.* **Quid sepultura.** Coemeterium latine sonat locum dormitionis, seu in quo cadavera fidelium conquiescunt; si contiguum est Ecclesiae, uti pars eius habetur: tamen utrumque est benedicendum, et eodem quo Ecclesia ritu benedicitur. Quae loca seu sepulturae sepeliendis Christianorum cadaveribus destinatae iam inde ab antiquis Ecclesiae temporibus appellantur *coemeteria,* quasi fidelium corpora iacerent in loco dormitionis, ubi dicant *expecto donec veniat immutatio mea:* et unde, Christo adveniente, excitabuntur, quando *tuba mirum spargens sonum per sepulcra regionum coget omnes ante thronum:* imo ex ipsa SS. Scriptura nomen est « nolo vos

ignorare fratres *de dormientibus* » *1. Thess. IV. 12.* in quae serm. de Parascev. *Chrysost.* «ante *Christi adventum,* ait, *mors mortis nomen habebat: at postquam Christus venit et pro mundi vita mortem subiit, non amplius vocatur mors sed somnus et dormitio* ».

Re et usu spectata coemeteria solent definiri « *loca religiosa solemni Episcopi benedictione humandis fidelium cadaveribus addicta, eaque prope ipsas Ecclesias sita esse solent* » Devoti *Inst. can. l. 2. § 3.* Ast quando DD. de sepulturis agunt *h. t.* sumunt plerique tum pro loco deputato et solemniter benedicto ab Episcopo, tum pro ritu sepeliendi, tum pro iure sepulturae: ita et nos: scil. sepulturam spectamus non quocumque modo, sed sacram et ecclesiasticam, i. e. pro loco *auctoritate Ecclesiastica ad religiosum sacrumque finem deputato cum solemni benedictione* seu ritu sacro, quo benedicuntur Ecclesiae. « Unde 1) ad Christianam sepulturam pertinet humatio in loco sacro et adhibitio ritus sacri; uti patet ex rituali rom., in quo recensentur Ecclesiae leges circa funera; 2) sequitur quod *locus sacer seu coemeterium omnino iurisdictioni Ecclesiae subsit,* iis solum exceptis, quae ad sanitatem publicam vel etiam ad modum rectae constructionis spectant. Ex iure enim gentium et sociali Ecclesia potest haec loca religiosa et sacra facere, eaque sibi suisque exclusive reservare ad cadavera pie decedentium in Christo humanda, separata sc. communi ethnicorum aliarumque confessionum sepultura: atque ita egit semper ut huiusmodi loca in dominium Ecclesiae transierint; cuius auctoritate deputata sunt, specialibus ritibus benedicta: unde haec non pertinent ad bona publica omnibus communia. Sequitur 3) circa iura spiritualia cum coemeteriis connexa, et speciatim quinam sepultura ecclesiastica in coemeterio catholico donandi, quinam privandi civile gubernium disponere haud posse. Quod mirum videri non debet, si Eccl. loca ita deputaverit pro fine suo pientissimo ad religionem spectante, sc. quia voluit ut cadaverum pie defunctorum conditio sit veluti continuatio conditionis, qua fideles viventes in participatione bonorum spiritualium ad invicem consociabantur: unde *ex c. 12. de sepult.* ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis. Vel ex ipsa humani generis historia constat universim

sepulcri religionem vel apud barbaras, nedum apud excultas, gentes sancte usque servatam fuisse.

385. *Decl. 2. p.* **Notae historicae quoad sepulturam.** Varia disciplina Ecclesiae pro sepulturis. Nam non semper sitae aut intra aut extra urbes. *a*) Ab initio omnia coemeteria extra urbis moenia constituebantur. Baronius in suburbanis Romae numerat 43; quorum nomina refert Panvinius. *Iustinianus L. 3. D. de sep. viol.* § *5. D. Adrianus* rescripto poenam statuit 40. aureorum in eos, qui in civitate sepeliunt. Quod ius erat XII. tab. saepius confirmatum et traductum ad omnes civitates. Huic prohibitioni in iis, quae christianae Religioni non adversarentur, parebant fideles *arg. ex Rit. rom.* « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in coemeterio, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur ». Erat in usu apud ethnicos crematio, sed parta Ecclesiae pace, iam etiam apud illos aboleri coepit cadaverum crematio, atque infra terram integra condi cadavera.

At post saec. IV. cum plures extructae essent Ecclesiae etiam coemeteria *prope ipsas,* praesertim parochias extrui coeperunt. Dixi *parochias* ut scilicet ad eas merito fidelium corpora conderentur, in quibus dum viverent Sacramentorum fuissent participes. Quin imo fideles sepulturam *ipsis in Ecclesiis* constituerunt hoc ordine, scilicet imperatoribus primum, tum Episcopis presbyteris, religiosis viris, sacris virginibus aliisque dignitate conspicuis: serius autem omnibus in Christo pie decedentibus non solum ob honorem, quod ibi conderentur fidelium cadavera, ubi exuviae Sanctorum publice colebantur, sed quia « a *maioribus provisum est* » aiebat s. Maximus Episcopus Taurin. ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos Christus illuminat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat ». Hinc omnium fidelium votum sua reponendi ossa in domo orationis et prope venerandas Sanctorum reliquias, quorum credunt se facilius obtenturos patrocinium, adiuvantibus continuis fidelium precibus. Dixi *praesertim,* quia ius tumulandi eos, qui ibi sepeliri elegerint etiam Regularium ecclesiis apostolico privilegio tributum fuit FF. Dominicanis et Franciscalibus primum, tum Regularibus ceteris, ita ut fideles acquisierint libertatem sepulturam parochialem deserendi et cadavera sepeliendi, initio quidem in Regularium

Ecclesiis, et deinceps in aliis, servata semper parocho defuncti parte, ut aiunt, *funerali.* Hinc ortum ius novissimum in quovis religioso loco, ubi divina officia licet minus frequenter celebrantur, sepulturam construendi atque eligendi, addita semper (nisi quis in alieno tumulo sibi eligeret sepulturam consentiente dumtaxat eo, ad quem pertinet sepulcrum) Ordinarii licentia in scriptis una cum consensu Rectoris aut Patroni, vel Provincialis regularium, aut monialium, annuente etiam S. C., si in eorum Ecclesiis res sit. Hinc

386. *Decl. 3. p.* **Quotuplex sepultura.** Triplex solet distingui: 1°. electiva, quam quivis a iure non prohibitus arbitrio suo sibi eligit: 2°. parochialis, quae ad parochialem Ecclesiam defuncti, 3°. et gentilitia, quae ad personas alicuius familiae pertinet. Breviter duplex genus sepulturae I. quae ante mortem electa est a defuncto, vel pro impubere a patre vel, eo praemortuo, a matre; II. quae *definitur a iure,* eaque est 1°) sepulcrum proprium i. e. *generatim* gentilitium, vel quod vivens paravit: *speciatim* pro beneficiariis Ecclesia beneficii, pro Regularibus Ecclesia propria, pro vidua sepulcrum ultimi mariti: 2°) Ecclesia seu *coemeterium* parochiale. Quibus distinctis, competit catholicis pie demortuis ut eorum cadavera in loco sacro et religioso sepeliantur, quod ius funeris appellatur: quod patet ex dictis. Ex quibus etiam efflorescit quod 1. defuncti cadaver in Ecclesia condatur quam ille sibi elegit, quod *omnes facere* possunt, ac rite fit, probaturque sive per ultimas voluntates testamenti et codicilli, sive per scripturam manu propria subscriptam, vel duos testes etiam singulares, vel per solam confessarii relationem, ita tamen ut electio fuerit libera et non extorta *c. 2. de Sepult.* 2. *Dixi omnes,* exceptis tamen impuberibus et religiosis. Hi namque voluntate veluti sua privati in Ecclesia sui monasterii, vel in proprio coemeterio condi debent, nisi forte extra monasterium moriantur, ad quod commode deferri nequeunt. Impuberes autem sepeliuntur, vel in electa ipsis sepultura a parentibus ante ipsorum obitum, vel in gentilitia aut parochiali. 3. *Qui nullam elegit sepulturam* humandus est in sepulcro suorum maiorum, sive illud sit familiare, paratum scilicet a construente pro se aliisque de sua familia, sive sit haereditarium, conditum sc. a construente pro

se suisque haeredibus *c. Non instituta de sepult.* Uxori tamen sepulcrum maiorum est sepulcrum mariti *praemortui* ultimi; quod si maritus superstes sit, et elegerit aut gentilitium habuerit sepulcrum, hoc erit et uxoris praemortuae, secus haec in suo gentilitio aut parochiali condenda est. 4. *Canonici omnesque beneficia residentialia habentes* si decedant, sepulcro aut non electo aut maiorum carentes, sepeliendi in Ecclesia beneficii residentialis.

Extra hos casus, et si defunctus nequeat ad proprium deferri sepulcrum, sepeliendus est in sua parochia, in qua decedens domicilium vel quasi domicilium foverat, licet alibi mortuus sit; ita ut extra illos casus exceptos parochialis sepultura praeferenda sit. Quod si duplex domicilium haberet moriens, in ea parochia sepeliendus est, in qua vivens sacramenta percepit: si id in utraque factum est, locus datur praeventioni, vel, hac deficiente, rem componat Episcopus (1) *c. Ex parte 5. de sepul. (Decretal. l. 3. t. 28).*

387. Nota. Subiicitur sepultura potestati ecclesiae. Cum ius spirituale sit sepultura competens fidelibus pie demortuis, ut condantur eorum cadavera in loco auctoritate Episcopi vel privilegio pontificio ad hoc deputato; patet, uti iam monuimus, sepulturam subiici iurisdictioni ecclesiasticae, quae pro his condidit leges, tum ad locum sepeliendis fidelium cadaveribus designandum, benedicendum, nec non custodiendum, tum ad modum et funebres functiones circa mortuos sepeliendos, tum ad sepulturam ipsam sacram concedendam vel denegandam intra vel extra Ecclesias, cappellas, oratoria benedicta... Patet etiam nos hic supponere ius Ecclesiae vi-

(1) Omni ex parte convenit fideles ab eo tumulari et ultimum vale recipere, qui eos, dum vivebant ceu pater in Christo genuit, et aluit et ceu pastor divino sacramentorum pabulo ac verbo Dei aluit. Unde iure communi in sua paroecia quivis sepeliendus, modo absque periculo ad ipsam valeat deportari. *In hospitalibus non exemptis* decedentes ius funerandi spectat ad parochum domicilii dictorum decedentium quia ii recipiuntur et veniunt in hospitalia perfunctorie et curandae valetudinis causa *S. C. C. 19. Maii 1888.* Quod si *diuturno* morbo laborantes statuissent in hospitali permanere in perpetuum vel saltem per maiorem anni partem ius funerandi spectat ad parochum loci in hospitali non exempto. Si parochus *illegitime* cadaver peregrini in sua Ecclesia sepulturae mandaverit, debet omnia funeris emolumenta vero defuncti parocho restituere.

gere ipsumque omnes Principes revereri ac tueri. Sed hisce infandis temporibus alia hypothesis facienda, et, meliori quo fieri potest modo, Ecclesiae leges servandae. Hodie enim (omnibus divinis humanisque permixtis), in coemeteriis a municipiis extructis omnes sepeliendi sunt: vi tali adigimur in tota Italia. Hisce in casibus expedit, uti iam solet, relinquere locum in coemeterio non benedictum condendis his, qui arcentur ecclesiastica sepultura, aut coemeterium nullatenus benedicere, et singulis vicibus benedicere loculum, in quo sepelitur, qui in Christo pie decessit.

388. *Decl. 4. p.* I. **Quinam eo iure donandi.** Donandi autem sunt ecclesiastica sepultura omnes in communione fidelium defuncti, et qui hoc honore per canones haud indigni declarati sunt. Quin imo si quod fidelium corpus in loco profano humari contigerit, transferendum est quamprimum in locum sacrum, et interim crux illius capiti apponatur: alias non licet cadavera e loco suo asportare. Ne quis autem vivus tumulo inferatur, numquam licet defunctum terrae mandare, nisi post legitimum a morte tempus e. g. apud Austriacos post 48 horas.... Hinc

II. **Quinam eo iure privandi.** Privandi sunt ecclesiastica sepultura et in loco profano sepeliri debent *a*) *ex defectu ecclesiasticae communionis,* qui scilicet aut numquam Ecclesiam ingressi sunt per baptismum, aut ab ea egressi sunt, sive voluntarie, e. g. apostatae, haeretici, schismatici notorii, sive in *poenam,* ut excommunicati vitandi (qui si petierint reconciliationem, nec per eos steterit quin obtinerent, post mortem absolvendi sunt), aut nominatim interdicti; *b*) *ex perditione eorum praesumpta* ut 1°. *suicidae,* nisi mentis inopes fuerint, quod in dubio semper praesumitur; 2°. in peccato lethali et notorio mortui, nisi poenitentiae signa dederint, adeoque *a*) fures et latrones, adulteri in actu criminis interfecti, *b*) qui praecepto paschali sine iusta causa non satisfecerint, *g*) religiosi mortui cum peculio, quod scilicet proprio nomine sine licentia superioris, non custodiae causa retinebant: tandem *c*) *in odium criminis:* 1°. sive *ad tempus,* donec satisfactum fuerit, *a*) usurarii manifesti etsi poenitentes fuerint; *b*) raptores Ecclesiarum harumque bonorum, licet mandaverint damna compen-

sari, donec reapse id factum sit: 2°. sive *perpetuo,* e. g. occisi in duello, etsi ante mortem signa dederint poenitentiae, vel occisi in torneamentis aliisque ludis periculum instans mortis habentibus: et ii omnes sive ibi perierint sive procul a loco certaminis vulnere tamen accepto ex eo, licet absolutionem a peccatis et censuris obtinuerint.

389. *Decl. 5. p.* **Poenae in violantes ius sepulturae.** Quam violans suas dabit poenas Ecclesiasticas, h. e. incurret excommunicationem ipso facto *Pius IX. Const. Apostolicae Sedis n. 1. inter excom. nemini reserv.* « Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos » scilicet iuxta *D'Annib. in h. l. n. 159.* Qui indignum ecclesiastica sepultura sepeliunt vel sepelire faciunt in loco sacro, qui eis iusta persolvunt, quique sive illis sive his consilium vel auxilium praestant, lethali non carent. Ex *c. de sepult. Clemen. eod. t.* At vero etsi peccent qui dant indignis sepulturam ecclesiasticam, excommunicationem tamen non incurrunt, nisi agatur de haereticis notoriis, vel de excommunicatis aut interdictis nominatim. Et hi tantum incurrunt, qui mandant vel cogunt eos tradi ecclesiasticae sepulturae, non qui eis iusta persolvere, sed qui tumulo inferre, condere iubent, et hoc post traditam sepulturam. Non incurrunt qui iusta funerum agunt, nec sepelientes, nec his operam praestantes.

390. *Decl. 6. p.* **Iura parochi ratione sepulturae.** Quoniam de iure sepeliendi in paroecia iam diximus, iura parochi quoad funera reducuntur: 1. *ad ius benedicendi* cadaver antequam domo educatur, scilicet ut ipse semper advocari debeat, neque cadaver e domo possit educi antequam eius benedictionem acceperit: 2. *ad ius associandi,* scilicet ut ad funus vocetur, et vocatus intervenire teneatur: ad ius percipiendi emolumenta ex funeribus provenientia, scilicet *a*) oblationes omnes, si in paroecia tumuletur seu sepeliatur, *b*) quartam funeralem si in alia Ecclesia, quia in sua parochia sacramenta suscepit: scilicet ut bene indicat Ferrante heic, « ut ex oblationibus aliisque emolumentis ob sepulturam Ecclesiae tumulanti relictis pars aliqua parochiae debeatur, quae licet quarta funeralis appellatur, quia tanta a iure statuitur, tamen

potest esse maior vel minor pro locorum consuetudine; et tolli etiam potest per consuetudinem quadragenariam cum titulo, vel immemorabilem sine titulo. Haec quarta detrahitur ex omnibus oblationibus, quae dantur Ecclesiae tumulanti, sive ipso die depositionis, sive diebus sequentibus, in memoriam funeris usque ad diem 30: sive dentur a defuncti haeredibus funerisque curatoribus, sive ab ipso defuncto titulo institutionis vel legati, modo relictae non sint pro cultus divini incremento aliisque charitatis et religionis operibus (1).

391. De Cremations scholion. Cum hac nostra aetate nullum non moverint lapidem sacrorum sepulcrorum ad effodienda cadavera eaque igni committenda omnes religionis hostes; operae pretium ducitur hic de crematione aliquid innuere. Spectemus illam *a*) in se: *b*) prae adiunctis quibus versamur rerum sacrarum. I. Si in se spectetur crematio cadaveris non videtur quidquam praeseferre aut fidei aut moribus

(1) Dum parochianus in propria ecclesia decedit et in aliena sepelitur, quamvis proprio parocho competat ius cadaver e domo levandi atque illud recto tramite ad ecclesiam funerantem deducendi, tamen praeviam cadaveris ad suam parochiam delationem exigere nequit: nam *una* ecclesia tumulans iure potitur officium funebre persolvendi, corpus sepeliendi atque omnia funeralia percipiendi emolumenta, dempta solum pro parocho canonica portione i. e. quarta funeralis. - Proprius parochus ad effectum *associandi* cadaver ad constitutam sepulturam ille etiam habetur in cuius parochia aliquis, decessit, etsi brevi tempore et perfunctorie in ea sit moratus S. C. C. 22. Dec. 1866. Insuper in ingressu alienae ecclesiae, in qua sepeliendus est defunctus proprius parochus munus suum dimittit et illud assumit parochus vel praelatus ecclesiae pro sepultura electae. *Unica porro crux* elevanda est in ducendo funere nempe crux ecclesiae tumulantis nisi aliter ferat consuetudo. *S. R. C. 15 Mart. 1881 et 14 Mart. 1882.:* et iuxta S. R. C. una tantum Crux Capituli ecclesiae Cathedralis deferenda, si tale Capitulum interveniat.

Quamvis hodie lex civilis praecipiat ut fidelium cadavera ad publica coemeteria deferantur, tamen non est sublatum ius, quo ecclesiae parochiales potiuntur tum funeris peragendi, tum percipiendi emolumenta: quia locus sepulturae materialiter tantum immutatur, et coemeteria publica locum tenent coemeteriorum parochialium. S. C. C. 16 Sept. 1861; 23 Ian. 1886. et Regulares eodem iure potiuntur. - Deinde adhuc integrum manet fidelibus sibi eligere funerum ecclesiam, in eaque missa exequialis cantari potest quoties, praesente cadavere, permittitur, etsi quandoque (ob civilem legem vel contagiosum morbum) absens sit et humatum modo non ultra biduum ab obitu. *Ex Dec. S. R. C. 13 Feb. 1892.*

contrarium: imo praescindendo ab omni praesentiarum rerum adiuncto, et facta hypothesi boni cuiusdam publici etc. *posset* videri necessaria. Sed hoc perrarum esset et veluti per accidens. Certum est quod Catholica Ecclesia exemplo suo non probavit cremationem, et imo quamdiu leges sinerent civiles in cryptis cadavera fidelium pie decedentium reponebat. Hinc mirum non est, cremationem corporum apud ipsos ethnicos in desuetudinem abiisse statim ac Christiana Religio coepit publice exerceri.

Nimirum in caussa fuit tum reverentia erga ipsum cadaver demortui fidelis, tum spes futurae corporum resurrectionis, tum odium ethnicismi, in quo consuetudo obtinebat corpora cremandi. Huc revocate, quas supra attulimus, rationes pro reverentia sepulcrorum ductas ex ordine naturali et supernaturali.

II. At si spectetur instauratio crematiouis in praesentibus rerum adiunctis; ea omnibus viribus removenda e regionibus christianis est, neque pro vel uno cadavere permittenda. Neque enim hisce in adiunctis aliud est, quam extensio belli acerrimi contra Religionem et sacra quaeque. Advertatur etiam quod cremationem *a*) Populus Dei in V. T. numquam admisit, *b*) Ecclesia cohaerenter ad humationem constituit suam liturgiam, *c*) cohaerenter ad hunc ritum tumulationis Patres dogma catholicum de resurrectione mortuorum exposuerunt. Unde S. C. S. O. 19. Maii 1886. merito resp. *negative* ad utrumque dub. 1. an liceat dare nomen societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi cadavera: 2. aut mandare, ut sua aliorumve cadavera comburantur (1).

(1) Factaque de his SS. D. N. Leoni PP. XIII. relatione Sanctitas sua resolutiones EE. PP. approbavit et confirmavit et cum locorum Ordinariis communicandas mandavit, ut opportune instruendos curent Christifideles circa *detestabilem abusum* humana corpora cremandi, atque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant. *Act. S. Sed. v. 19. p. 48.*

Die 15. Dec. 1886. Emi. et Rmi. DD. Cardd. Inquisitores Gen. decreverunt: Quoties agatur de iis, quorum corpora non propria ipsorum, sed aliena voluntate cremationi subiiciantur, Ecclesiae ritus et suffragia adhiberi posse tum domi, tum in Ecclesia, non autem usque ad crematiouis locum, remoto scandalo. Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat, cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse. At ubi

TITULUS XXVIII.

DE REBUS ECCL. FIDELITER ADMINISTRANDIS.

Summarium. — Non tantum ex proprietatis, sed etiam ex iurisdictionis ecclesiasticae dominio 1.) **consequitur ius administrandi bona in Eccl. varium pro vario proprietatis et iurisdictionis gradu.** 2.) **Hinc et R. Pontifex in universam Christi Ecclesiam et Episcopus in suam dioecesim bonorum administrationem supremam habent, nisi quis ex privilegio ab Episcopi potestate sit exemptus.** 3.) **Administratores porro Episcopo inferiores tenentur** a) **iuramentum ponere ab initio administrationis, inventaria conficere, rationem reddere:** b) **res meliores efficere,** c) **easque impendere in usus, quibus sunt destinatae** (1).

392. Praen. **Ius administrandi bona competit Ecclesiae.** Ex iure publ. Eccl. supponimus *a*) ius administrandi

agitur de iis, qui propria voluntate cremationem elegerunt, et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseverarunt, attento decreto feriae IV. 19 Maii 1886 agendum cum iis iuxta normas Ritualis Romani Tit. *Quibus non liceat dare ecclesiasticam sepulturam*. In casibus autem particularibus, in quibus dubium vel difficultas oriatur, consulendus est Ordinarius, qui, accurate perpensis omnibus adiunctis id decernet, quod magis expedire in Domino iudicaverit.

Et feria IV. die 27 Iun. 1892. *Ad dub. 1.* An liceat sacramenta ministrare iis, qui neque sectae massonicae adhaerent, neque eius ducti principiis, sed moti aliis rationibus corpora sua post mortem cremanda mandarunt: Resp. Si moniti renuant hoc mandatum retractare, *negative*. Ad 2. An liceat pro iis, quorum corpora non sine ipsorum culpa cremata sunt, missae sacrificium publice offerre, vel etiam privatim applicare, itemque fundationes ad hunc finem acceptare: Resp. Circa publicam S. Missae applicationem, *negative*; circa privatam *affirmative*. Ad 3. An liceat cadaverum cremationi cooperari sive mandato ac consilio, sive praestita opera ut medicis, officialibus, operariis in crematorio inservientibus, saltem si fiat in quadam necessitate aut ad evitandum magnum damnum: Resp. Nunquam licere cooperari mandato vel consilio. Tolerari autem aliquando posse materialem cooperationem dummodo 1. crematio non habeatur pro signo protestativo massonicae sectae; 2. non aliquid in ipsa contineatur, quod per se directe atque unice exprimat reprobationem catholicae doctrinae, et approbationem sectae; 3. neque constet officiales et operarios catholicos ad opus adstringi, vel vocari in contemptum catholicae religionis. Ceterum quamvis in hisce casibus reliquendi sunt in bona fide, semper tamen monendi sunt, ne cremationi cooperari intendant.

(1) Già in una nota al titolo XXI. accennammo ad un progetto di legge

in genere bona temporalia sicut et ius possidendi in ordine ad finem Ecclesiae; *b*) supponimus et factum ipsum administrationis, quam ipsa exercuit, remotis laicis. Nam iam ab initio bonorum ecclesiasticorum administratio committebatur diaconis sub auctoritate Episcoporum, non tamen solis Episcopis sine

col quale si vorrebbe sottrarre alla chiesa l'amministrazione dei beni temporali. Il progetto di legge preceduto da una lunghissima relazione venne compilato da una commissione di senatori, deputati ed alti funzionari dello Stato, nominata con decreto reale del 12 Maggio 1885. Il progetto e la relazione furono pubblicati in Roma nel 1887 coi tipi della tipografia Ripamonti.

Il principio fondamentale, cui è informato il progetto di legge, è che nel beneficio ecclesiastico si debba distinguere l'elemento materiale, cioè dei beni, dall'elemento spirituale, cioè dell'ufficio, che la Chiesa non possa esplicare la sua azione se non riguardo all'elemento spirituale, e che il primo sia soggetto esclusivamente all'autorità temporale, publica ed universale dello Stato.

Posta questa premessa, le disposizioni principali circa l'amministrazione del patrimonio ecclesiastico sarebbero le seguenti:

Tutti i beni immobili della Chiesa, che fino ad oggi non sono stati indemaniati, sarebbero venduti e convertiti in rendita dello Stato.

L'amministrazione del patrimonio della Chiesa sarebbe affidata ai laici. Verrebbero istituiti tre ordini di commissioni amministratrici: cioè le *Congregazioni parrocchiali,* le *Congregazioni diocesane,* ed una *Commissione centrale per i beni del culto,* le quali corrisponderebbero agli interessi degli enti parrocchiali, diocesani e generali.

Tutte queste commissioni (eccettuata la centrale, i cui membri sarebbero scelti dal Governo) sarebbero composte di membri eletti dal suffragio popolare.

Per gli enti il godimento delle cui rendite è conferito ad un titolare, l'amministrazione sarebbe, durante questo godimento, esercitata dallo stesso titolare, coll'obbligo però di sottoporre gli annuali bilanci all'esame della Congregazione parrocchiale. A questo spetterebbe anche l'amministrazione degli enti che non abbiano amministrazione propria, nè un titolare, come sono le fabbricerie (che verrebbero soppresse), la consegna e riconsegna dei beni nel caso di vacanza, la riscossione delle rendite durante la vacanza medesima, e la concessione di qualche sussidio ad ecclesiastici poveri.

Lo stesso sarebbe delle Congregazioni diocesane rispetto alle dioecesi.

L'alta sorveglianza spetterebbe alla Commissione centrale.

Questa legge non sarebbe applicata a Roma e alle sedi suburbicarie.

Ci limitiamo a dare questi cenni del progetto di legge e ci asteniamo da qualunque apprezzamento. Chi avesse desiderio di leggere per intero la relazione, potrebbe vederla nella *Rivista di diritto ecclesiastico,* anno 1895, pag. 395-457 e 585-606.

assistentia oeconomi: tum divisio redituum in quatuor partes facta, *suo modo* debet etiam hodie observari. Et licet variis temporibus mutata sit ratio administrandi, tamen eodem manente spiritu Ecclesiae, Lex canonica iisdem 4. finibus pro quibus statuta erat divisio, satisfaciendum semper esse iubet. Nos agimus de iure et modo administrandi quoad certas quasdam personas, quibus et quî competat ad normam canonum.

393. *Decl. 1. p.* Ex **iure proprietatis** et possessionis sequitur **ius administrandi.** *a*) Nam ius administrandi vocamus illud, quod et rei *conservationem et eiusdem usum ac dispositionem* complectitur: atqui dominium proprietatis est ius in re sese extendens ad omnem rei *usum et dispositionem* ex arbitrio proprio, ceteris exclusis: ergo. *b*) Quin imo id patet ex ipso modo possidendi proprio Ecclesiarum et locorum particularium, quae sunt subiectum quidem proprietatis, atque adeo habitualiter iuris administrandi: hoc tamen non exercent nisi per superiores sicut pupilli et minores per tutores suos et procuratores: unde ex indole ecclesiasticae possessionis et spectato exercitio eam maxime *administratione contineri.*

Ex dominio iurisdictionis consequitur **ius administrandi**: *a*) bona enim Ecclesiae comparantur bonis pupillorum. « Illi etiam quibus dictorum locorum gubernatio seu administratio committetur; ad instar *tutorum* et curatorum iuramentum praestare, ac de locorum ipsorum bonis inventaria conficere et Ordinariis seu aliis, quibus subsunt loca huiusmodi, vel deputandis ab eis; annis singulis de administratione sua teneantur reddere rationem » *Clem. 2. § 1. de religios. dom.* (i. e. III. tit. 11.). Sed in qualibet societate princeps per leges suas specialiter curat administrationem pupillorum; ergo. *b*) Adde entia, quae audiunt moralia, quales sunt Ecclesiae, monasteria... per superiores respectivos bonorum suorum iura exercere. *c*) Bona sunt media necessaria exercitio iurisdictionis ecclesiasticae: ergo qui hanc obtinent, exercere debent et ius administrandi seu disponendi ad finem suum: *d*) ad finem enim spiritualem et fines particularium Ecclesiarum omnia media esse debent: ergo etiam bona temporalia urgenda sunt a subiecto potestatis iurisdictionis.

Varium ius administrandi *pro varia proprietatis seu pos-*

sessionis ratione et gradu iurisdictionis. Etenim *a*) Apostolorum tempore dum ad eorum pedes omnia in communi fideles conferebant, ad ea administranda delecti sunt 7 diaconi. *b*) At cum postea non omnes omnia sua in medium ferrent, sed oblationes, primitias... facerent, haec omnia collecta efformabant massam, cuius administratio Episcopo tribuebatur, etiam deinceps cum haec massa quatuor in partes sit divisa *c. Mos est 30. Ca. 12. q. 2. cf. Canones Apost. 31. 34. Concil. antioch. can. 24. 25. Cypr. ep. 38.* Iamvero iam tunc Episcopis ne ipsorum administratio sine testibus esset, atque ut etiam aliqua curarum parte levarentur, utendum fuit administris archidiacono et oeconomo, a quibus tamen eisdem Episcopis tamquam principibus Rectoribus Ecclesiae ratio redderetur; imo *ex Conc. Chalced. can. 26.* sub poenis canonicis cavebatur, ut in qualibet episcopali Ecclesia oeconomus constitueretur, cui tota temporalium cura demandaretur; et hac in re Episcoporum negligentiam Metropolitae et Patriarchae supplerent. *Conc. Nicen. II. can. 11. c*) Postea vero ecclesiastica bona adhuc divisa sunt, ut inde saec. X. beneficia proprie efflоruerint, atque adeo loco Episcopi alii emerserunt administratores. Nam administratio beneficiorum beneficiatis tributa: bona Ecclesiarum aut fabricae aut aliis piis usibus destinata, a rectoribus earumdem, nisi obstet pactum fundationis, administrantur. Hospitalia, Confraternitates et loca pia praesertim pro pauperibus, iure fundationis suos habent administratores subiectos Episcopis, si horum auctoritate, unde religiosa et ecclesiastica evaserunt, erecta sint. Mensae tandem episcopalis ipsemet Episcopus semper fuit administrator. Quo iure ultimo *a Trid. Sess. 22. cap. VIII. et IX.* et alibi universim confirmato utimur. In hac porro varia ratione administrandi I^a. generalis regula fuit, et est, *praeter ea quae ad decentem Clericorum substentationem necessaria forent, reliqua in pauperes eroganda aut ad divinum cultum dedicanda. Trid. Sess. 25. de R. c. 1.....* II^a. ut stato tempore Episcopis quilibet suis inferiores administratores rationem redderent: ita III^a. tamen ut generatim severissime horum bonorum prohiberetur alienatio. Cf. *Trid.* (1).

(1) Concil. Trid. Sess. XXII. c. 9. etiam quoad fabricas Ecclesiarum praecepit ut administratores tam ecclesiastici quam laici frabricae cuiusvis

Hisce et seqq. etiam patet varium esse ius administrandi pro vario iurisdictionis gradu.

394. *Decl. 2. p.* **Iure administrandi potiuntur Papa et Episcopi.** 1°. *R. Pontifici* plenissimum administrandi ius competit, quia plenitudinem potestatis in universam habet Ecclesiam, ita ut possit etiam valide transferre ab uno ad alium; tamen id exigente èvidenti necessitate, aut Ecclesiae utilitate: quod nequeunt Episcopi independenter a R. P. et a ss. canonibus alienationem generatim vetantibus cf. *tit. De rebus Eccl. alienandis vel non.* (1). 2°. Episcopus sua in dioecesi suprema administrandi gaudet potestate; ipse enim *a*) custodire ac tueri et augere debet cuncta dioeceseos bona *c. 2. pr. de Donat. III. 24. Trid. sess. 22. c. 9. etc. b*) quae omnia ipse visitare et rationem exigere tenetur *Trid. l. c. c. 8.* (2).

ecclesiae etiam Cathedralis.... singulis annis teneantur Ordinario reddere rationem. Quod Ecclesiarum *fabricae* prout coetum sginificant ecclesiasticorum simul et laicorum et ad initium usque huius saeculi institutio fuerit ecclesiastica et tamquam *ens morale ecclesiasticum* spectandum. Cf. Sanguineti *ad tit. X. Scholion IV.* Brabandere *Iur. can. et canonico-civil. comp. tom. 2. p. 197. sq.* Bouix *de Parocho pag. 618,* Bargilliat *Praelect. iur. can. n. 960. et seqq.*

(1) In hoc iure administrandi R. P. quoad res temporales Ecclesiae Catholicae comunes et Sedis Apostolicae proprias utitur Congregationibus in Curia Romana institutis, puta per Cameram Apostolicam, vel per S. R. E. Thesaurarium generalem, vel per Cardinalem Camerarium S. R. C. vel per S. Congr. de P. F. vel S. C. reverendae Fabricae S. Petri; caeterorum porro ecclesiasticorum bonorum administrationem moderatur quidem legibus generalibus et constanter invigilat, administrationi tamen sese non immiscet, eamque singulis institutis exercere sinit...

(2) Praeter Episcopum, qui in sua dioecesi sive per se sive per oeconomos deputatos administrat bona mensae suae ac fundos communes totius dioecesis, sunt et alii inferiores administratores, qui sive communi sive particulari iure tales constituuntur. Sic Beneficiarii suorum bonorum beneficialium habent administrationem: bona fabricae Ecclesiarum parochialium, bona item, quae ad hospitalia et loca pia ecclesiastica pertinent, suis sunt particularibus administratoribus commissa, qui quandoque sunt etiam laici ex lege fundationis, praesertim patroni qui, in limine ipso constitutionis iuris patronatus, quoad partem aliquam bonorum iam patronatae Ecclesiae concessorum, administrationem sibi reservarunt, permittente Ecclesia.

Quamvis administratio bonorum ecclesiasticorum nullatenus laicorum potestati subiaceat C. *Quanquam de cens. in 6;* tamen laicis committi potest temporalis bonorum ecclesiasticorum administratio, modo ab eccle-

Nisi peculiari exemptionis privilegio quidam a potestate Episcopi eximantur: quod respectu Regularium obtinet. Et hi quamvis quoad administrationem suorum bonorum Episcopo non subsint; tenentur tamen hac in re iure communi et proprio ordinis. Moniales tandem etiam exemptae et Praelatis Regularibus subiectae debent Episcopo loci singulis annis rationem administrationis reddere, atque ad id cogi possunt *Gregor. XV. Inscrutabili 5. Febr. 1622.*

395. *Decl. 3. p.* **Quatenus administrent inferiores Episcopo.** Administratores tandem Episcopo inferiores triplici potissimum ligantur officio, scilicet I. iuramentum ponere, inventaria conficere, rationem reddere, *ex decr. Conc. Vienn. relato in c. Quia contingit de Relig. dom. in Clem.* Hac lege, de inventario rerum omnium tum mobilium, tum immobilium diligenter conficiendo, continentur etiam Capitula, Collegia, Rectores beneficiorum etiam simplicium et iurispatronatus, omnes denique Ecclesiae *Sixt. V. Const. Provida an. 1586.*

II. Alterum munus est omni cura industriaque providendi, ut beneficia et loca quaecumque ecclesiastica nullum capiant detrimentum, sed sarta tecta custodiantur, eorumque conditio quantum licet melior efficiatur. Quapropter ipsorum est, ut aedificia, si reparatione indigeant, opportune reparentur; praedia vero, si inculta fuerint, excolantur; alienata vindicentur, possessa augeantur, periculo obnoxia defendantur, deperdita recuperentur, debitores ad solutionem compellantur. Quod si ipsorum culpa aliquid Ecclesiae deperiisse comperiatur, aut deterius factum sit, uti si in fundis vites, aut quid simile succidatur, aut evellatur;... damna quaecumque proprio beneficiati

siastica potestate deputentur, eidemque rationem reddere debeant, atque ab eadem revocari valeant: quod supponit Trid. *Sess. 22. c. 9.* et *Sess. 24. c. 3. de R.* Cf. Bouix *de Parocho* p. 618. – Et nunc a S. Sede speciales facultates concedi solent, quotannis renovandae, permittendi Christifidelibus laicis sub quibusdam conditionibus officium administrandi loca pia a Gubernio usurpata, demandatum ipsis a potestate civili. Cf. *Monit. Eccl. di Convers. v. 6. pag. 54. v. 4. p. 2. pag. 252. v. 3. p. 2. pag. 57.* Degli Officii di esattore fondiario, di presidente della Congr. di carità e di subeconomo de' beneficii vacanti.

vel administratoris aere resarcienda sunt, uti tutoribus publicisque procuratoribus iura praescribunt.

III. Pecunia ecclesiarum seu locorum piorum et reditus omnes fideliter ab administratoribus in eos usus impendi debent, quibus ex pia fundatione vel fundatorum mente sunt specialiter deputati. Clerici etiam fructus beneficiorum, quae possident, suae honestae decentique substentationi superfluos, erogare in pauperes debent, aliasque pias causas, nec possunt absque gravi peccato in convivia, ludos, venationes et similes profanos usus impendere, aut consanguineis elargiri, nisi ut pauperibus, si vere pauperes sunt, et tunc ut minus egeant, non ut ditescant.

TITULUS XXIX.

DE REBUS ECCLESIAE NON ALIENANDIS.

Summarium. — Definito 1) **sensu Ecclesiae, rerum et alienationis, asseritur** 2) **prohiberi generatim quominus Eccl. res immobiles aut mobiles pretiosae, quaeque servando servari possunt, alienentur nisi iusta de causa, accedente beneplacito apostolico, atque eorum, quorum interest, consensu** 3) **rebus exigui valoris exceptis:** 4) **quas conditiones atque limites si quis non servat, poenas subibit statutas a Pio IX. Const. Apostolicae Sedis, Trid. Sess. 22. c. 11. de Ref. ad normam Extravag. Ambitiosae, De rebus Eccl. alienandis vel non c. un.** (1).

396. *Decl. 1. p.* **Quid veniat sub alienatione rerum Ecclesiae.** Quaestio est magni momenti cum *a*) inde pen-

(1) In Italia si è fatta questione se di fronte alle leggi civili le cose sacre, tanto mobili che immobili siano o no commerciabili e suscettibili di pignoramento, di espropriazione e d'ipoteca. L'opinione prevalente sta per l'incommerciabilità: **Cassaz. Roma,** 19 Marzo 1890 (*Foro Ital.* 1890, I, 748); **Cassaz. Firenze,** 16 Febbraio 1888 (*Foro Ital.* 1888, I, 1189); Prof. **Gabba** in una splendida nota alla suddetta decisione della Cassaz. Roma.

Non mancano tuttavia i sostenitori della commerciabilità delle cose sacre: **Corte App. Genova,** 13 Febbraio 1885 (*Foro Ital.* 1885, I, 589): Prof. Mortara e Prof. Chironi in nota alla suddetta decisione della Cassaz. Firenze.

deat cura et custodia Ecclesiarum, locorum piorum, rerumque stabilitas, quae ad cultum divinum et ministrorum sustentationi necessaria sunt, cum *b*) Ecclesia hac de re multiplices et accuratas ediderit leges *l. III. Decretal. t. 13. in VI. tit. 9, Clement. t. 9. Extravag. tit. 4. c. un.;* cum *c*) tam copiosam tractationem agant DD. in hanc rem *cf. Leurenius, Pirhing, Pichler, Schmalzgr. in h. t.;* cum *d*) tam rigorosae poenae in harum legum violatores ab Ecclesia sint indictae.

Porro heic iuxta DD. nominatim *Leuren. Forum eccl. in h. t. § 1. q. 141.* quoniam de materia favorabili res est, Ecclesia late accipitur, ut non tantum loca sacra seu consecratione vel benedictione ad rem sacram addicta, e. g. templa, capellas, oratoria comprehendat; sed etiam se extendat ad alia quaevis loca pia et religiosa, ad pietatis et misericordiae opera ibidem exercenda, vel alia eiusmodi auctoritate ecclesiastica constituta aut deputata citra consecrationem et benedictionem episcopalem, ut sunt monasteria, conventus, congregationes, xenodochia et hospitalia etc. *authen. hoc ius porrectum c. de ss. Eccl. C.;* quae auth. refertur *can. Ea enim C. X. q. 2; c. nulli h. t. cf. Layman. in h. t. Del Bene De Immun. Eccl.* Unde non continentur nomine Ecclesiae, Collegia, Congregationes et eiusmodi loca erecta non auctoritate Episcopi, etsi hic celebrandi missam in his facultatem fecerit.

Nomine rerum, quae sub rubr. d. cadere possunt, veniunt res pretio aestimabiles. Hinc tales non censentur 1) res mere spirituales, e. g. iura sacra, res extra commercium positae et pretio non aestimabiles; et generatim res ad animarum salutem directe spectantes, ut sacramenta, indulgentiae, officia divina, ieiunium dies festi. Haec enim omnia sive ab uno alteri ministrentur, sive ab uno in favorem alterius fiant, gratis fieri debent, atque ei, qui rem spiritualem alteri ministraverit, vel opus spirituale pro eo fecerit, nonnisi eleemosynae nomine aliquid temporale dare licebit, quia nullo modo ea possunt esse in commercio. 2) Neque eiusmodi censu habentur quae immediate cultum Dei respiciunt, e. g. Ecclesiae, Oratoria, Cappellae, sacrae imagines, Reliquiae SS., sacra Ecclesiarum supellex, prae eo quod consecratae sunt. Ratione enim consecrationis in iis adhibitae nullatenus vendi, aut alienari sic pos-

sunt, ut ob id aliquid plus exigatur. At prae eo quod in eis non est spirituale, i. e. pro earum materiae pretio possunt eadem, iusta causa urgente, formaque a iure statuta, alienari et vendi (exceptis semper Ecclesiis), ita tamen ut, si ecclesiasticae personae dentur, valeant integrae vendi sin aliis personis non ad usum Ecclesiae, debeant prius frangi oratione praemissa, nisi earum qualitas et futurus acquirentis usus id excuset. 3°.) Unde restat nos agere de rebus temporalibus destinatis pro clericis et regularibus alendis, pro parandis rebus ad divinum cultum exercendum, ac de bonis piorum locorum.

397. Porro res I. *aliae corporales* dicuntur, quae scilicet sensibus externis subiiciuntur, e. g. aedes, horti, agri, vineae, pecuniae; *aliae incorporales,* scilicet quae licet facultatem subministrent aliquid agendi et faciendi, quod est sensibile; in se tamen ac formaliter acceptae sensus externos effugiunt. II. *Res corporales* diducuntur in *mobiles,* et *immobiles: mobiles* quae, salva substantia sua, de loco in locum moveri aut seipsas movere possunt, hinc mobiles sunt vel *semoventes* vel *simpliciter mobiles: immobiles,* quae, salva substantia, in alium locum transferri non possunt, e. g. *domus, fundus Ecclesiae...* Quibus immobilibus aequiparantur iura corporalia, decimae, ususfructus, servitutes rebus immobilibus adhaerentes, census annui, nomina debitorum, actiones, obligationes *c. 2. h. t. in 6....* quia habent se tamquam accessorium quoad res ipsas, circa quas dantur. III. Res immobiles, tales sunt vel *naturaliter* vel *civiliter,* prout earum natura vel legis dispositio efficit ut immobiles reputentur. Ex immobilibus naturaliter rebus quaenam maioris aut minoris et exigui momenti habeantur, in pluribus lis est inter DD.: hinc ea quae lege non reperiuntur definita, arbitrio et prudentiae iudicis relinquuntur. IV. Iterum mobiles dividuntur in *pretiosas* et *non pretiosas: pretiosae* sunt vel *materia,* ut aurum, argentum, gemmae.... vel *artificio,* ut opus eximium sculptile, anaglypticum..... vel *fructu,* e. g. grex ovium. V. Rerum tandem mobilium aliae servando servari possunt et destinatae sunt ad usum: quae res non consumuntur, e. g. bibliotheca,.. aliae vel sine corruptione diu servari non possunt, vel ex natura sua destinantur ad usum, quo consumuntur, e. g. frumentum, vinum, pecudes singulae,

pecunia. Si tamen haec destinata sit ad comparandam rem immobilem vel mobilem pretiosam, vel deposita per modum thesauri, aut ad futuras gravissimas necessitates, merito habetur pro re pretiosa *can. 70. Ca. XII. q. 2.*

398. *Alienationis* nomine veniunt omnes contractus, quibus aut dominium transfertur, e. g. vendere, permutare, in emphyteusin concedere (*Clem. I. de V. S.*), aut ius aliquod reale ab Ecclesia decedit, vel reale onus imponitur rebus Eccl., e. g. census, servitus, qualis est usufructus, census vitalitius ac demum locationis ultra trienuium *(c. ambitiosae h. t.)*. Unde alienatio non tantum stricte pro actu sumitur, quo dominium rei traditae directum transfertur in alterum, ceu venditio, donatio, permutatio; sed etiam latissime pro actu, quo dominium directum, vel utile tantum, retento directo, aut aliud ius in re transfertur ad alios. Cf. *Schmalz. in h. t. n. 7. et 9.*

399. *Decl. et prob. 2. p.* **Qua prohibeatur alienatio.** Quoad generalem prohibitionem ratio fundamentalis est, quia secus huiusmodi arbitraria alienatio fieret non sine detrimento certo vel probabili divini cultus, et salutis animarum. Iamvero spectato obiecto *Extrav. Ambitiosae* vetantur alienationes omnium rerum et bonorum eccl., et recepta omnium sententia est, his verbis significari tantum immobilia et mobilia pretiosa. Immobilia autem stricte *(ait d'Annib. in Const. Pii IX. Apostol. Sedis n. 166)* sunt praedia sive rustica, sive urbana: ergo huc non pertinent immobilia destinatione Patrisfamilias aut lege, e. g. granaria in terris defossa: nec ea, quae solo tenentur, ut arbores etsi grandiores, et etiam fodinae.... mobilia vero sunt vasa aurea, argentea, gemmae, et quae antiquitate praestant vel artificio (modo valeant saltem 20 aureos de camera i. e. libellas circiter 235 = 45 scutata ordinaria seu romana), greges, armenta, bibliotheca copiosa... Non item pecunia, cum eius usus in abusu est, nec s. supellectiles vetustate corruptae aut consumptae, multoque minus pretiosae reliquiae; quia in nostra potestate non sunt.

Decl. quoad *conditiones,* quibus permittitur alienatio, scilicet alienari vetantur alienatione, quae ex mero pendeat arbitrio, nullaque lege obstringatur, res immobiles, mobiles pretiosae, et quae servando servari possunt: at Ecclesiae evidens utilitas

vel necessitas exigere etiam potest alienationem iuxta certas quidem leges. Hae porro leges versantur circa iustam causam, beneplacitum Apostolicum, et tandem eorum, quorum interest, consensum requisitum. Itaque 1°. exigitur iusta causa *cap. 2 h. t. in 6, L. 21. cum auth.*, secus enim alienare res absque iusta causa esset prodigere eas contra intentionem fundatorum, et in praeiudicium cultus divini. Intelligitur autem necessitas urgens, cui meliori modo, quam per alienationem, obviari nequit, e. g. ad solvenda debita, ad Ecclesiae aedificium reparandum, ad sacram supellectilem comparandam: ad divina decenter obeunda etc. *utilitas* magni momenti vel circa proprietatem vel circa reditus, ita ut alia, e. g. quae ematur, fiat melior atque utilior Ecclesiae: *evidens,* h. e. certa, probata plene in iudicio. 2°. Pariter ad validitatem pro omni vetita alienatione semper requiritur beneplacitum Apostolicum, ita tamen ut hoc non sit necessarium pro alienandis bonis pertinentibus ad pia opera laicalia, ex tit. ipso *de rebus Eccl.* contra id quod asserit Craisson *manuale I. C. n. 2912. Extrav. Ambitiosae et c. 2. h. t. in 6*: id exigit praxis curiae rom.: dixi *ad validitatem*, etsi iusta causa alienandi adsit. 3°. Tandem requiritur eorum, quorum interest, consensus. Nam R. Pontifex C. *Ambitiosae* renovavit iura antiqua, quae postulant tractatum, consensum et subscriptionem Capituli, nec non consensum superioris immediati (1).

400. *Decl. 3. p.* **Rebus exigui valoris exceptis**, quo nomine intelligimus res Ecclesiae *a*) mobiles non pretiosas, saltem si servando servabiles non sunt, quia 1. eiusmodi alienatio nullo iure prohibetur, quod vero non reperitur prohibitum, censetur concessum *l. 5. ff. de Prob.;* secus nimis difficilis foret administratio; et 2. quia id tutoribus et curatoribus indulgetur: *b*) intelligimus res immobiles, quae prudentum arbitrio exigui valoris reputantur uti nunc, quae non excedant 50 scutata monetae romanae *can. Terrulas et vineolas 53.*

(1) Etsi beneplacitum Apostolicum supplere possit omnes minores formalitates, e. g. consensum Capituli Cathedralis patroni..... tamen in praxi numquam alienandi licentiam concedere potest, nisi cum consensu et voto illorum, quorum interest, et cum clausulis ac conditionibus prorsus verificandis.

Ca. 12. q. 2. qui est *can. Conc. Agathen.* statuens Episcopum posse sine consilio fratrum distrahere seu alienare terrulas exiguas, vel Ecclesiae minus utiles, aut longe positas aut parvas, aut noxias. Hisce porro DD. includunt *c*) res in feudum vel in emphyteusi dari solitas, et etiam locationes, quoad beneficiatos, ubi locatio resoluto iure locatoris etiam nunc cessat, vel si hoc pacto inita sit, ut cesset eo resoluto: *d*) quoad mobilia pretiosa non prohiberi etiam distrahere veterem suppellectilem ad novam comparandam aeque pretiosam, quod consuetudine est introductum: *e*) quoad immobilia tandem citra solemnia et beneplacitum Sedis Apost. alienari possunt non solum praedia exigui valoris, sed quorum alienatio necessaria est, sive iure, e. g. empta cum pacto revenditionis, sive facto, quod moram non patitur vel est perutilis, quia res plus incommodi quam commodi afferunt, e. g. domus ruinosae, vel propter occasionem, quae alias transiret: vel demum permissa fuit ab eo, qui donavit, legavit... Cf. *D'Annib. summ. heic n. 79 et 80.*

401. *Decl. 4. p.* **Poenae in male alienantes.** Quoad poenas recensetur excommunicatio in iis, quae *nemini reservantur* ipso facto incurrenda *Constit. Pii IX. Apostolicae Sedis n. 3.* praecise contra *alienantes et recipere praesumentes* bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam *Extrav. Ambitiosae.* Hinc patet: 1) excommunicationem non esse amplius affectam reservatione: 2) hac non plecti consentientes, consulentes, faventes... destruentes vel furantes et diripientes res ecclesiasticas: 3) alias poenas, e. g. suspensionem et interdictum esse sublatum... Poenae autem, quae censurae proprie non sunt, e. g. privatio beneficii vocisque activae et passivae, inhabilitas ad officia et beneficia... iuxta nonnullos adhuc manerent, quamvis iuxta alios verius admittitur, *poenas latas* ab iure ad unam excommunicationem dictam coerceri, ceteras per iudicis sententiam posse imponi.

Illud autem certum manet, alienationem contra eiusmodi leges factam esse prorsus irritam, bonaque sic alienata esse restituenda. Nam in iure *ll. cc.* dicitur *si quis autem alienare praesumpserit...* alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio... nullius omnino sint roboris « et infra », alienatae res

et bona huiusmodi ad Ecclesias, monasteria et loca pia, ad quae ante alienationem huiusmodi pertinebant, libere revertantur.

Alienatio denique non rite facta, ut probe advertit Soglia *Instit. Iur. Eccl. v. 2. § 115.* duplici modo reparatur. Namque Ecclesia duplicem habet actionem: 1°. erga Praelatum alienantem, eiusve haeredes, ut ex bonis propriis, si quae suppetant, damnum Ecclesiae illatum praestent; 2°. adversus possessorem *rei male alienatae,* contra quem agere potest vel actione reali, nempe rei vindicatione, vel etiam interdicto *unde vi*, quia Ecclesia censetur eo pacto fuisse a possessione rei suae deiecta, atque spoliata. Utrumlibet eam actionem intentare valet, ipsemet male alienans Praelatus, quia dum agitur de publica utilitate et praesertim Ecclesiae, allegans propriam turpitudinem audiendus est: item eius successor Capitulum, imo quaelibet persona ecclesiastica aut etiam patronus Ecclesiae, aut Princeps territorialis *c. 4. et 6. h. t.* Fructus etiam rei alienatae, dum agitur de possessore malae fidei, vindicari a die celebrati contractus possunt, nec in tantum qui adhuc extant, sed etiam aestimatio et pretium eorum, qui sunt consumpti. Ubi vero possidens rem Ecclesiae bona fide versetur, videntur restituendi fructus quidem extantes, non vero ante litis contestationem omnino consumpti. *Rota Decisio 11. Febr. et 11. Decembris 1724. et 27. Martii 1726.*

SECTIO II.

DE ACTIBUS, QUIBUS BONA ECCLESIASTICA ACQUIRI VEL ALIENARI POSSINT.

402. Praenot. Postquam de Ecclesiarum atque Ecclesiasticorum bonis iam actum sit universim, protinus deveniendum nunc est ad modos, quibus potissimum haec bona acquirantur aut alienentur. Ab his exponendis abstinere prorsus non possumus, tum ob integram vigentium canonum summam, quam exactam tradere nostri instituti est, tum ob viam sternendam ad civiles causas clericorum: hi enim modi, de quibus varii tituli praesertim Decretal. libro III. continentur, ad

quos nonnulli alii e libro II. referuntur, veluti materiam exhibent ipsarum causarum: prout circa ea vel de proprietate vel de possessione controversia movetur. Quinque autem capitibus materiam per quam breviter absolvimus: 1^m. circa actus ineundos vel iam initos generalia principia exhibet: 2^m. distinctione facta actuum inter vivos et mortis causa, agit de *actibus inter vivos*: 3^m. de actibus *mortis causa*. Atque his actibus dominium vel ius aliquod transfertur in re aliena; at quandoque accidere potest, ut res aliena non supponatur tunc, cum transfertur dominium, si e. g. longaevae possessioni leges consuluerunt per varias praescriptiones; hinc distincte: 4^m. *de Praescriptionibus*. Tandem cum Ecclesia laedi vel damnum aliquod in acquisitione aut alienatione pati generatim possit, hinc 5^m. erit distincte remedium exhibens, quod *in integrum restitutio vocatur*.

CAPUT I.

DE ACTIBUS IN GENERE.

TITULUS XXX.

DE ACTIBUS INEUNDIS.

Summarium. — Ubi actuum substantialia attendenda sunt 1. res certa, possibilis, honesta: 2. causa finalis, cui alligatus est consensus, varia, e. g. pro specie varia contractuum, quae honesta sit: 3. et voluntas seria ac vera absque errore, vi ac metu.

403. *Decl. 1. p.* omnium actuum distinguuntur substantialia, accidentalia et solemnia. Illa sunt, sine quibus actus constare non possunt; ista quae inesse vel abesse possunt pro agentium arbitrio; haec autem sunt quae pertinent ad formam actus ex legis praescripto. Porro substantialia exhibentur in prop. scilicet **res**. *Rei* nomine venit hic aliquid dandum, vel faciendum, vel non faciendum. Patet autem assertio, cum qui-

libet actus obiectum seu materiam, circa quam versatur actio, habere debeat. *Res* debet esse *certa,* ut appareat quid, quale, quantum dandum sit; *possibilis,* h. e. non ex iis, quae in rerum natura non sunt, vel naturaliter sive per se sive per alium fieri non possunt: ratio est quia *impossibilium nulla est obligatio, L. 185. de R. I.* modo non agatur de re divisionem recipiente, seu ex parte possibili: nam tunc ut alias dari et fieri debebit, ex qua parte dari, fieri possit: *honesta,* quia turpia, e. g. peierari, furari, ab uxore divertere, quaeque corrumpunt bonos mores aut leges... *nec facere nos posse credendum est L. 15. de condit. instit.* Hinc nulla ratio habenda promissionis ad turpia seu ad rem, quae nunc licite praestari nequit. Dixi *nunc;* quia si facta fuerit promissio sub conditione, vel die, quibus purificatis, licite fieri possit, promissio tenet.

404. *Decl. 2. p.* **Causa** est ratio vel motivum, quo quis e. g. ad paciscendum vel contrahendum est permotus: seu est *utilitas actus ex L. 1. de adim. leg. 15. de V. O.,* et solet efferri per particulam *quia.* Alia extrinseca, quasi finis operantis, est, alia intrinseca, quae in actibus onerosis est utilitas, quae consistit ex actu ipso natura sua, quaeque si deest, agitur nihil: *L. 2. § 3. de dol. except. L. 1. de Condict. sine cau.* e. g. si transactio super re plane certa intercesserit. *Ex L. 2. C. de transact.* In gratuitis causa est liberalitas dantis, qui si errore *efficaci* deceptus promiserit vel dederit aliquid, videndum est, utrum error sit in causa motiva aut impulsiva: si 1., actus non valet; si 2°, non convenit inter DD.

Cum autem causa honesta sit oportet, neque ulla adsit turpitudo, videndum est utrum haec se teneat ex parte dantis aut accipientis, an utriusque simul: si solius dantis *(ad rem D'Annib. Summ. t. ». § 309),* dari oportebit, quod promissum fuit, ut puta si quid promiseris puellae ea cogitatione, ut ad commiscendum induceres. Sin solius accipientis, nempe si des ut is faciat vel omittat, quod facere vel omittere debet, v. c. furi ut restituat, testi ne peieret; si quidem id facis tui vel alterius gratia, etiam acceptum restitui debebit, quippe fuit quasi redemptio vexationis iniustae; sin gratia ipsius accipientis, v. c. ut is vitet peccatum, infamiam, dari oportebit quod promissum fuit, quippe magis voluntaria donatio est. Sin demum

utriusque turpitudo versatur, ut puta si quid iudici dederis, ut iniquam sententiam ferat,... ante rem turpem perpetratam nihil dari oportere, et datum repeti posse, quia pactum nullius momenti fuit. Post eam perpetratam nonnulli putant datum quoque restituendum esse; non enim debetur ex pacto, quod ab initio nullum fuit; nec ex re ipsa, cum actio turpis non sit pretio digna; contra alii longe plures *vel peti* non datum, non ex conventione, sed ex postfacto quasi laboris vel periculi pretium: sententia utraque gravis et utraque s. Alphonso probabilis, sed haec probabilior; ideo consultius est possessori favere; sive ei, qui promisit si nondum dedit, sive ei qui turpe opus fecit, si iam accepit. *Cf. hac de re et Baller. opus theol. morale v. 2. § 68. seqq.*

405. *Decl. 3. p.* Tandem uti substantiale requiritur ad actum **voluntas**: debet enim esse actus humanus, atqui ex voluntate initium capit omnis actio nostra; et quidem *seria*, h. e. ut actum non sit neque simulate, neque ioco, nisi lex suppleat voluntatem; *vera* h. e. non interpretativa, atque exterius expressa signis, factis aut silentio ipso. Quod silentium pro voluntate erit solum in favorabilibus, atque ex sola praesumptione iuris. Iamvero actus inter vivos *regulariter* non minus, quam ex duorum, actus ultimae voluntatis, ex unius voluntate consistunt. Dixi *regulariter*, quia si is, e. g. cui ex ultima voluntate aliquid relictum sit, id non acceptaverit, non valet actus.

406. Et quoniam voluntati duo contraria sunt *error* et *metus*, videndum est qualis error aut metus invalidet aut saltem rescindibilem faciat actum. Ad *errorem* quod attinet: *error facti* irritum facit actum, si est in iis, quae pertinent ad substantiam actus, vel quoad personam, cuius causa principaliter initur actus; nullum reddit actum *error iuris*, qui actus ineundi causa unica aut praecipua extiterit, vel qui quasi in conditionem reciderit, vel casu, quo quis ex eo actu nullam obligationem oriri, aut ab inita obligatione discedere, ipse proprio marte quandocumque voluerit, posse putaverit.

Ad *metum* quod spectat, cum huic in pluribus aequiparatur *vis*, paucis exponamus 1) quid sit vis ac metus et quotu-

plex, 2) quandonam metus invalidum aut rescindibilem efficiat actum.

Vis *absoluta* dicitur maioris rei impetus, qui repelli non potest *L. 2. ff. quod metus causa,* seu corporalis coactio ad faciendum vel patiendum aliquid, quae dicitur praecisa, absoluta et simpliciter dicta. Conditionalis vero seu compulsiva vis coincidit cum *metu,* qui definitur esse *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio L. 1. ff. eod.,* i. e. violentia externa compellens aliquem, ut consentiat in aliquam actionem vel emissionem non consensurum.

Vis autem dividitur in *publicam* et *privatam*: de vi *publica* tenetur *hodie* qui cum armis vim infert vel inferre parat: hinc audit et *vis armata;* de vi privata, qui id sine armis facit § *recuperandae 6.* p. *qui autem Inst. de interdict.* Cf. *Schmalzgrueber in tit. de his quae vi met. n. 2.* Item vis alia est *ablativa,* qua res mobilis alicui eripitur et generat actionem *vi bonorum raptorum* § *1. Inst. de vi bonorum rapt.;* alia *expulsiva,* qua quis eiicitur possessione immobilium iisque cohaerentium et inducit interdictum *unde vi L. 1. ff. de vi et vi arm.;* alia *turbativa,* per quam quis turbatur in possessione, atque infert interdictum *uti possidetis* in immobilibus, *utrobi* in mobilibus. Alia *inquietativa,* qua quis inquietatur in usu suae rei, vel prohibetur quid facere e. g. aedificare, arare unde nascitur interdictum, *quod vi aut clam.* Patet autem vi absoluta tolli simpliciter voluntarium et liberum consensum, adeoque sic gesta non solum omni vacant culpa ex parte vim passi, sed omni carent valore.

Metus supra definitus, si est a causa necessaria e. g. a morbo, incendio, dicitur *ab intrinseco*, si a causa libera e. g. homine intentante malum, dicitur *ab extrinseco* incussus, *iuste* incussus, si patiens causam eidem sua improbitate dedit et inferens habebat ius illum incutiendi, *iniuste* vero si innocenti ab improbo intentatur et quidem directe aut indirecte. Distinguitur etiam in levem aut gravem; hic est absolute vel respective gravis: ad quem reducunt metum reverentialem. Porro etsi metus non tollat omnino voluntarium et liberum consensum, sed tantum secundum quid; et facit ut consensus non sit spontaneus, quia *coacta voluntas* est voluntas iuxta

axioma ex *L. 21. § 5. ff. eod.* « *quamvis si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui* », nihilominus obest valori actus metus, si actus revera initus fuit metus causa, atque adeo si metus non fuerit ab intrinseco, sed 1°. *incussus ab alio* ad actum extorquendum ; 2°. fuerit etiam *gravis,* et 3°. quoad substantiam *iniustus.* Ob talem metum initi, saltem ex dispositione iuris censentur omnino irriti apud omnes sequentes actus I. *matrimonium c. 14. et seq. de sponsal.* II. *Professio religiosa* et vota simplicia Religiosum constituentia *c. 1. de his quae vi.* III. *Promissio et constitutio dotis L. 21. § 3. ff. h. t.* IV. *Promissio et traditio rerum* ecclesiasticarum et iuramentum de iis non repetendis *c. 2. de iureiur.* quocum combinentur *c. 3. et 6. h. t. de his, quae vi....* V. *Quae geruntur per iniuste detentum* in carcere cum detentore *L. 22. ff. h. t.* VI. *Testamentum* ad quod testes sunt metu coacti. VII. Absolutio a censuris. VIII. *Actus* tutoris per vim retenti: quibus alii, aliis reclamantibus, addunt sponsalia, constitutionem procuratoris, et iurisdictionis prorogationem metu obtentam.

Summarium — Attendenda etiam sunt accidentalia in actibus quae 1) conditio 2) dies 3) modus dicuntur.

407. *Decl. 1. p.* **Conditio** stricte sumpta est « *circumstantia actui adiecta, ex qua ius aliquod pendet* », ubi apparent duo praecipua elementa: 1. *sit adiecta,* h. e. ab extrinseco accedat: nam quae pertinent ad substantiam actus, atque eae sive generales e. g. si vixerimus, sive speciales intrinsecae contractui e. g. si mihi non es sanguine iuncta, duco te, quaeque generatim tacite insunt sive natura sive lege, si fuerint inserta, *conditionatum non faciunt actum.* 2. ut ex ea conditione *pendeat aliquod ius* h. e. *illud in posterum differat,* atque adeo eventum futurum et incertum contineat; proindeque conditio de praeterito vel praesenti non proprie talis, nec facit contractum conditionatum: cum hoc proprium sit conditionis, ut obligationem suspendat, donec aliquid eveniat vel non eveniat. Iuristae dicere solent quod ante conditionis eventum vel existentiam nec *cedat dies* h. e. nihil adhuc debeatur, et obligatio nondum sit nata, *nec veniat dies* h. e. nihil exigi possit. Ex-

primi autem conditio solet particulis *si, nisi, cum, ubi, quando, postquam, dum, donec, modo etc.* Haec autem circumstantia si a casu pendet (e. g. si Caius uxorem duxerit) *casualis,* si a *voluntate* eius, qui rem praestare debet e. g. si Romam iero, *potestativa,* si ex utroque e. g. si Agatam uxorem duxerit, *mixta* audit. Potestativa rursus est affirmativa, si in faciendo, negativa si in non faciendo consistit. Impletis autem conditionibus vel acquiritur vel revocatur ius, quod pendet, hinc aliae *suspensivae* sunt, aliae *resolutoriae.* Aliis verbis resolutiva dicitur improprie illa conditio, quae adiicitur, non ut valorem actus suspendat, sed ut possit resolvi e. g. contraho tecum donec aliam te ditiorem invenero: vendo tibi hanc rem, nisi intra annum melior conditio mihi offeratur. Unde suspensiva est, cum nolumus obligari antequam existat conditio; resolutiva est, cum volumus obligari quamdiu aliquid fiat, vel non fiat, et, conditione cessante, nolumus amplius obligari. Haec si agatur de contractu solubili, non repugnat modo aequitas servetur. Unde conditio resolutiva supponit contractum validum: eveniente tamen conditione resolvendum. Alia conditio est impossibilis, quae numquam evenire vel naturaliter vel civiliter potest e. g. si per aera volabis; alia necessaria, quae certo eveniet. Iamvero ex his conditionibus omnes inseri possunt actibus seu ultimae voluntatis seu inter vivos: modo non sint 1°. *potestativae in meram* debitoris voluntatem collatae: nam hae actus vitiant semper; 2°. neque contra naturam actus, e. g. si vendas praedium ea lege, ne rei dominium in emptorem transeat, uti patet, nisi forte actus in aliam negotii formam cedere possit: e. g. si in mutuo, aut commodato merces constituta fuerit: cum illa suapte natura gratuita sunt: ut patet; et 3°. quae impossibilia sunt, vel contra bonos mores et leges: atque eiusmodi conditiones non suspendunt valorem actus vel obligationem, atque ordinarie vel vitiant actum, vel vitiantur ipsae h. e. pro non adiectis habentur.

Ad vim autem, quam conditio habeat, dignoscendam, tria stadia distinguantur 1. quamdiu pendet; 2. cum purificatur seu extiterit; 3. si defecerit. In I. stadio vel est *suspensiva:* et tunc *is, cui aliquid debetur,* quasi creditor habendus est,

licet nonnisi a conditione impleta deberi incipit, is autem qui debet, non potest recedere neque rem promissam deteriorem facere; vel est resolutiva, et tunc ei, qui sibi aliquid stipulatus est, vel cui aliquid relictum fuit, hoc ei protinus quidem debetur; et suum fit *(LL. 1. 2. 6. de in diem addictione);* sed et ipse interim debitoris loco est, atque ideo ipsi quoque nefas est rem facere deteriorem *(L. 14. de pign. et hypoth.):* sin autem suspensiva seu resolutiva ea sit, qui, ea impleta, ius aliquod aut rem acquisiturus vel iterum acquisiturus est, interim sibi vigilare potest,... si conditio casualis fuerit, eventus expectari debet; sin potestativa, si quidem negativa est, pro impleta erit, ex quo certum esse coeperit, contra fieri non posse *L. 9. Qui potior in pign. L. 10. de V. O.* Si est affirmativa, impleri debet: nempe 1°. ex verosimili voluntate eius, qui illam apposuit. Voluntas enim regit conditiones *L. 19. de Condit. et demonst.;* 2°. suo tempore; 3°. tota: impleta ex parte pro non impleta est, nisi forte res divisionem recipiat, et integram vel praestare impossibile sit, vel exigere iniquum. Plus, si duo iussi fuerint aliquid praestare et unus non praestiterit, si res divisionem recipit, alter nihilominus suam partem exigit; si non recipit, totum praestando, totum consequitur *L. 55. de cond. et dem. L. 5. C. de cond. inst. L. 13. de manumissis testam., L. 11. Qui potior in pign. D'Annib. n. 317.* II. Cum conditio *extiterit,* vim suam exserit conditio *ipso iure,* etsi partes nil expresserint, vel ignorent conditionem adimpletam fuisse *L. 37 si cert. pet.,* ita *ut retro valeat L. 19. de R. I., LL. 9. et 11. Qui potior in pign.* Unde si conditio suspensiva erat, negotium ipso iure perficitur, modo nil desit eorum, quae ad actum requiruntur, e. g. si causa: quoad consensum autem, hic si revocatus fuerit, regulariter per legem suppletur *L. 7. de C. E. Lugo de Iust. et iur. disp. 22. n. 383.* quia nemo potest mutare consilium suum in alterius iniuriam *RR. 36. 76. de R. I.* III. Cum defecerit conditio, hoc accidit facto vel eius, qui eam implere debuisset, vel eius, qui debuisset aliquid praestare vel neutrius: si 1^{m}., nihil ei debetur; si 2^{m}., pro impleta erit; si 3^{m}., cessat obligatio. *Cf. D'Annib. l. c.*

408. *Decl. 2. p.* Attendenda est etiam **dies**, quae in iure quodcumque temporis spatium, mensem, annum, horam com-

plectens significat, quod temperandae, finiendae, aut multiplicandae obligationi adiicitur, et tunc obligationes et iura dicuntur *ex die* vel *in diem: ex die deberi* est post aliquod tempus deberi, adeoque ante illud non intelligitur obligatio, *in diem* vero deberi est usque ad certum tempus deberi, quo expleto cessat *obligatio L. 43. de A.* et *O.* e. g. qua aetate incipiat, qua cesset ieiunii obligatio. In ipsa porro obligatione praestanda, iam advertimus, *diem cedere* est, cum aliquid deberi incipit: *diem venire* est cum peti potest. Hinc quando actui dies *tacite inest* aut dies certus, vel etiam incertus (de quo nescitur quando sit extiturus), adiicitur expresse tamquam *terminus a quo,* statim quidem *diem cedere* dicitur et obligatio nascitur, tamen antequam *dies veniat,* res promissa peti non potest. Atque adeo cum ad moram solutionis dies adiecta sit in gratiam debitoris e. g. in mutuo, quod debetur statim dari potest, sed non peti, nisi cum dies venerit; si in gratiam creditoris, ut in deposito, poterit statim peti, sed non dari, nisi cum *venerit dies:* sin utriusque, nisi dies venerit, nec dari nec peti potest. Si dies adiecta fuerit tamquam terminus ad quem, seu ut obligatio ea die finiatur (obligatio in diem), non suspendit obligationem, sed haec pura est. Cum dies adiecta sit uti terminus a quo seu ut obligatio incipiat illa die: haec 1) vel certa est vel incerta, et si incerta, ignoratur ne 2) *utrum* sit extitura, an 3) quando sit extitura: in 1°. casu obligatio pura est, in 2°. dies pro conditione erit, in 3°. haec incerta dies pro conditione erit quoad ultimas voluntates, ut dilationem continet in contractibus. Adde si stipulatio in *annos singulos* simpliciter concipiatur, obligatio erit pura et perpetua transiens utrinque ad haeredes. Quod si legatum simili modo relinquatur, morte legatarii finitur. *L. 16. § 1. ff. quando die legat. ced.* Nam qui stipulatur, haeredibus etiam suis cautum velle, qui autem legatum relinquit, solam legatarii personam respicere censetur.

409. *Decl. 3. p.* **Modus** dicitur *adiectio indicans quid is, qui aliquid dat* aut promittit eo modo fieri velit: atque adeo est gravamen dispositioni adiectum instar causae finalis in tempus futurum ab altero praestandum. Hinc natura modi ea est, quod is contractui vel dispositioni reipsa nihil superaddat,

nisi reciprocam obligationem ad aliquid faciendum vel omittendum. Communiter apponitur per particulam *ut* vel *ita ut* e. g. lego tibi *centum ita ut,* vel *ita tamen,* vel *ea conditione, ea lege ut hoc facias.* Porro modus adiectus est in commodum vel donatarii e. g. *Titio centum, ita ut fundum emat, legata sunt, L. 71. pr. ff. de condit. et demonstr.,* vel in commodum legantis vel tertii e. g. *Titio centum relicta sunt, ita ut Maeviam uxorem, quae vidua est, ducat, L. cit. § 1m;* si 1. modus censetur esse causa tantum impulsiva et capitur legatum vel donum etsi modus non impleatur; secus si 2m. cum tunc modus pro conditione est, e. g. Caius legavit Osio praedium *ut sibi statuam ponat:* atque adeo quod sic relictum vel promissum est, debetur, protinus cautione praestita, *L. 1. de his quae sub modo; L. 40. § ult. de cond. et demonstr.;* eo autem non impleto competit restitutio, si quis noluerit aut non potuerit modum implere: exceptis semper relictis vel datis Ecclesiae, quae ex negligentia Rectoris praegravari non debet. *C. 4. de Condit. app.*

Summarium. — Solemnia 1) quae ad formam cuiusque actus pertinent, attendenda sunt praesertim in publicis actibus seu instrumentis. 2) Privata instrumenta quae vulgo scripturae audiunt, etsi nullam habeant formam, tamen ut aliquatenus valeant, subscriptione partium opus est.

410. *Decl. 1. p.* **solemnia** *quae* etc. nam distinguuntur generatim solemnia seu solemnitates, quae ex iure positivo observari debent in actibus obeundis e. g. quod res minorum vel Ecclesiae veneant sub hasta; et ea, quae ad formam cuiusque actus pertinent, e. g. quod quidam actus publicis instrumentis conficiantur, vel quod instrumenta ipsa ex iure fiant. *Instrumenta publica sunt,* quae a notariis seu tabellionibus fiunt *c. 2. de fid. instrum.* Actus autem publici sunt, qui per eos fiunt, qui publico munere funguntur pro officio et munere suo e. g. iudices, actuarii, apparitores. Hisce positis, generatim quod publica instrumenta suam praeseferant formam, necesse est ut 1. exarentur vulgari idiomate, die et loco nota-

tis, quo conficiuntur; 2. ut testes adhibeantur natura et iure idonei: *natura* h. e. non mente neque auribus aut oculis capti, linguam testatoris aut contrahentium callentes: *iure* h. e. domicilium vel residentiam in Regno foventes, mares, aetate maiores, subscribere scientes, exceptis iis, quibus est interdictum, e. g. notarii amanuensibus, studiosis... numero sufficientes i. e. in contractibus duo, in testamentis quatuor; 3. ut postquam exarata fuerint, notarius parti seu partibus perlegat, seu publicet coram testibus: utque omnes ei cum notario subscribant: et si testator aut contrahentes subscribere nesciant, aut nequeant, huius mentio facienda est, eiusque ratio in ipso instrumento exprimenda est: praeter quam quod omnia ex iure facta fuisse apparere debet. Iamvero quoad hanc formam requisitam a lege videndum est « an lex nominatim caveat solemnibus hisce non servatis actum fore irritum, aut rescissioni obnoxium, vel neutrum »: si hoc 3^m^. actus relinquitur arbitrio iudicis et interim valet, si 2^m^. pariter interim obligat etsi officio iudicis sit rescindendus, si 1^m^. etsi coram lege, adeoque in foro externo irriti esse dicantur, atque proinde effectus civiles nullatenus habituri, in foro tamen interno non convenit apud omnes DD. *cf. Baller. opus morale t. 3. Tract. VIII. n. 24. sq.* = Dixi in *foro externo....* quia Instrumenta publica, quae sua carent forma, generatim *a*) apud omnes gentes pro infectis habentur, et *b*) quia *forma est, quae dat esse rei,* cumque pertineant ad formam actuum, hi etiam in foro fori nullius sunt momenti.

411. *Decl. 2. p.* Etsi privatis instrumentis seu scripturis nulla insit forma, tamen ad valorem, pro quo proferuntur, subscriptione omnium partium confirmanda ipsa esse praescribit *L. 16. C. De fid. instrum.* Quas subscriptiones postquam a peritis vel a partibus agnitae sint, instrumenta hisce confirmata fidem faciunt tantum inter easdem partes. Praeter subscriptiones ad eiusmodi valorem nil aliud requiritur.

Hisce adde ad actus valorem agnoscendum, ipsius initium quoad factum et quoad ius esse spectandum: quod si tunc valuit, factum legitime retractari non debet, etiamsi postea is casus inciderit, a quo initium habere non potuisset. *De Reg. I. in 6. c. 73;* si vero non valuit quod ab initio

vitiosum est, non potest solo tractu temporis convalescere ; etsi postea quod ab initio defuit, subesse coeperit. Quod si pars tantum vitiosa fuerit, *utile per inutile non vitiatur,* modo recipiant divisionem. *C. 18. de R. I. in 6.*

TITULUS XXXI.

DE OBLIGATIONIBUS EX ACTIBUS IAM INITIS, NOMINATIM DE SOLUTIONIBUS.

Summarium. — Omnis obligatio ex actu rite inito orta 1) **vel consistit in dando, et tunc dari oportet id, quod in obligatione est, vel in faciendo, et** 2) **debitor ex contractu liberatur, si magis solvere velit quanti interest creditoris; debitor ex testamento obtemperare debet, si relicta sibi capere velit;** 3) **suo autem tempore praestari debet quod promissum est dandum vel faciendum. Ad promissionem urgendam addi** 4) **poena et** 5) **arrha solet.**

412. Ad 1^m^. Cum omnis obligatio vel in dando vel in faciendo consistat, aut *in omittendo,* de hoc ultimo res patet; si quis enim contra fecerit, cogitur damnum sarcire et opus tollere, si fieri potest: si consistit in dando... dari debet quod est promissum: si *genus*, nec pessimum dari nec optimum exigi potest: quod si res dari non potest, aestimatio eius danda est quanti fuit tunc, cum dari debuit: danda est suo loco et tempore. Quod si certum corpus, aut species, ex die dari vel reddi debeat, tenetur debitor custodiam eius interim praestare.

Ad 2^m^. h. e. *si in faciendo* consistit, *debitor ex contractu* etc. patet ex *L. 13. § 1. de re iudic.* debitor ex testam... patet ex *L. de legat. 3.* Id autem vel per se vel per alium, nisi aut opus artificiale sit, aut creditoris intersit ab ipso fieri: mediocri autem peritia opus est, quisquis opere defungatur. Tandem obligatio alicuius operis faciendi regulariter divisionem non recipit.

Patet et 3^m^.: quod si *nullum tempus* adiectum sit, in contractibus, ut verbis utar cl. Card. D'Annib. heic « quod *sine die debetur, praesenti debetur,* nisi obligatio ex *re ipsa* dilatio-

nem capit: in testamentis quamprimum. Qui suo tempore rem non praestat, *moram* facere dicitur: sed et is, cui res debetur, si accipere eam distulerit, moram facit.... mora definiri potest « *solutionis faciendae vel accipiendae dilatio* ». Fit vel ex re, vel ex persona. Ex re, cum res ipsa moram continet, vel dies adiecta seu pacto seu lege ipsa praeteriit. Ex persona si interpellatus, etiam extra ius, debitor opportuno loco non solvat; creditor non acceptet... *Unicuique autem sua mora nocet;* verum debitori, in foro exteriori si culpa civilis, in interiori si theologica eum tenet.

Ad 4^m^. Est *poena* quasi praestatio eius, quod interest; est aliquid accessorium; tunc debita tandem, si principalis obligatio rata fuerit. Committitur autem ob moram; et creditoris est eligere poenam vel rem promissam, non utrumque, nisi poena stipulata fuerit *rato manente pacto L. 16. de transact.*

Ad 5^m^. *Arrha* id est *quod in negotiis contrahendis ab uno alteri datur ea lege, ut is, qui non implet obligationem, si eam dedit, illam amittat: sin accepit, duplam reddat.* Per arrham utrique contrahentium cavetur; is autem, qui obligationem implevit exigere valet, prout lubet, arrham vel rem promissam: coeterum arrha iisdem, quibus poena, regulis iuris ligatur.

Summarium. — Nomine solutionis I) **late sumptae venit quaelibet liberatio ab obligatione,** 1) **speciatim acceptilatio, oblatio rei debitae,** 2) **confusio, compensatio, novatio et delegatio,** 3) **rei interitus:** II) **stricte autem sumptae est physica praestatio seu redditio rei debitae, debito loco et tempore facta creditori. Porro de hac breviter indicamus** 1. **quinam solvere possint aut teneantur;** 2. **quid sit solvendum;** 3. **quibus et quo ordine solvi debeat;** 4. **quonam tempore et loco;** 5. **quinam sint solutionis effectus.**

413. *Decl. 1. p. Est tit. 23. l. III. Decretal. de solutionibus,* quas DD. lato et stricto sensu intelligunt: late 1°) et ex *parte creditoris* solutio significat acceptilationem. Haec autem est actus *a*) *quo creditor debitori suo debitum remittit. L. 8. de Liberat. legata;* et cum sit species donationis, *b*) fit ab eo tantum, qui donare potest, vel cui donari permittitur, *c*) expresse vel tacite, *d*) revocabilis iisdem ex causis, quibus do-

natio, etsi sicut donatio, *e*) neque forma neque acceptatione indiget. – Oblatio rei debitae tunc obtinet cum debitor competente tempore et loco creditori realiter eam repraesentat: hoc autem recusante, obsignatam deponit apud Iudicem. Porro eiusmodi depositio apud magistratum vim habet solutionis, periculum transfert in creditorem:

2°) ex *parte debitoris et creditoris* est *a*) *confusio:* haec fit cum ius creditoris et debitoris in eamdem personam devenerint, sive debitor creditori, sive creditor debitori, sive tertius utrique sine inventario haeres evaserit *L. 51. de fideiuss.* Unde si fiscus succedat tam debitori, quam creditori, Fideiiussores liberantur *L. 2. de solution. b*) *compensatio est debiti et crediti inter se contributio L. 1. de compensationib.* supponit proinde debitum ultro citroque; et cum sit instar solutionis, locum non habet, nisi utrumque debitum earum rerum sit, quarum altera alterius vice fungi valeat, et nisi pariter utrumque tum exigi queat, tum liquidum sit, vel quod protinus liquidari possit: liquidum autem dicitur *cum certum est an et quantum debeatur. Pothier § 628.* Unde tributa, debita ex furto vel deposito... omnem respuunt compensationem. Compensatio est *publica* quae fit publice in iudicio, suumque obtinet effectum in foro externo, habet rationem exceptionis creditori solutionem petenti oppositae: est *occulta,* quae fit inscio debitore et pro foro tantum interno; quam relinquimus TT. moral. utrum liceat, cum alterius debitum sit certum, contractum ex iustitia, aliter aut sine magnis incommodis non recuperandum... – *c*) *novatio* est prioris obligationis in novam obligationem translatio *L. 1. de novation.;* I. debet autem fieri *animo novandi manifesto;* II. supposita utraque obligatione saltem *naturaliter valida.* III. Fit porro novatio mutatione vel *debiti;* quoties mutuo consensu priori obligatione dempta, nova inducitur, vel *debitoris,* si quod ego debeo, alter creditori meo expromiserit soluturum; vel *creditoris,* quae reincidit in *delegationem L. 11. de novat.* « *Delegare* est vice sua alium reum dare creditori, vel cui iusserit » seu delegatio est species *novationis* cum creditori meo vice mea reum delego, ita ut in novatione maneat idem debitor et creditor; in delegatione novus accedit vel per stipulationem, quo debitor meus

creditori meo vel alii, cui iusserim rem mihi debitam promittit, quorum omnium requiritur consensus: vel per litis contestationem, si quis pro reo convento iudicium subeat et litem contestetur non invito actore. IV. Sicut novatione facta prior obligatio et omnia eius accessoria (e. g. pignora, fideiussiones, usurae) evanescunt, nisi expresse aliud convenerit, ita effectus delegationis est quod habeatur pro iusta debiti praestatione, vicemque obtineat solutionis, quia obligatio semel extincta non reviviscit: etsi postea comperiatur delegatum non esse solvendo.

3°) *Rei interitu,* quae est in obligatione, liberatur debitor si absque huius culpa res esse desierit, *si res in specie* et determinate erat debita, neque dumtaxat in genere e. g. pecunia, quia genus haud perire censetur; neque cum duae res sub alternatione promissae, quarum una perempta, altera peti potest: unde nisi omnia ex his perierint, obligatio manet. Dixi absque debitoris culpa seu dolo: nam si casu, modo hunc ille in se non susceperit, aut culpa tantum civili perierit (quando de ipsa expresse non fuerit cautum) liberatur.

414. *Decl. 2. p.* Strictiori sensu solutio est *praestatio rei debitae,* dandae sc. vel faciendae. Nos agimus de ea solutione rei *dandae,* quae rem dandam transfert in accipientem. Est autem solutio haec alienationis species: atque adeo 1°. solvere potest *a*) qui liberam habeat rerum administrationem, ita ut alienare possit: et res, quae datur, fiat accipientis, qui capax sit eam accipere: *b*) imo et qui loco ipsius vel mandantis, vel etiam ignorantis, aut prohibentis; ad 1^m. est *L. 14. § fin. ff. h. t.;* ad 2^m. est *L. 23. 58. 87. ff. h. t. Inst. quib. alien. licet et quibus mod. toll. oblig.* Nil autem creditoris interest a debitore ne, vel ab alio solutionem consequatur: si quis tandem solvit pro altero invito, donasse censetur = *solvere* autem *tenetur* regulariter omnis debitor vel per se vel per alium integre: tenetur ex iustitia commutativa: *regulariter* quia quandoque qui par solvendo non sit, poterit cedere bonis, vel excusari ex privilegio competentiae.

2°. *Solvendum* est autem *id, quod debetur,* seu debitum totum simul et semel, nisi aliter sit conventum, vel debitum per partes contractum *l. 2. ff. § 1. de R. C.; l. 99. h. t.:* cum

solutio per partes sua habet incommoda. = Attamen si quis quodcumque solverit, quod postea resciat esse indebitum, tam civiliter quam naturaliter, condicere potest, seu repetere solutum *per condictionem indebiti,* modo probet errorem et indebitum *L. 1. seq. L. 41. ff. de cond. ind.*

3°. *Quibus et quo ordine solvi debeat. Resp.* ad 1^m. Creditori, cui aliquid debetur, vel alteri, cui data est potestas a creditore solutionem recipiendi: porro *a*) creditori creditoris tui perperam solves, si hic est invitus *L. 108. § 1. ff. de legat. I.* = *b*) si solvis pupillo, minori, vel curatorem habenti et libera rerum administratione destituto, sine auctoritate eorum, quibus subsunt, iterum conveniri et ad solvendum adigi potes; quin imo, ni solutio facta sit interveniente iudicis decreto, ad restitutionem in integrum cogeris, casu, quo pecunia ab illis perderetur. = Ad 2^m. hoc ordine 1. omnes praeferendi sunt qui res proprias iure domini habent apud debitorem: quales sunt res depositae, commodatae, locatae, dotalia et paraphernalia uxoris, res piis locis venditae, donatae, locatae; 2. creditores specialiter privilegiati, quibus aliquid debetur ratione processus; ratione impensarum, funeralium sepulturae, pharmacorum pro defuncto in ultimo morbo; ratione mercedis vel salarii. 3. Creditores hypothecarii, quorum aliqui gaudent speciali privilegio. Fiscus seu camera Principis in ordine ad tributa et collectas. 4. Creditores hypothecarii simplices... Ius commune est et communis DD. sententia.

4°. *Quoad tempus:* si hoc est praefixum in gratiam debitoris solutio praestanda est eo tempore determinato: quia dies interpellat pro homine, vel potest etiam debitor praevenire terminum: si in gratiam creditoris, tunc nec debitor solvere, nec creditor exigere prius potest, absque poena plus petitionis; si conventum sit de praevia denuntiatione per aliquot menses, et tunc nemo ab hac recedere potest: si quis rem alienam mala fide habet, illico restituere tenetur. = Quoad *locum* solutionis, *si debitum* est ex delicto, locus est ubi creditor moratur vel possideret rem debitam independenter a delicto: si est ex actu gratuito, redditur ubi tempore donationis vel legati existit: si ex contractu, ubi res, pro qua solutio, fuit tradita vel accepta.

Ad 5^m. *Effectus solutionis a*) proximus *debitoris* est liberatio ab obligatione: *L. 43. ff. h. t. creditoris* est acquisitio dominii rei solutae, si solvens habuit eius dominium: *b*) remotus debitoris est exceptio solutionis factae, ius petendi apocham a creditore subscriptam tamquam testimonium factae solutionis, et ius repetendi chirographum creditori datum per condictionem sine causa *l. fin. C. h. t.*

CAPUT II.

DE ACTIBUS INTER VIVOS.

ARTICULUS I.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE SEU

TITULUS XXXII.

DE PACTIS ET CONTRACTIBUS.

415. *Praenot.* Agentes de modo acquirendi derivativo, quo Ecclesia vel acquirit ius seu rei dominium sub alio domino existentis, vel transfert ius aut dominium rei suae in alium: prius hoc articulo in genere, tum in specie de modis variis inter vivos seq. tractabimus: et ab iis, qui minus, ad illos, qui plus obligant, deveniemus. Nam ex his actibus alii sunt simplices, alii compositi: *simplices* alii *benefici:* hi quidem aut *mere benefici* seu liberales aut tales cum *aliquali mutua obligatione* e. g. commodatum, depositum, vel *permutatorii,* qui aut *obligant* partes dando vel faciendo, ut etiam altera pars det vel faciat e. g. in emptione et venditione, in locatione,... aut *communionem* afferunt, communicando facta aut res ad communem utilitatem, e. g. societas. *Compositi* actus fiunt cum plures ex dictis actibus simplicibus concurrant e. g. si rem maioris emam sciens et volens a miserabili persona, erit emptio et donatio. = Voluntatis nostrae se obligantis erga alterum distinguitur multiplex gradus: *assertio,* qua se explicat nunc de futuro sine obligatione tamen perseverandi in ea cogitatione; quae perseverantia si adest, illa evaderet *pollicitatio,* quam sequitur *promissio,* quae perfecta est generatim, si accedit ex

parte alterius acceptatio; tandem *pactum* iuxta varias suas species.

Summarium. — Tradita *a)* **notione pacti in genere et in specie sumpti,** *b)* **atque eius varia partitione indicata,** *c)* **exponitur generatim quinam pacisci et contrahere, nominatim an pupilli, minores, filiifamilias id possint,** *d)* **nec non quibus de rebus iniri pacta valeant.**

416. *Decl. 1. p.* **Notio.** Pactum *in genere* est *duorum pluriumve in idem placitum consensus L. 1. § 2. ff. de Pactis.* Hoc porro sensu idem est ac *conventio;* quae cum comprehendat omnes obligationum species, quas sibi ipsi per suum consensum quis imponat, est veluti genus respectu pacti in specie et contractus in genere sumpti. Pactum *in specie,* et prout distinguitur a contractu in genere, est *conventio ultro citroque habita, ex se non pariens actionem seu obligationem civilem.* Dicitur *non pariens....* quia cum obligationem naturalem pariat omne pactum et omnis contractus, iuxta *c. 1. et 2. h. t. et L. 1. ff. eod.,* civiles leges non cuilibet conventioni obligationem civilem voluerunt adnectere, ita ut quaedam regi deberent sola paciscentium fide. Quae obligationem civilem pariunt, *contractus* (in specie), et coeterae conventiones, nomen generis retinentes, pacta appellantur. Et quoniam obligationi civili respondet actio civilis, ius sc. alicui competens persequendi in iudicio, quod sibi debetur, contractus et non pacta actionem civilem pariunt. Et per hanc pactum differt a contractu proprie tali. Ex eo autem quod dicatur conventio ultro citroque habita, differt pactum a nuda *pollicitatione,* a *transactione L. 38. C. de trans. a testamento,* atque omni alia ultima voluntate, quia haec unius testatoris voluntate constant. Dixi *ex se non pariunt;* quia si sunt pacta vestita et legitima, tunc non *per se,* sed ex adiecto et per *accidens,* vel ex speciali Iuris assistentia, vel consuetudinis pariunt actionem seu obligationem civilem. Est autem *obligatio* in genere *Iuris vinculum,* quo necessitate adstringimur alicuius rei solvendae (vel faciendae vel omittendae). = Ex dictis patet discrimen inter contractum et pactum (quia haec iure naturali et multarum gentium non differunt) desumi ex dispositione legum romanarum, ex qui-

bus illi competit actio per se, pactis vero vel nulla, vel tunc solum conceditur actio, quando induunt vel imitantur contractum. Hinc praecipua

417. *Decl. 2. p.* **Partitio pacti** est in *nudum* et *vestitum*. *Nudum* dicitur, quod in sola conventione seu consensu paciscentium consistit, neque nomen certi contractus, ut mutui, emptionis venditionis sortitur; neque habet aut Iuris assistentiam paciscenti actionem tribuentis aut causam. Per *causam* heic intelligitur datio vel traditio aut factum, quo inita conventio ab uno iam est impleta. *Vestitum* pactum est; quod praeter consensum habet aliud adminiculum Iuris scil. vel nomen certi contractus, vel causam, vel Iuris assistentiam. Vestitur autem 1. si transeat in contractum specificum *L. 7. § 1. ff. h. t.;* 2. si accedat stipulatio *L. 3. C. de rer. permut.;* 3. si pactum nudum adiiciatur alteri contractui bonae fidei *L. 7. § 4. in fin. et 5. ff. h. t.;* 4. si ex alterutra parte secuta sit rei traditio vel promissionis impletio; 5. si accedat aut iuramentum; 6. aut instrumentum publicum a notario confectum. 7. Tandem per speciale privilegium, sicut pactum sponsalitium, aut promissio dotis...

Hinc sequitur pacta nuda nonnisi naturalem et in conscientia obligationem parere: parere naturalem, quia omnis consensus sufficienter expressus et ab altero acceptatus nec a iure irritatus, cum sit de re licita, ipsa naturali lege obligationem inducit. Dixi *nonnisi;* quia non *civilem* seu de iure civili *L. 27. C. de loco et Cond. L. 7. § 4. ff. de Pactis;* neque de iure can. iuxta plures; quia nullibi, dicunt, reperitur actio concessa, et cum iuxta *c. 1.* de *N. O. N.* canones censentur sequi ius civile, neque in Iure can. erit actio, maxime cum de iure can. valet eadem ratio, ne scil. tribunalia litibus nimis frequentibus opprimantur. Attamen probabilis est sententia asserentium in foro canonico ex quolibet pacto nasci actionem *c. 1. et 3. de Pactis et Pirhing in h. t.*

Distinguitur etiam *pactum* aliud *publicum* si ex publica, (e. g. foedera pacis), aliud privatum si ex privata re aut causa initur: aliud est *expressum,* quod fit consensu per verba, nuncium, literas, nutus aut eiusmodi manifesto, aliud *tacitum,* quod elicitur ex praesumpta paciscentium voluntate; eo quod

posito aliquo facto a lege praesumitur, vel fingitur ex iusta causa consensus.

418. *Decl. 3. p.* **Quinam pacisci valeant.** Pacisci et contrahere possunt omnes, qui pacti valorem satis intelligunt, neque a iure prohibentur. Ratio primi est, quia ad inducendam obligationem aliud non requiritur, quam consensus verus ac liber a dolo, errore, ac metu: verus et non fictus, liber a dolo... praesertim circa rei substantiam: et quamvis dolus vel error accidentalis circa rem conventam, sicut et metus cadens in constantem virum iniuste incussus, dantes caussam contractui, non tollant semper consensum ex integro; tamen saltem infirmum atque rescindibile negotium reddunt.

Prohibentur autem iure ecclesiastico pacisci 1. *Clerici* qui toto *tit. de rebus Eccl. alien. vel..*, alienare nequeunt bona Ecclesiae sine certis solemnitatibus. = *Religiosi* res temporales sine consensu superioris vel expresso vel tacito aut saltem praesumpto *c. 2. de testam. in 6; c. 2. 4. 6. de statu monach.; Trid. sess. 25. c. 2. de Reg.* 2. Iure civili, ita ut saltem civilem obligationem non contrahant, *servi* proprie dicti *L. 14. ff. de O. et A.; prodigi* iuridice tales, quibus sc. a magistratu interdicta est administratio *L. 6. ff. de V. O. Pupilli* sc. patre orbati, quibus constituitur tutor, sic tamen ut si absque auctoritate tutoris fuerint pacti aut contraxerint, neque ditiores sint facti, non obligentur ad contractum servandum; sed possunt se gerere ac si non contraxerint *L. 59. ff. de O. et A. L. 41. ff. de cond. indeb.* idque ut consuleretur eorum imbecillitati. Idem fere dicendum est de *minoribus*, (quibus sc. patre orbatis annos pubertatis egressis dari solet curator, qui patris loco res atque utilitatem eorum curet) absque auctoritate curatoris *L. 3. C. de in integr. rest.* = *Filiusfamilias* quamdiu impubes est, nequidem consentiente patre, valide paciscitur etiam circa castrensia § *10. Instr. de inut. stipul.;* si pubes est, valide de castrensibus et quasi castrensibus etiam sine patris consensu paciscitur *L. 4. § 1. L. 10. ff. de Castr. Pecul.*, et de adventitiis, quorum usumfructum pater non habet; invalide autem contrahit de profectitiis absque patris consensu *L. fin. § 5. v. filius autem C. de bonis quae liberis.*

419. *Decl. 4. p.* **Circa quas res pacta** et contractus

iniri possunt. *Resp.* de *a*) honestis et possibilibus rebus et actionibus omnibus; *b*) ubi speciale ius non obstat. Ratio 1ⁱ. est, quia nemo potest ad impossibilia obligari: atque obligatio, cum sit iuris et rationis vinculum, nequit esse ubi iniquitas reperitur. Ad 2ᵐ. obstat porro ius speciale, α) quando convenitur de re spirituali danda pro temporali seu generatim non valent pacta, quae vel veram dicunt simoniam vel periculum simoniae inducunt. Hinc merito *c. 4. h. t.* reprobat pacta ceu nullius valoris circa resignationes beneficiorum pro aliquo temporali faciendas; *et c. 5. eod.* de successione in ecclesiasticis beneficiis: β) quando convenitur de rebus a commercio humano exemptis e. g. forum publicum, platea; γ) vel de rebus alienis in ordine ad transferendum dominium.

Summarium. — *a*) **Contractus** *b*) **sive modus spectetur, quo perficiuntur, sive res quam continent, sive obligatio, quam pariunt, varii specie distinguuntur.**

420. *Decl. 1. p.* **Notio.** Distingue in contractibus *substantialia,* sine quibus non habetur essentia contractus v. g. consensus signo externo manifestatus, et in emptione e. g. merx insuper et pretium; *naturalia,* quae ceu proprietates insunt, ita ut a contrahentibus per pactum speciale, manente contractus valore, tolli possint, e. g. venditor obligatur de evictione, licet specialiter ad hanc se non obligaverit, atque ab ea se per pactum speciale liberare possit: *solemnia* quae, praeter substantialia et naturalia, requiruntur a lege vel statuto, vel consuetudine ad *formam* vel ritum contractus, ita ut si ad formam substantialem atque valorem requiruntur, *intrinseca,* si praecise ad licentiam, *extrinseca* audiant: quae vero pro libitu contrahentium adesse vel abesse possunt e. g. a contractu uti in emptione pactum de redimendo vel retrovendendo, *accidentalia* vocantur. Hisce positis contractus in genere est « *duorum pluriumve* in idem placitum et *consensus contrahendae vel distrahendae obligationis causa* » verba contrahendae.... vix necessaria, cum semper praesumatur animus obligationis contrahendae, nisi ex re, qua de agitur, aliud manifeste appareat. *Ex L. 1. de Pactis.*

In specie contractus est *ultro citroque obligatio* « Labeo

libro primo in edictum Praetoris Urbani definit, quod quaedam agantur, quaedam gerantur, quaedam contrahantur... Contractum vero ultro citroque obligationem, quod Graeci συνάλλαγμα veluti emptionem, venditionem, locationem » etc... *L. Labeo ff. de Verb. sig.;* sc. est pactum reciprocum seu mutuum, quod ex utraque parte paciscentium parit obligationem, in qua definitione obligatio *a*) sumitur causaliter, ut advertit *Lugo Disp. 22. n. 1;* non enim est contractus ipsa obligatio, sed causa obligationis: *b*) nec est obligatio merae gratitudinis, aut obedientiae aut religionis; sed ex *iustitia commutativa,* cuius violatio sit vera iniuria seu iniustitia; et *c*) *naturalis* est, prout oritur a natura ipsius contractus, neque a positivo iure reprobatur: *civilis* quam adiuvant seu tuentur leges civiles. *d*) Distinguenda est ab ea obligatione, quae ex quasi contractu dicitur, quae nempe oritur ex officio e. g. tutoris, curatoris, gestoris negotiorum, medici. Ex Lugo *de Iust. et iure Disp. 22. n. 5.* an vero haec obligatio oriatur ex voluntate illius, qui obligatur, an vero ex lege vel aequitate obligante; dicendum est aliquando ex voluntate ipsius obligati provenire, quando sponte suscipit illud officium; eo enim ipso videtur velle suscipere onera et obligationes ei adnexas. Aliquando provenit ex lege vel superiore imponente tibi etiam invito et repugnanti tale officium, cui adnexa est obligatio illa ex iustitia. Aliquando ex iustitia seu aequitate: et tunc ex hac parte deficit a vera ratione contractus et ideo appellatur obligatio ex quasi contractu, seu ex officio, quae tamen imitatur obligationem ortam ex contractu.

421. *Decl. 2. p.* **Divisio.** Contractus 1°) alii dicuntur *nominati,* quia proprium nomen in iure habent e. g. emptio, conductio, commodatum, depositum, societas, ludus, pignus, mandatum; alii *innominati,* qui certum et specificum nomen in iure non habent; sed generali permutationis nomine veniunt, quorum quatuor species vulgo numerantur *do ut des, = do ut facias, = facio ut des, = facio ut facias.* Porro ex his adhuc exurgunt alii vel positive scil. do ut des et facias, facio ut des et facias, do et facio ut des, do et facio ut facias, do et facio ut des et facias; vel negative do ne des, do ne facias, facio ne des, facio ne facias.

2°) Distinguuntur alii *consensuales*, qui perficiuntur solo contrahentium consensu (e. g. emptio venditio), exterius manifestato, uti etiam locatio, mandatum, qua sc. conventione posita totum id ponitur, quod nomen locationis aut mandati significant: *alii verbales,* qui certa verborum solemnitate exprimuntur, sine qua non dabatur talis contractus, qualis in iure tali nomine significatur, e. g. stipulatio et verborum obligatio. Et licet e. g. quoad stipulationem opus non sit nunc formula consueta iuris antiq. rom., valeatque exprimi vocibus contractus significantibus, tamen hae voces notae sint contrahentibus, exprimant petitionem et consensum, verba ex utraque parte interveniant, et promissio interrogationem excipiat absque notabili intervallo; voces ex communi institutione id significent, non vero ad solum contrahentium placitum; quibus contrahentes sibi invicem practice consensum et obligationem mutuam significent. *Alii literales* seu scripturales, cum sc. perficiuntur scriptura: sive *a*) quia haec est contrahentium mens, ut suspendatur contractus quousque scriptura fiat, qua nondum impleta singulae partes resilire possunt: sive *b*) quia agitur de contractibus, ad quorum valorem seu formam scriptura exigitur a iure e. g. emphyteusis ecclesiastica. Alii *reales,* qui rebus ipsis et factis externis perficiuntur, nonnisi sc. traditione rei secuta e. g. mutuum, depositum, commodatum, pignus seu contractus pignoris.

3°) Alii dicuntur *gratuiti,* qui ex una tantum paciscentium parte obligationem pariunt, atque adeo dicuntur μονοπλευροι *unilaterales* vel *lucrativi,* in quibus nihil rependitur v. g. promissio stipulata vel nude acceptata aliquid in alterius gratiam faciendi, aut dandi sine reciproca obligatione; donatio, commodatum, mutuum, chirographum, stipulatio, praecarium: *alii onerosi* seu reciproci, qui ex utraque paciscentium parte obligationem pariunt: hinc dicti διπλευροι bilaterales, seu iidem qui contractus strictiori et specifico sensu sunt, etiam συναλλαγματα in Iure appellati: vero *Onerosi* penes quosdam. At distinguuntur iterum *commutativi,* si id quod datur aut promittitur, certum est ex utraque parte, et alterum sit velut alterius pretium e. g. emptio et venditio, locatio et conductio, permutatio, societas: sin minus *aleatorii* nuncupantur e. g. ludi,

sponsiones, transactio, vitalitium, emptio haereditatis. Ex his quidam semper vel onerosi sunt vel gratuiti, ut venditio et donatio: alii ex pacto, si quidem onerosi sunt, in gratuitos ut locatio operarum; sin gratuiti in onerosos transire possunt, e. g. mutuum, depositum, commodatum.

4°) Distribuuntur etiam in contractus *iuris civilis,* et *iuris gentium,* illi sc. originem debent iuri civili romano; et sunt quatuor stipulatio, donatio propter nuptias, emphyteusis, et obligatio literarum: contractus iuris gentium sunt ceteri omnes.

5°) Tandem notanda est distinctio contractus *stricti iuris* seu iudicii, in quo potestas iudicis formulae a praetore praescriptae adstringitur verbisque contrahentium: *bonae fidei* contractus sunt, in quibus iudex potest multa ex aequo et bono arbitrari. Brevius dicit Layman *(de Pactis et Contract. c. 3. n. 4) bonae fidei* qui latiorem recipiunt interpretationem, *stricti iuris,* qui strictioris interpretationis sunt contractus.

Summarium. — In contractibus 1) **innominatis regulariter poenitere** (seu resilire) **potest pars, quae ex sua parte iam implevit,** *etiam re non amplius integra modo altera pars nondum reipsa impleverit,* **vel potest alteram partem compellere ad pariter implendum** *actione praescriptis verbis* (L. 3. § 2. et 3; L. 5. ff. de condictione causa data, causa non secuta). 2) **Praestare autem tenetur** *a)* **dolum et culpam latam** *qui talia commisit* (ex L. 1, § 5. ff. de O. et A., L. 23. de R. I.) *cuilibet enim nocere debet factum proprium non alteri ex c. 22. de R. I. in 6.; b)* **culpam levem** *qui hanc commisit, in iis contractibus, qui cedunt in utriusque contrahentis utilitatem* (ex L. 5. § 2. L. 18. prin. ff. commod.); *c)* **culpam levissimam,** *qui illam commisit in iis contractibus, qui in solius accipientis utilitatem cedunt, e. g. Commodatum.... excepto Precario* (ex LL. cit. iuncta L. 8. ff. de Precario); *d)* **casum fortuitum** *autem nemo, ita ut rei dominus damnum ferre debeat, nisi quis specialiter ad id se obligaverit, vel per dolum aut culpam dederit causam casui fortuito; quia cuilibet mora sua debet esse nociva* (C. 25. de Reg. Iur. in 6. cf. et d. L. 5. § 47. L. 18. et L. 23.)

422. Pars 1ª. patet quia, qui dedit vel fecit aliquid, ut et alter det vel faciat, non se obligavit alteri, sed istum sibi ad vicissim aliquid dandum vel faciendum... etc.

423. *Decl. 2. p.* Ratio 1°) huius quaest. est, quod cum saepe contingat, ut res in contractum deducta, ante traditionem eius pereat aut deterior reddatur vel dolo aut culpa unius contrahentium vel casu fortuito: quaeritur quisnam teneatur ferre damnum i. e. praestare dolum aut culpam e. g. latam, quae in contractibus dolo aequiparatur, vel casum fortuitum. 2°) Dixi *per dolum: dolus* hic est omnis voluntaria laesio, non vero callida machinatio; laesione non secuta: per *culpam,* quae est negligentia ab aliquo contrahentium commissa, omittente quod facere, vel faciente quod omittere debuerat, si inde secutum est damnum. Porro culpa triplex est *lata,* si in re aliena custodienda omittatur diligentia, quam homines eiusdem conditionis etiam parum diligentes adhibere solent in rebus huiusmodi propriis custodiendis, e. g. relinquere rem ibi, quo patet accessus etiam ignotis; *levis* si omittatur diligentia adhiberi solita a diligentioribus eiusdem conditionis e. g. detinente rem in aedibus suis, aut etiam in clausa cista; *levissima* si omittatur diligentia, quam solertissimi tantum adhibent e. g. si post rem clausam in cista, manu tentent an bene sit clausa... quae triplex culpa *iuridica* dicitur, etsi coniungi possit cum *theologica* h. e. coram Deo. *Casus fortuitus* est eventus inopinatus, qui vel praevideri, vel praevisus praecaveri non potuit e. g. fulmen, grando, furta, hostilis incursus, naufragia etc.

Summarium. — Declaratur 1) qualis consensus, et 2) quae solemnia necessaria sint, ut contractus valeat per se, vel quoad tertios: tum 3) effectus naturaliter consequens i. e. obligatio, quae regulariter etiam haeredes attingit.

424. *Decl. 1. p.* Ut contractus valeat, dependet ex voluntate contrahentium unde initium et statum capit. Porro cum consensus sit duarum vel plurium voluntatum super eadem re conspiratio, exigit 1. ut uterque velit; 2. idem velit; 3. et ut voluntatem suam prodat. Iamvero si uterque velle debeat, α) requiritur pollicitatio hinc, inde vero acceptatio, quae in contractibus onerosis sit simul repromissio atque hoc incontinenti inter praesentes dum negotium agitur β) tum si

uterque idem velle debeat, uterque consentiat oportet in eundem contractum atque in omnia, quae ad substantiam rei pertinent. γ) Et quoniam pollicitatio et acceptatio intelligi a contrahentibus nequeat, nisi quisque voluntatem suam prodat, hinc signis, aut verbis, vel facto manifestetur oportet *obligata* voluntas.

425. *Decl. 2. p.* Ut contractus *valeat per se* quaedam solemnia requiruntur e. g. quoad donationes non manuales et pacta nuptialia, publico instrumento sunt exaranda. Iure autem italico fieri debent in *scriptis* 1°. contractus, quibus quodvis ius in re soli acquiritur, moderatur et renuntiatur: quales sunt emptiones et venditiones, servitutes seu reales seu personales, census praediales et conventiones, quibus hypotheca conventionalis datur artt. 1314. 1978; 2°. Societates rerum immobilium locationes ultra novennium, vel in tempus indefinitum; 3°. transactiones et vitalitia, et alia de quibus, ut in scriptis fiant, in lege cavetur. Quae scriptura controvertitur ad probationem ne, an ad formam sit necessaria.

Ut contractus valeat quoad tertios, duo sunt necessaria, ait *Card. d'Annib. l. c. § 435, transcriptio* et in privatis instrumentis *dies* certa eius scripturae, qua contractus continetur. Exigunt transcriptionem omnes contractus qui scripturam desiderant: diem vero certam reliqui omnes, quibus cum primis acquiritur ius ad rem e. g. locatio, conductio, pignus etc. dies autem certa nanciscitur, cum primis, *registratione,* quam vocant. Qua in re notetur quod *prior in tempore potior in iure Cod. Ital. artt. 1932, 1327.*

426. *Decl. 3. p.* Cum omnis conventio iure inita instar legis sit inter contrahentes, hos in re gravi obligat ultro citroque si onerosa est; si gratuitae conventiones sint, obligatio perfecta erit postquam res iam tradita vel rei dominium in stipulatorem transiit: qua in re adverte in promissis materia gravis censetur non ut in furto sed duplo maior. *S. Ligor. III. 720.*

Ad haeredes quod spectat, hos obligant generatim contractus a defuncto initi, imo obligationes, quae circa onera realia versantur, successores quoque particulares tenent e. g. emptorem, legatarium, atque adeo his etiam prosunt. At quoad alios Regula *(tot. tit. C. res inter alios acta)* est « Res inter

alios acta tertio neque prodest neque nocet » *neque prodest* i. e. nullum ei ius quaerit, quod tamen *regulariter* intellige, quia non semper verificatur: *neque nocet* i. e. nullum ei ius adimit, quod semper verum est, quia non potest alteri per alterum iniqua conditio inferri. Ratio autem fundamentalis est, quia omnia iura et obligationes ex contractu ortae, *ex sola voluntate contrahentium statum capiunt.*

ARTICULUS II.

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE, QUI SIVE MERE LIBERALES, SIVE CUM ALIQUALI SINT RECIPROCA OBLIGATIONE.

TITULUS XXXIII.

DE DONATIONIBUS.

Summarium. — Donatio, 1) quae est propriorum bonorum alteri facta concessio ea mente, ut accipientis fiant, 2) distinguitur *a*) in realem seu perfectam, et in verbalem seu imperfectam, *b*) in donationem inter vivos et in donationem mortis causa, *c*) in reciprocam et remuneratoriam. Porro 3) potest α) donare inter vivos, qui rerum dominium ac liberam administrationem habet, nec specialiter prohibetur; β) donari autem res sub humano commercio existens, donatione γ) irrevocabili per se. 4) Effectus tandem donationis indicatur.

427. *Decl. 1. p.* Hoc tit. agimus de iis contractibus, qui *benefici* audiunt, ex quibus unus tantum utilitatem percipit, qui si eam obtinet, absque ulla obligatione *mere* benefici dicuntur. Talis est donatio, quae dicitur *concessio suorum bonorum*... hinc proprie donatio non est, si quis alicui renuntiet haereditatem, legatum... *liberalis* quod sc. gratis et nec ex iustitia nec ex gratitudine, nec aliunde sit debitum. Ex *L. 29. ff. h. t.: donari videtur quod nullo iure cogente conceditur:* hinc si donet retribuendi causa, retributione debita ex iustitia, vel onus aliquod imponat donatario e. g. ut alat se, etc. tunc

est contractus potius onerosus. Si igitur donatio fiat ex sola animi benignitate, gratuita dicitur: si vero ex alia causa v. g. remunerationis, gratitudinis, vocatur remuneratoria et *antidoralis,* et est *impropria,* uti et si fiat propter nuptias: si sub conditione: sub modo seu onere, v. g. ut donatarius fiat doctor iuris can. = Ea mente *ut fiant accipientis...* unde traditio rei donatae per se non requiritur. Probabilius autem donatio est contractus, cum causam habeat per quam a nudo pacto distinguitur, modo pollicitationem sequatur acceptatio. Facta autem esse debet donatio actu publico seu solemni, nisi agatur de manualibus. *C. Ital. 1056.*

428. *Decl. 2. p.* Donatio 1) alia est realis seu perfecta, cum sc. accedat traditio rei donatae: alia verbalis et imperfecta, si fiat sine traditione vel per stipulationem, quae est contractus civilis et verbalis, vel per nudum pactum vel per meram pollicitationem a donatario acceptatam; 2) si donans statim vult, ut bona donata accipientis fiant, *donatio inter vivos;* sin post mortem denique suam, (adeoque, ut alii actus, mortis causa revocabilis) *donatio mortis causa* dici solet. Sed de donatione hac ultima, quae instar legatorum est, infra. In dubio praesumitur donatio inter vivos: quia est magis proprie dicta donatio; 3) divisio in remuneratoriam et reciprocam patet.

429. *Decl. et pr. 3. p.* Advertimus *a*) nos non agere de donatione mortis causa, quam facere valet quisquis testamentum condere potest *L. 15. ff. de mort. causa donat. b*) neque de donationibus coniugum, de quibus ubi de matrimonio et causis matrimonialibus res erit. Hisce positis, ad 1^{m}. quoniam donatio est species alienationis, generatim donare potest qui potest alienare, seu qui rerum dominium ac liberam administrationem habent, nec iure prohibentur. Ratio 1^{i}. est *L. 21. C. mandati* « quia suae quisque rei moderator et arbiter est », e. g. filiusfamilias maiorennis sine consensu patris de bonis adventitiis, pleno iure possessis, recte donat *Nov. 117. c. 1.* = Ratio 2^{i}. patet *nisi sc. iure prohibetur donare;* prohibentur autem, pupilli, prodigi declarati, minores (exceptis donationibus, quas alii similis conditionis facere solent) sine consensu eorum, quibus subsunt procuratores, tutores, curatores de rebus suorum clientum, exceptis donationibus remuneratoriis, et quas

consuetudo sinit, modo merita non excedant; Religiosi sine consensu superioris: Praelati ecclesiastici de rebus Ecclesiae immobilibus et mobilibus pretiosis sine Capituli et Apostol. Sedis consensu: pater donare nequit filio in patria potestate adhuc constituto, *L. 11. et 17. C. h. t.* cum una eademque cum filio censeatur esse persona.

Ad 2^m^. Donari autem possunt omnia quaecumque sunt in commercio ex *tot. t. ff. et C. de donat.* et regulariter quae quis in praesens habet, non item futura. Quod si res aliena donaretur, donatio id valeret tantum, ut transferretur conditio usucapiendi seu potestas rem praescribendi, non ut dominium immediate transferretur per traditionem *c. 79. de Reg. I. in 6.*

Ut donationes non manuales valeant ex iure civ. contineri debent instrumento publico, et nonnisi a maioribus, qui nec sub tutela, nec sub cura sunt, acceptari possunt *c. Ital. a. 1059;* insuper pollicitatio semper expressa debet esse: acceptatio autem si donatio facta sit absenti, quaeque non antea facta intelligitur, quam donanti renunciata fuerit, fit apparitoris officio: *C. Ital. a. 1057.*

Ad 3^m^. Sic nempe donatio rite perfecta irrevocabilis regulariter est, *L. 5. et fin. C. de revoc. donat.;* nisi in seq. cas. 1°. ob ingratitudinem et quidem si incipiat donatarius esse ingratus e. g. violentas in donantem manus iniiciendo, atroces iniurias inferendo, aut grave damnum in bonis fortunae: struendo insidias vel periculum vitae... iuxta vers.; « *Ingratum faciunt atrox iniuria, damnum, impia dextra, fides fracta, pericla necis* » et *L. ult. C. de reo donat.;* quod si donatio facta fuerit Ecclesiae, etsi praelatus sit ingratus non *revocatur c. 7. de R. I. in 6.* = 2°. si donatio sit inofficiosa seu tam immodica, ut in aliorum praeiudicium cedat, praesertim liberorum aut parentum in *legitima L. 1. 2. 4. 7. C. de inoff. donat.* = 3°. tandem revocabilis est donatio et quidem ipso iure, si donanti omnia bona vel notabilem eorum partem, prius nullos liberos habenti, postea nascatur proles una vel plures ex legitimo matrimonio: quae ultima revocatio intelligenda est quoad legitimam tantum, si donatio causae piae vel Ecclesiae facta fuerit. *L. 8. C. de rer. donat. et Lugo disp. 23. sect. 11. n. 194. de Iust. et Iur.*

430. *Decl. 4. p.* Effectus *immediatus* donationis inter vivos verbalis ex iure rom. *c. 1. et 3. de Pactis* § *2. Inst. h. t.* est obligatio tradendi rem donatam, licet pacto nudo sit facta: *mediatus* vero est *condictio ex lege* donatario concessa *Inst. l. cit. et L. 35. C. h. t.* Dicitur condictio ex lege actio, quae ex natura negotii non competit, sed ex speciali adsistentia legis donatario ad compellendum donatorem, ut rem non vero fructus interim perceptos, tradat. = Effectus tandem realis donationis est translatio dominii in donatarium modo aliena non sit: et qui rem alienam donat liberaliter non tenetur de evictione *L. 18.* § *ult. ff. h. t.*

TITULUS XXXIV.

DE COMMODATO, PRECARIO, MUTUO, DEPOSITO, MANDATO, FIDEIUSSIONE.

Summarium. — Tradita 1) notione Commodati, intelliguntur requisita: 2) quinam commodare, et quae res commodari possit; 3) quaenam tam commodantem, quam commodatarium teneat obligatio, quaeque utrique inde competat actio.

431. *Decl. 1. p.* Contractus h. t. indicati cum aliquali sunt reciproca obligatione, atque adeo, qua utilitatem unius tantum contrahentis promovent, benefici audiunt, qua mutuas obligationes actionem in foro parientes inducunt, contractibus adnumerantur. *Cf. t. XV. l. III. Decretal. et in hunc DD.* « *Commodatum est contractus, quo res non fungibilis, alteri utenda gratis conceditur ea lege, ut post certum tempus restituatur* ». Inde patent requisita sc. 1) ut *res tradatur,* quia est contractus realis: 2) *ut detur usus:* cum dominium maneat penes dantem, *L. 8. ff. h. t.* et per hoc differt a *deposito,* quod ad custodiam tantum; *a pignore,* quod ad securitatem crediti datur; *a mutuo,* in quo ipsum dominium transfertur: 3) *ut res gratis* concedatur § *2. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.* per quod differt a locato et conducto. 4) *Ut detur ad certum tempus* sive expresse, sive tacite determinatum *L. 17.* § *3. ff. h. t.;* 5) Ut res sit *talis, quae in specie reddi possit* § *2. Instit.*

432. *Decl. 2. p.* 1. *Commodare* potest omnis et solus, qui contrahere, *L. 1. § 2. et L. 2. ff. h. t.,* sive sui, sive alieni sit iuris, sive bonae sive malae fidei; sive dominus rei, sive usus-fructuarius, aut nomine etiam alieno administret. = Accipere autem possunt commodatum quotquot ex contractu naturaliter saltem obligari valeant *Schmalzg. in h. t. n. 13.* 2. Commodari autem potest res *mobilis* et *immobilis L. 1. § 1. ff. h. t.* corporalis et incorporalis, profana et sacra: quamvis haec ad usus nonnisi sacros, propria et aliena, et quandoque etiam res fungibilis.

433. *Decl. 3. p. a*) *Commodans* vi huius contractus tenetur 1°) rem commodatam ante tempus praefixum non revocare *L. 17. § 3. ff. et c. un. h. t.* 2°) resarcire expensas, quas in rem ipsam, non autem in usum rei fecerit accommodatarius *L. 8. § 2. ff. eod.* 3°) reparare damna per dolum vel culpam latam commodatario illata, e. g. si sciens commodasset rem vitiosam aut si vitium facile scire potuisset *L. 17. et 18. cit. L. penult. ff. eod. L. 23. ff. de R. I.:* in contractibus autem dolo aequiparatur culpa lata, et ubi dolus iubetur praestari, id intelligitur et de culpa lata *L. 226. ff. de V. S.*

b) *Commodatarius* e contra 1°.) regulariter ad exactissimam diligentiam in re commodata custodienda; 2°.) re commodata non aliter, nec diutius, quam ipsi concessum est. uti *L. 17. § 3. ff. commod.* 3°.) eamdem restituere in specie, finito tempore et usu *L. c. ff. § fin. eod.* aut in aequivalenti, si species non amplius extaret, aut deterior facta esset.

c) Ex quibus mutuis obligationibus oritur *actio commodati,* quae duplex est *directa* scilicet, et *contraria. Directa* competit commodanti, eiusque haeredibus adversus commodatarium, ut praestet ea, ad quae ipsum ex commodato teneri vidimus, scilicet ad rem commodatam restituendam, finito usu, integram et salvam, aut si fuerit perdita ad eius aestimationem; si deteriorata ad interesse *L. 3. § 1. L. 5. § 8. L. 13. § 1. L. 17. § 3. ff. h. t.* Possunt et aliae actiones commodanti competere e. g. *actio furti L. 5. § 6. ff. h. t.;* actio *Legis Aquiliae* si commodatarius rem deterioravit *L. 18. § 1. ff. Rei* vindicatio iuxta *L. 3. in fin. ff. de R. V. Contraria* actio competit commodatario eiusque haeredibus adversus commodantem et huius haeredes ad

id, quod sua interest, re ante usum revocata: ad repetendas expensas in rem commodatam factas, et ad damnum vitio rei commodatae datum reparandum.

Summarium. — Precarium *a*) **iure civili aliud est a contractu canonico** (l. III. tit. XIV. De Precariis) **quae precariae audiunt,** *b*) **quarum requisita, vis et modus innuuntur.**

434. *Decl. 1. p.* Precarium *pro re precaria concessa* definitur ab Ulp. *L. 1. ff. h. t.* « Precarium est id, quod precibus petentis utendum conceditur tamdiu, quamdiu qui concessit, patitur »; *pro actu ipso, quo res illa conceditur* est negotium, quo aliquid gratis alteri utendum conceditur, reservata sibi facultate ad libitum revocandi. Quod etsi stricte contractus non sit, ad sui tamen essentiam exigit *a*) consensum dantis et accipientis: *b*) rei traditionem ad usum indeterminatum quoad modum, finem, tempus; *c*) ut quandocumque libuerit concedenti, revocari res possit. Precarium dari potest quaelibet res a quolibet valente alteri usum rei communicare, cuilibet, qui praestare debet tantum dolum et culpam dolo proximam *L. ff. de Precario.*

435. *Decl. 2. p.* Precaria seu Precariae pro ipso actu, quo conceduntur sunt contractus realis b. f. iure can. inventus, quo alicui ad preces conceditur res ecclesiastica immobilis in usumfructum, vel in perpetuum vel ad certum tempus, ita tamen ut si ad longius tempus concedatur, singulis quinquenniis renovetur concessio *can. 5. C. X. q. 2; c. 1. et seq. h. t.* Unde patent *a*) *requisita* i. e. sit concessio liberalis, quolibet *quinquennio* renovetur *ex gravi causa et adhibitis solemnitatibus* quae in primaeva constitutione Precariarum eaedem sunt, quae ad alienationem requiruntur: quandoquidem quoad effectum Precariae quaedam alienatio sunt rei ecclesiasticae frugiferae immobilis, vel saltem locatio ultra triennium, ut res eccl. sacrae non possint concedi, nisi ad usus sacros. Hinc *b*) vis precariarum est, ut α) in eas constituente producat obligationem usum rei usque ad tempus conventum relinquendi: praesertim cum haec concessio regulariter liberalis sit et gratuita beneficium praeseferre debet non vero damnum et iniuriam creare: modo

damnum Ecclesiae non inferant: in accipiente vero obligationem praestandi culpam levissimam: β) utrique pariat *actionem precariarum*, Ecclesiae quidem directam in accipientem eiusque haeredes ad praestandum omne id, quod natura contractus exigit; accipienti autem *contrariam* adversus Ecclesiam, ut res usque ad tempus conventum relinquatur: *c*) contractus proinde precariarum expirat 1. morte accipientis quia Precariae sunt beneficium personale intuitu meritorum concessum; 2. finito tempore designato a concessione; 3. si possessor rem alienaverit vel graviter laeserit; 4. si elapso quinquennio Precariae non fuerint renovatae. *d*) Ex his omnibus discrimen habetur inter Precarias et precarium: nam precariae, 1) non possunt pro libitu concedentis revocari; 2) Precarias accipiens praestare debet culpam levissimam; 3) in precariis potest intervenire merces temporalis sub respectu temporali, quod numquam in Precario.

Summarium — Iis, 1) quae in mutui notione substantialia et naturalia sunt, distinctis: 2) notatur illud ut contractum mere gratuitum excludere lucrum 3) et circa filios familias, Religiosos, Ecclesias et civitates singularia praeseferens.

436. *Decl. 1. p.* Mutuum est « *contractus realis quo res fungibilis ex lege datur ut eadem reddatur in genere* » cui consonat *Iustin. Inst. l. 3. tit. 15. ab initio* « Mutui datio in iis rebus consistit, quae pondere, numero, mensurave constant (quae scilicet ut ait *Vinn. in h. l.* ex certo pondere, numero, mensura aestimantur et hoc modo sunt in commercio) veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata »..... Unde communius definitur etiam: « Est traditio rei in suo genere functionem recipientis ut statim accipientis fiat et postea tantumdem eiusdem generis et qualitatis restituatur ». Unde patent *a*) *substantialia* ut sit 1. res fungibilis; 2. eius traditio translativa dominii; 3. obligatio restituendi in genere. *b*) Naturalia porro sunt I. ut reddatur res eiusdem generis in eadem quantitate, II. in eadem bonitate, III. ut periculum rei mutuatae sit penes accipientem, IV. ut contractus sit gratuitus. Si quid porro

ex his naturalibus deficiat contractus redditur vitiosus et iniustus. Inde seq.

437. *Pars 2.* Inde scilicet sequitur hunc contractum excludere lucrum. Mutuum enim non secus ac commodatum ex sua natura est contractus gratuitus; atqui contractus gratuiti naturae repugnat, ut aliquid tamquam debitum exigatur. Dixi tamquam debitum; nam et in mutuo sperari aliquid potest non ut debitum, sed liberaliter et ex gratitudine sponte dandum; secus committeretur usura.

438. *Pars 3.* 1°.) quoad filios familias in numerata tantum pecunia ex *senatus Consulto Macedoniano* statutum est, *a*) ut iis, qui in potestate patris sunt, dari mutuata pecunia nequeat, atque denegetur actio efficax tam adversus ipsum filium aut filiam, quam adversus patrem vel avum soluta quoque patria potestate: seu *b*) hi ex mutuo accepto conveniri efficaciter non possunt, sed ex cit. S. C. tuti sunt (saltem in foro externo) tum ipsi, tum pater: imo et fideiussores, nisi intercesserint animo donandi. Si tamen reipsa solvent, solutum repetere nequeunt. Cuius S. C. macedoniani ratio redditur *Inst. § 7. quod cum eo, qui in aliena potestate.* Quae ideo senatus prospexit, quia saepe onerati aere alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vitae parentum insidiabantur.

2°.) Regularis accipiens mutuum sine consensu Abbatis et Capituli non obligat monasterium, nisi probetur fuisse conversum in utilitatem conventus *c. 4. de fideiuss. Novel. 120. c. 6. § 3.*

3°.) Idem dicendum de Ecclesiis, de civitatibus,.... scilicet cum Ecclesiae, locorum piorum, aut civitatis administratores.. sat proni sint ad pecunias mutuas accipiendas: ne ea res in detrimentum cedat dictarum Ecclesiarum et locorum.... iure civili et can. sancitum est, nec loca pia, nec Ecclesias, nec civitates, nec pupillos, nec minores teneri ad solvendum, nisi ostendatur pecuniam in utilitatem ipsorum cessisse: secus obligatur administrator.

Summarium. — Depositi *a*) **notione ac divisione tradita, inde** *b*) **substantialia et naturalia distinguuntur;** *c*) **obligationes autem, quibus deponens et depositarius tenentur, atque** *d*) **ex his ortae actiones breviter indicantur.**

439. *Decl. 1. p.* **Notio.** Depositum *a*) *obiective* est ipsa res deposita; *formaliter est contractus realis bonae fidei, quo res alicui gratis custodienda traditur ea lege, ut eadem in specie quandocumque libuerit, deponenti restituatur.* Ex *L. 1. ff. Depositi* et *c. 2. h. t. b*) **Dividitur** autem 1°.) in *voluntarium,* quod absque periculo urgente fit, et necessarium, ad quod cogit instans periculum rei perdendae e. g. ob tumultum, incendium, ruinam... 2°.) in *regulare,* quod servat naturam depositi et in *irregulare,* quod alium contractum admixtum habeat, e. g. mutuum, locationem. 3°.) in *conventionale,* quod ex libera deponentis et depositarii conventione est, et *iudiciale* quando res litigiosa traditur iudici vel sequestro, ut eam retineat tamdiu, donec ex causae decisione liqueat, cui debeatur.

440. *Decl. 2. p.* Depositi **substantialia** sunt 1°. utriusque consensus sat manifestus et intentio, qua contrahentes volunt rem pro deposito habere: 2°. traditio rei mobilis vel immobilis propriae, vel etiam alienae; modo non deponatur apud rei dominum, qui actione depositi non tenetur, modo dominium in continenti probetur: 3°. ut tradatur et accipiatur res ob custodiam: 4°. obligatio restituendi ex summa aequitate, quam exigit bona fides, iuxta ius non modo gentium, sed civile et praetorium *L. 31. ff. Depositi.*

Naturalia porro sunt 1. ut contractus sit gratuitus: non videtur autem cessare esse depositum, si addatur pactum de mercede; 2. quae accedunt rei depositae non censentur deposita, nisi de intentione contrahentium constet; 3. ut depositarius non utatur re deposita absque deponentis assensu; ne reus furti usus censeatur *L. si saeculum ff. h. t.;* 4. ut periculum spectet ad deponentem, si casu fortuito, vel culpa levi depositarii res pereat; 5. ut re deposita statim depositarius conveniri possit ad illius rei restitutionem *L. 1. ff.* § *24.* depositi actione, qua petitur res cum accessoriis, cum fructibus; 6. ut restituatur res eadem in specie. Ex dictis seq.

441. *Decl. 3. p.* **Obligantur** autem I. Deponens servare indemnem depositarium, atque adeo expensas in rem depositam factas refundere *L. 12. princ. L. 23. ff. h. t.* et damnum, dolo ac quavis sua culpa datum, resarciri *arg. L. 5. § 5. ff. de Commod.* praesertim cum depositum in solius deponentis utilitatem cedat. II. Depositarius autem, praeter dicta p. 2., tenetur *a*) rem depositam custodire diligentia communi, etsi res proprias diligentius custodiat, neque in communi periculo alienas res etsi pretiosas salvare prae propriis tenetur: atque adeo *b*) tenetur *regulariter* praestare dolum *L. 20. ff. h. t.* et culpam latam tantum, quae in contractibus aequiparatur dolo, non vero culpam levem vel levissimam, multoque minus casum fortuitum.

442. *Decl. 4. p.* Ex dictis mutuis obligationibus **duplex** competit **actio depositi:** deponenti altera, quae dicitur *directa* contra depositarium; altera depositario, quae *contraria* audit adversus deponentem in ordine ad ea, ad quae vi contractus eos sibi invicem obligatos vidimus *L. 1. § 23. ff. h. t.* Actio depositi directa illud sibi proprium habet etiam, quod depositarium, si rem depositam dolose aut neget aut restituere recuset atque de dolo convincatur ac damnetur, infamem reddat, *L. 10. C. eod.* et quod dupli eumdem faciat reum, si perfide *necessarium* depositum inficietur *L. 1. cit. § 1.* Dicitur necessarium seu miserabile quando in quatuor casibus incendii, naufragii, hostilis incursionis, et ruinae res deponuntur *L. 1. c.*

Hisce adde 1. deponi posse res omnes custodiae capaces proprias et alienas; mobiles et immobiles *L. 11. ff. de peric. et comm. rei vend.* 2. Deponere et depositum recipere possunt omnes, qui rationis et obligationis capaces existunt, etiam foeminae *L. 26. ff. h. t.*

Summarium. — Mandati *a*) **notio et** *b*) **divisio,** *c*) **obligatio et** *d*) **actio, quae tam mandatarium, quam mandantem consequuntur, tandem** *e*) **mandati cessatio breviter innuitur.**

443. *Decl. 1.* **Notio.** *Mandatum est contractus, quo quis negotium honestum, alteri illud suscipienti seu gratis seu statuto honorario, suo nomine gerendum committit. Contractus* consen-

sualis scilicet non modo inter praesentes, sed et per nuntios aut per epistolam. Et hic est expressus: tacitum vero et praesumptum est, si quis ab altero negotia sua geri patiatur; imo et ratihabitio pro mandato est, modo nondum perfecto negotio accedat.

444. 2. **Divisio,** praeter modo dictam, est quoque in *generale* vel *speciale,* prout omnia vel negotium aliquod committitur. Praecipue in rem mandantis intelligitur mandatum, et non obest, si in ipsius mandatarii vel tertii utilitatem datum sit: hinc dicitur mandatum *in rem alienam,* si quis nomine alterius et in alienam utilitatem agit, aliud *in rem suam,* si quis nomine alterius at in suam utilitatem agat e. g. Cessionarius. At quod in solius mandatarii gratiam datur, magis consilium; quod in alterius tantum, potius commendatio est, ex quibus nulla obligatio per se nascitur.

445. *Obiectum* mandati sunt negotia honesta mandantis nec regulariter obeunda post eius mortem. Et quoniam mandatarius agit nomine mandantis, ut mandatum contrahi possit, necesse est, ut mandans capax sit faciendi per se ea, quae mandat alteri fieri: et mandatarius saltem iure naturae haud incapax sit contrahendae obligationis.

446. 3. i. e. **obligationes** *mandatarii* sunt: 1. aut mandatum renuntiare, aut illud susceptum implere: quod si post susceptum iusta adveniat causa, poterit adhuc renuntiari mandante quamprimum monito; 2. debet diligenter eo defungi; 3. non excedat fines mandati, secus de excessu mandans non tenetur; 4. ut nihil, quod coniunctum sit cum praeiudicio mandantis, sine huius speciali mandato exequatur; 5. ut praestet levissimam etiam culpam; 6. ut infamiam ob dolum et culpam subeat; 7. ut finito mandato rationes reddat, et si tantum negligenter egerit, damnum sarciet non quod magis casui, quam mandato imputari oportet e. g. si mandatarius a latronibus fuerit spoliatus aut naufragio res amiserit. E contra obligatur *mandans* ad restituendas utiles et necessarias impensas, atque ad indemnem mandatarium praestandum, etsi eventus non responderit, etiam quoad ea damna, quae passus fuerit mandatarius ex causa imo et occasione mandati: sed et

culpa ipsius mandantis, quae damna alias non fuisset passurus.

447. *4.* **Actio mandati** duplex nascitur: altera *directa* competens mandanti in mandatarium ad negotium susceptum expediendum, rem acquisitam cum fructibus tradendam, rationes reddendas et omnem culpam praestandam; altera *contraria* competens mandatario, qui perfecit mandatum in mandantem ad indemnitatem ut supra. Utraque datur etiam haeredibus contra haeredes.

448. *5.* **Cessat** mandatum 1. finito negotio commisso; 2. renuntiatione mandatarii ex causa gravi; 3. revocatione mandantis vel tacita e. g. si idem negotium alii demandaverit; 4. morte mandantis vel mandatarii, etiam re non amplius integra.

Summarium. — Fideiussionis 1) notione et divisione breviter tradita 2) recensentur personae et obiectum, in quo illae fideiubere possunt; 3) pro quibus et ad quemmam effectum; 4) quae remedia competant fideiussoribus, et 5) tandem qui fideiussio cesset.

449. *Decl. 1. p.* **Notio.** *Fideiubere est fide interposita creditorem iubere securum esse de satisfactione. Hinc fideiussor,* qui et intercessor dicitur, est qui pro alieno debito fidem suam interponit seu promittit, quod debitore principali non solvente (qui tamen obligatus manet), ipse velit solvere, atque adeo initur fideiussio seu obligatio inter creditorem et fideiussorem, etiam debitore invito, ita tamen, ut succedanea sit et accessoria; quam quis scilicet ad solvendum alienum debitum in se suscipit, si debitor principalis ob inopiam vel aliam causam non solvit. Hanc quis suscipiebat olim per stipulationem h. e. iuxta *Ius civ. L. 8. ff. et L. 12. C. h. t.* per verba solemnia et inter praesentes: cuius formula erat: *quantam pecuniam Titio credidero; Fide tua esse iubes? Iubeo.* L. 54. ff. Locat. Hodie vero hic contractus, stipulationum solemnitate sublata, nudo pacto vel simplici sponsione, nuntio, celebratur. Dixi contractus: nam ita est, et communiter definitur: *Fideiussio est contractus, quo quis alienam obligationem in se suscipit, principali debitore nihilominus manente obligato.* Si quis autem totam obligationem in

se transferret liberando principalem, ita ut ipse solus teneretur, tunc *expromissio* esset. Distinguitur et a mandato ut Iustin. distinxit in *D. et C. de Fideiussoribus et mandatoribus,* si rogo te ut Titio mutues centum, *mandatum* est; si te mutuantem Titio centum, fide mea interposita, securum esse iubeo de solutione, promittendo quod Titio non solvente, ego velim satisfacere, *Fideiussio est.*

Divisio. Porro Fideiussio *a*) alia *iudicialis* est, quae *satisdatio* audit, alia *extraiudicialis,* quae extra iudicium maxime in contractibus fit. *b*) Alia est *voluntaria* seu conventionalis, quae voluntate partium initur, alia necessaria, quae scilicet a iure vel ab homine praescribitur. *c*) Dividitur etiam in *idoneam,* quae attentis moralibus et pecuniariis fideiussoris viribus merito repelli nequit, et *inidoneam,* quae iuste recusari potest e. g. si fideiussor gauderet praescriptione. *d*) Tandem in *principalem,* qua quis pro debitore principali et in *succedaneam,* qua quis pro ipso fideiussore se obligat.

450. *Decl. 2. p. a*) **Fideiubere possunt** omnes, qui contrahere et contrahendo se ac sua obligare, nisi specialiter prohibeantur *LL. et DD. in L. 3. ff. h. t.* Iamvero prohibentur 1. milites in actuali expeditione constituti *L. 1. C. de locato,* 2. Minores et pupilli. 3. Clerici obligando redditus ad suam substentationem necessarios, et prohibentur nimii esse in fideiussionibus *c. 1. et 2. h. t. et can. 29. C. XI. q. 1.* etsi ex aliis proventibus et bonis, quorum liberam haberent administrationem; ne per frequentes fideiussiones saecularibus negotiis nimium immiscerentur et variis involverentur litibus, atque adeo ministerium altaris, cultusque divini minueretur exercitium. Ecclesia porro numquam obligatur ex fideiussione Clerici privata auctoritate se obstringentis, nisi forte in utilitatem ipsius Eccl. manifeste constiterit redundasse *c. 4. de Fideius.* Qua in re si clericus contra canones egerit poena arbitraria puniendus est. 4. Religiosi privati absque licentia Praelati facta etiam est invalida, cum nil proprii habeat. 5. Mulieres generatim etiam contra *L. 1. et tot. tit. ad S. C. Velleian.* possunt fideiubere, modo non sint nuptae *C. ital. a. 134. i. e.* aliena seu debitoris seu etiam ipsius fideiussoris *C. ital. 1901.*

b) **Obiectum,** super quo fideiuberi possit, est omnis ob-

ligatio aliena sive naturalis, sive civilis et quodvis debitum sive ex contractu sive ex delicto: nisi agatur criminaliter ex delicto ad poenam corporis afflictivam *L. 56. L. 70. ff. h. t.* quia poenae corporales suos tenere debent auctores. Excipe causam dotis, ut scilicet uxori non permittatur a marito ratione dotis conservandae vel restituendae fideiussores exigere, nisi maritus ex propria culpa ad inopiam vergat.

451. *Decl. 3. p.* Cum ex dictis fideiussio cadat super omne debitum alienum, sequitur quod pro omnibus fideiuberi possit, qui efficaciter vel a seipso vel ab alio possunt obligari. Nominatim pro ipso fideiussore, pro pupillo infantia maiore, pro foeminis, pro religioso absque licentia superioris sui contrahente. Hinc naturalis et proximus effectus fideiussionis est obligatio solvendi debitum alienum existens tempore fideiussionis § *5. Inst. L. 68.* § *1. ff. h. t.*, in solidum fideiussor, ita ut, si plures essent fideiussores, quilibet in totum id super quo fideiussit, conveniri possit a creditore quem, etiam debitore principali omisso, libuerit. In duriorem causam h. e. ad maiorem summam, quam debeat principalis, etsi per errorem forte se obligasset, vel arctius adiecto iuramento non maneret obligatus. Effectus remotus est *a*) actio adversus fideiussorem, eiusque haeredes *ex stipulatu,* si per stipulationem, *b*) *condictio ex moribus* si per nudum pactum fideiussio fuerit celebrata.

452. *Decl. 4. p.* **Remedia** seu beneficia, quae non ipso iure, sed ope exceptionis fideiussoribus competunt, sunt 1. *Beneficium ordinis vel excussionis,* vi cuius, si conveniantur ante debitorem principalem petere possunt, ut hic conveniatur prius et excutiatur h. e. eius bona et facultates usque ad saeculum et peram, ut aiunt, et tunc demum si constet eum non esse solvendo, contra se instituatur actio *Auth. Praesente C. h. t. Novel. 4. C. 1.* 2. *Beneficium divisionis,* vi cuius si plures sint confideiussores, pro eodem tempore, et unus tantum conveniatur in solidum, is excipere et petere potest, ut actio dividatur et contra singulos confideiussores moveatur pro rata § *4. Inst. L. 10. C. h. t.; 3. beneficium cedendarum actionum,* vi cuius antequam solvat, fideiussor exigere potest a creditore, ut cedat sibi omnes actiones, quavis ratione ei competentes *L. 13. 17. 36. ff. h. t.*

Fideiussor, qui pro reo solvit, ipso iure succedit in omnia iura creditoris, ita ut a ceteris fideiussoribus viritim repetat et sua parte deducta. Adeoque et usuras repetit *(ait D'Annib. heic)*, quas creditor a debitore sibi stipulatus fuerat, et si is nullas stipulatus fuerat, legitimas. Sed ita demum repetit 1. si non pro invito et prohibente fideiussit; 2. nec sponte solvit inscio debitore, qui idcirco postea vel iterum solvit vel aliqua exceptione se tueri potuisset, et 3. debitorem solvendo liberaverit.

453. *Decl. 5. p.* **Cessat** fideiussio 1. extincta quocumque modo obligatione principali: 2. praeterlapsa die, in quam diem certam fideiusserit: 3. creditoris renunciatione expressa vel tacita: 4. creditoris vitio, quo acciderit ne fideiussor possit eius privilegiis et pignoribus uti.

ARTICULUS III.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS IN SPECIE.

454. Praen. Contractibus, qui benefici audiunt, expeditis gradum facimus ad onerosos seu permutatorios, qui utrinque obligationem imponunt et aequalitatem mutuam inter contrahentes requirunt. « *In primisque circa quae ultro citroque dantur servanda est aequalitas, et si postea alter ex contrahentibus evictionem rei, quam accepit, patiatur, alter ei evictionem praestare debet* ». Iamvero I. aequalitas *(ait D'Annib. heic in summ. n. 463)* rerum aestimatur ex rerum pretio. Pretio aestimantur: 1°. *Res* quae in bonis esse, et *operae,* quae aliis praestari possunt, etsi has praestare non sit laboriosum, imo utile sit ei, qui praestat: dummodo non sint adeo exigua, ut nullam opinione hominum aestimationem recipiant... 2°. Quodcumque officium honestum seu *beneficium;* et *obligationes,* quas quis suscipit alterius gratia, etiam citra omne damnum, vel incommodum. 3°. Demum etiam *periculi* pretium est: et nedum cuiusvis damni, sed et capitis, existimationis, libertatis etc. tametsi alias rerum huiusmodi nulla sit aestimatio.

Porro pretium, quo res dandae vel recipiendae, operae autem praestandae vel exigendae sunt, debet esse non a con-

trahentibus formatum, sed iustum seu legitimum seu vulgare; illud praesumitur quamdiu aut ex se, aut ex mutatis forte rerum circumstrntiis non apparet manifeste iniustum; *Less. II. 21. 7. Lugo 26. 58. s. Alph. 803.* hoc ut sit iustum, *vulgo* seu communiter metiri debet *L. 63. pr. ad L. Falcid.* Quod circa rem in contractibus *a*) commutativis licet aestimari ex eo loco debeat, quo res venit, atque ex eo tempore, quo rei dominium transit in acquirentem: tamen augeri potest vel minui ob iustam causam i. e. 1. ob damnum emergens et lucrum cessans; 2. ob periculum, damnum vel incommodum dantis aut accipientis; 3. ob modum rei distrahendae vel comparandae, maxime quoties modus auget emptorum aut venditorum numerum *Lugo de Iust. et Iur. disp. XXVI. Sect. VII. § II. et III. b*) In aleatoriis vero pretium aestimari debet quanti res, quanti periculum sit, et quod medium inter utrumque viro bono videbitur, hoc iustum erit, etiam quando valor rei latet contrahentes. Modo autem dictae causae augendi vel minuendi pretia rerum valent quoque pro mercede operarum augenda vel minuenda supra ipsius aestimationem, quae mercedis aestimatio fit ex operis ipsis iuxta mores regionis, in qua praestantur.

455. II. Evictio autem formaliter spectata, est *rei emptae vel alio iusto titulo acceptae* per iustam iudicis sententiam ablatio seu avocatio: quia evincere est rem ab aliquo auferre per vindicationis iudicium, cum scilicet verus dominus appareat et inquietet eum, qui rem ab alio accepit (ex causa onerosa), atque instituta vindicatione in iudicio rem suam repetit et obtinet. Spectata vero evictio quoad effectum et obligationem venditoris, qua venditor emptori tenetur actione empti, definiri potest *resarcitio damni omnis, quod emptor sustinuit ob rem ex suis bonis evictam et ablatam.* Et hoc sensu evictio idem est, quod evictionis praestatio *ab eo* facienda, qui alteri rem tradidit ex causa onerosa et dicitur *auctor,* ei, qui eam accepit, si postea super re inquietetur et dicitur *reus.* Hinc *a*) emptor a venditore, qui sibi rem alienam scienter vel ignoranter vendidit, postea evictam, praetendere potest non solum pretii refusionem quod tempore contractus statutum est, sed etiam totum interesse, quanti scilicet emptori interest rem evictam non fuisse h. e. damnum emergens, lucrum cessans, et ex-

pensas, quas facere debuit in rem emptam, et in litem, modo eiusmodi interesse duplum pretii non *excedat L. 13. 60. 70. ff. de Evict. L. 11. § 17. L. 43. ff. de act. empti. b*) Inde patet etiam quod, ut evictio competat, necesse est 1°. ut causa evictionis consistat in iure et non in facto tantum: *in iure* h. e. ut controversiae sit quid obnoxium e. g. res sit aliena, aut servituti vel pignori obligata: *non in facto* e. g. si emptor e possessione deiiciatur facto Principis, aut vi privata: 2°. ut causa evictionis sit antiquior contractu: 3°. ut is, cui res tradita est, eam ignoraverit.

Dixi *vel alio iusto titulo acceptae:* quia non solum in venditione, ut olim evictio locum habet, sed etiam in aliis actibus et contractibus onerosis ob paritatem cum venditione, saltem utilis actio de evictione dari coepit.

TITULUS XXXV.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

Summarium. — Breviter indicatur 1) quid, 2) quotuplex sit Emptio Venditio: 3) et cum ad huius substantiam exigantur consensus, merx seu res, et pretium, inquiritur 4) qualis debeat esse consensus, 5) quae res emi ac vendi valeant, 6) et quale possit, aut debeat esse pretium rerum venalium.

456. *Decl. 1. p.* **Notio.** Emptio venditio est *contractus solo consensu initus, quo de re pro certo pretio tradenda convenitur, et vicissim de pretio pro re dando.* Hinc differt *a*) per το *solo consensu* a contractibus *realibus* et *verbalibus,* qui consensualis contractus, si pure et absolute nec in diem sit initus, statim perficitur et obligat, etsi nondum pretium datum, nec res tradita sit, ita tamen ut quoad substantiam, non quoad executionem producat actionem, quae scilicet efficaciter intentari nequeat, nisi alteruter offerendo pretium vel rem ex sua parte contractum prius impleat aut implere sit paratus: *b*) per το *de re pro certo pretio,* differt a *permutatione* in qua res pro re, a cambio in quo pecunia pro pecunia: *a locatione,* in qua res datur ad usum pro pensione, cuius pensionis non pretii rationem habet pecunia, quae forte interveniat.

457. *Decl. 2. p.* Frequentiores **divisiones** sunt in publicam et privatam, in puram et conditionatam, quae per se patent, alia generis, alia speciei: celebratur illa dum ex pluribus eiusdem generis rebus: v. g. ex pluribus eiusdem aestimationis, equus unus nulla certa specie, vel certo individuo designato emitur vel venditur: haec scilicet *specie* dum hic *equus* determinatus venditur. Item alia emptio venditio est *ad corpus* vel per *aversionem,* cum plures species aut individua per modum unius rei venditur, vel sine expressione numeri, ponderis, mensurae, vel expresso quidem v. g. numero, sed demonstrative tantum non taxative, alia vero ad mensuram et quantitatem, quando scilicet plura ut plura venduntur, habito respectu ad certam quantitatem seu certo numero expresso.

458. *Decl. 3. p.* Ex ipsa definitione patent tria huius contractus **substantialia,** scilicet res certa, quae venditur et merx appellatur; 2. pretium certum et quidem pecuniarium; 3. consensus verus tam emptoris in pretium dandum, quam venditoris in mercem tradendam: *L. 8. et 9. ff. de contrah. empt. et § 1. Inst. h. t.* qui partium consensus proinde, quo se mutuo obligant venditor ad tradendam mercem, emptor ad dandum pretium, exterius sit manifestatus oportet.

459. *Decl. 4. p.* **Requisita consensus.** Consensus autem debet esse 1) liber *L. 11. C. h. t.;* 2) verus *L. 67. ff. h. t.* non simulatus; 3) sine errore circa substantialia (scilicet naturam rei et pretii) vel *in corpore* vel in *materia* scilicet tota, vendendo aes pro auro, vitro pro gemma *L. 9. et 14. ff. h. t.;* 4) praestitus a persona habili: emere vero et vendere possunt omnes, qui contrahere et qui specialiter non prohibentur: prohibentur autem tutores respectu rerum pupillarium, nisi palam faciant *L. 34. ff. de contrah. empt.* Porro Clerici etiamnum prohibentur quidem *toto t. Ne Clerici vel Monachi* exercere mercaturam proprie dictam: sed ipsis quominus vendatur aliquid praesertim immobile a laicis, non potest impedire magistratus seu princeps civilis *c. ult. de Imm. Eccl. in 6.*

460. *Decl. 5. p.* **Merx** seu res, quae vendi et emi possunt, sunt omnes pretio aestimabiles et non exemptae a commercio humano per ius naturale, gentium, aut positivum ac specialiter non prohibitae alienari *L. 34. § 1. ff. de contrah. empt.* Hinc vendi

aut emi non possunt res spirituales ob simoniam: res sacrae in usus profanos: res Ecclesiarum immobiles et mobiles pretiosae, res publicae vel publicis usibus destinatae; res propriae ipsius emptoris, res de se malae, res litigiosae, res emphyteuticae et feudales irrequisito domino.

Dubium erat *an vendi possit res aliena imo et furtiva ab emptore ignorante rem esse alienam, res non existens, modo speretur futura, haereditas si iam delata sit, post mortem testatoris;* et Respondetur *affirmative.* Vendi etiam possunt nomina, actiones, obligationes, debita etc.

461. *Decl. 6. p.* **Pretium** in emptione venditione debet esse 1. verum non simulatum *ex L. 34. ff. de contrah. empt.:* 2. pecuniarium seu pecunia numerata § *2. Inst. h. t.;* 3. atque ita, ut pretii dominium in venditorem transferatur *L. 11.* § *2. ff. t. c.;* 4. certum certitudine vel absoluta vel respectiva, ad quam etiam reducitur si conferatur aestimatio in arbitrium tertii *L. 7. ff. h. t.;* 5. iustum, quod si a legibus est determinatum, audit legitimum et consistit in indivisibili: si spectatis circumstantiis v. g. mercium copia aut penuria, venditoris impensis ac labore etc. communi hominum aestimatione est constitutum, vulgare nominatur, seu naturale, quod recipit gradus, estque vel infimum vel medium vel summum, ultra quod vendere non licet *c. 1. h. t.* et *L. 33. ff. ad leg. Aquil. L. 63. ad leg. Falcid.*

Summarium. — Inde patet quaenam ex contractu emptionis et venditionis tam venditori, quam emptori oriantur *a*) **obligationes et** *b*) **actiones.**

462. *Decl. 1. p.* I. **Obligatur** *venditor* 1°. *in ipso contractu* emptori *a*) interroganti quodcumque rei vitium aperire, cum hic rem, quam vult emere, habeat ius cognoscendi: *b*) non roganti etiam aperire tenetur, modo vitium sit occultum et grave, et rem reddens vel omnino vel notabiliter ineptam; 2°. post initum contractum tenetur *a*) rem venditam tradere *praecise* h. e. non satisfacit praestando interesse § *1. Inst. h. t.;* *b*) tradere rem vacuam seu ab alio non possessam *L. 21.* § 1. *ff. de action. empt. c*) una cum fructibus, accessionibus et pertinentiis *L. 13. et pen. C. eod.:* nomine autem pertinentium venit

quidquid ad rei venditae usum destinatum est, vel quod habetur pro parte, aut corpori infixum est: queis adde instrumenta ad rem venditam pertinentia: *d*) damnum resarcire dolo suo vel culpa lata aut etiam levi datum: *e*) obligatur tandem venditor emptori de evictione, et ad praestandum interesse rem non fuisse evictam *Pichl. h. t. n. 44. et 45. Schmalzgr. eod. n. 150.*

II. *Emptor* e contra obligatur venditori 1. dare pretium iustum saltem infimum, de quo conventum est, statim post mercem acceptam si venditor exigat, ita ut pretium fiat venditoris § 2. *Inst. h. t.;* et in quantitate, die ac loco statutis, ita ut de culpa etiam levi *L. 3. et 11. ff. de peric. et commodo rei vend.* imo et ad usuras pretii teneatur, si post mercem sibi traditam in mora solvendi fuit *L. 13. § 20. ff. de act. empt.;* 2. manifestare bonitatem mercis si plus valeat vel vitium pretii e. g. quod moneta adulterina sit, quia pretium iustum saltem infimum esse debet. Fundus tamen, in quo latet thesaurus cum in communi hominum aestimatione plus non valeat ac si in eo non lateret thesaurus, venditori aperiri non debet.

463. *Decl. 2. p.* Ex his mutuis obligationibus **oritur actio** empti et venditi. Actio empti competit emptori contra venditorem ad rem sibi tradendam, et ad praestandum quidquid ex natura contractus et aequitate vel pactis adiectis debet praestare venditor *L. 1. pr. et § 1. L. 11. ff. de act. empt.* E contra *actio venditi* competit venditori contra emptorem ad pretium et omne id, quod sibi ex hoc contractu debetur *L. 13. § 19. ff. eod.* Quae porro duae actiones, ut supra adverti, in effectu intentari non possunt, nisi alterutra pars prius impleat contractum, scilicet emptor pretium solvendo, venditor actualiter rem tradendo: aut nisi habeatur pro tradita, ut si ante traditionem casu periisset *L. 13. § 8. L. 25. ff. eod.* Nisi enim haec fiant, per exceptionem auctor semper repelli potest. *LL. modo cit.*

In ordine ad dissolvendam emptionem venditionem emptori *ex aedilitio edicto* competit 1) *actio redhibitoria,* qua propter vitium, quo cognito rem non emisset, agit adversus venditorem eiusque haeredes, ut, venditione in totum rescissa, rem recipiat, pretioque reddito, omnia in integrum restituat *L. 23. § 7. L. 27. 29. § 2. ff. de aedil. edict.:* 2) *vel aestimatoria,* qua emptor eiusve haeres ob vitium, quo tanti non emisset,

agit contra venditorem vel illius haeredes, ut quanto minoris rem emisset, de accepto pretio restituat. *L. 48. § 5. L. 6. ff. de Aedil. Schmalz. h. t. n. 218.* Insuper in hoc contractu emptionis et in aliis onerosis actio legis *2. C. de rescind. vendit.* datur laeso ultra dimidium iusti pretii, vi cuius regulariter petere potest disiunctive vel rescissionem contractus, vel ut addatur aut dematur de pretio, donec evadat iustum, ita tamen, ut arbitrio laedentis sit aut rescindere contractum vel pretium augere, aut de eo usque ad iustitiae limites remittere: quod si laedens sit emptor, hic in electione rescissionis fructus inde perceptos una cum re non debet restituere, si ignoranter laeserit sine culpa aut dolo. *DD. in citt. ll.*

TITULUS XXXVI.

DE RERUM PERMUTATIONE, CAMBIIS, SOCIETATE.

Summarium. — *a*) Permutationis stricte sumptae notione tradita *b*) et actione, quam ipsa parit; *c*) res indicantur, quae permutari possunt. *d*) Hisce adde de Cambio: personas intervenientes in ipso, eiusque naturam, species.

464. *Decl. 1. p.* **Notio.** Permutatio late sumpta involvit omnem contractum, quo aliquid pro alio datur, ut in emptione venditione, et aliis contractibus reciprocis: sed stricte est *contractus quo rei pro re datur, atque promittitur.* Est autem contractus innominatus seu conventio, qua quis rem ea lege dat, ut pro ea alter aliam, de qua conventum est, reddat: quae familiaris fuit gentibus antequam pecuniarum invalesceret usus, cum scilicet non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur: sed quisque secundum necessitatem temporum et rerum utilia inutilibus permutabat. Est autem vicina emptioni et venditioni, et constat re danda et accipienda ultro citroque: atque utraque mercis et pretii instar habetur: qua est *merx* certa debet esse et permutantis; qua *pretium* est utriusque valor, certum, prout in emptione et venditione, et aequale esse oportet. Modernis legibus perfi-

citur uno consensu: eâque perfecta, rei dominium adeoque et periculum, ultro citroque in alterum statim transit.

465. *Decl. 2. p.* Inde autem **nascitur actio** *praescriptis verbis* ex *permutato* § *28. Instit. de act.;* et competit ei, qui dedit, adversus accipientem eiusve haeredem ad tradendam rem promissam, vel id quod interest: scilicet hic est effectus permutationis, ut qui ex sua parte implevit contractum, possit alterum scilicet accipientem compellere ad rem pariter tradendam per *actiones praescriptis verbis,* vel etiam poenitere et quod tradidit repetere per *condictionem causa data causa non secuta L. 4. et 7. C. h. t.* Nulla porro rem danti competit actio contra tertium rei datae possessorem dum e. g. qui eam accepit eamdem alienavit.

466. *Decl. 3. p.* **Res permutabiles.** In rebus ecclesiasticis facilius permutatio, quam venditio permittitur, quia numerata pecunia maiori periculo exponitur. Regula generalis est: Ab iis, qui possunt alienare, possunt permutari res omnes corporales et incorporales, mobiles et immobiles, ita tamen, ut res, quae permutantur sub humano existant commercio, nec sint prohibitae alienari. Hinc seq. 1. Res spiritualis pro temporali nec licite nec valide permutatur *c. fin. de pact. et h. t.* Potest tamen res spiritualis pro alia spirituali permutari e. g. reliquiae pro reliquiis, ius decimandi in hoc pro iure decimandi in alio agro. 2. Bona eccl. immobilia et mobilia pretiosa etiam possunt cum aliis permutari, modo requisitae solemnitates adsint et iusta causa, sive ad laicos sive ad aliam transferantur ecclesiam. 3. De permutatione beneficiorum iam l. 1. egimus.

467. *Decl. 4. p.* Permutatio pecuniae cum pecunia proprio nomine dicitur **Cambium**. Est igitur *contractus consensualis de pretio campsori dando et literis ab eodem campsore tradendis ad tantumdem alibi recipiendum.* Attamen triplex distinguitur minutum, locale et obliquum, quae singula antequam percurramus, breviter indicandae sunt *personae intervenientes.* Hae autem sunt 1. qui Valutam h. e. pecuniam alio loco solvendam dat, et vocatur *Campsarius:* 2. qui traditis literis cambialibus curam in se suscipit, ut pecunia sibi data alio loco restituatur, et dicitur *Campsor;* 3. qui pecuniam alio loco restituit et appellatur

Acceptans; 4. tandem ille, cui alio loco solvitur et nominatur Praesentans sive *Exactor.*

Ad *species Cambii* quod attinet: 1. *minutum* seu manuale fit, cum diversae nummorum species inter se permutantur. Ex hoc autem licet Campsori aliquod emolumentum percipere (agio) seu publica auctoritate seu proprio arbitrio id munus exerceat, seu semel aut iterum id praestet, vel quia res utilis alteri praestatur, vel quia labor numerandi et muneris expensae fiunt, vel quia huius rei causa pecuniam paratam semper habere debet. 2. Cambium *locale* est quod fit literis collybisticis vulgo *Cambiali;* pro quo etiam licet aliquid exigi propter impensas, periculum traiectitiae pecuniae iuxta cuiusque regionis leges aut mores. 3. Obliquum fit, cum quis pecuniam, quam negotiationibus (ut ipse ait) destinaverat, Seio credit ea lege, ut aliam pecuniam ab alio mutuam accipiat; eaque ipse negotietur, et sibi lucrum praestet, quod ex pecunia sua si credita ipse percepturus fuisset: quod foenus est. *Cf. D'Annib. heic n. 500.*

Summarium. — Contractus societatis traditur 1) **notio, et** 2) **species;** 3) **quas inter personas coiri possit,** 4) **quid quis debeat inita societate et** 5) **tandem qui haec solvatur.**

468. *Decl. 1. p.* **Notio.** *Contractus societatis est conventio plurium contribuendi ad commune lucrum vel usum.* Qui contractus, ut patet, est consensualis, cuius obiectum est *ipsa contributio* ad commune *lucrum* vel *usum,* quatenus singuli necesse conferant aliquid operam vel lucrum: vel *usum* e. g. contribuere libros aut supellectilem in commune. Conferri autem in commune potest 1. ut rei collatae non solum usus sed dominium commune sit, sic ut singuli efficiantur domini totius sortis partialiter: 2. ut, rei dominio penes collatorem permanente, usus aut lucrum sit commune. Ad 1^m. sensum facit *L. 1. § 1. et L. 2. ff. Pro socio* in societate omnium bonorum, omnes res, quae coeuntium sunt, continuo communicantur; ad 2^m. sensum facit *L. 7. eod.*

Qua in societate ut iustitia servetur, advertatur: 1. quoad *res,* ut penes quem dominium, penes eum et periculum earum

sit seu societatem seu socium: 2. quoad *lucrum* ut hoc non intelligatur *nisi omni deducto damno*: ideo cum societas contrahitur tam lucri quam damni communio initur; et hinc opus est, ut unicuique constituatur pars lucri pro rata eius, quod contulit et pars damni pro rata lucri.

469. *Decl. 2. p.* **Species** praecipue duplex sc. *universalis* altera, quae sc. 1°. vel complectitur omnia bona praesentia mobilia et immobilia et futura, quae tempore societatis acquirentur etiam via donationis et successionis, quae omnia dissoluta societate, per partes aequales inter socios erunt dividenda; vel 2°. complecti potest solum lucra et quaestus, qui ex emptione, venditione,... ex contractibus sc. onerosis obveniunt *L. 7. eod.* Altera *particularis* complectens sc. res determinatas et particulares, e. g. determinata negotia et particularia.

470. *Decl. 3. p.* Ex dictis societas **coiri inter eos potest,** qui contrahere possunt, exceptis iis, qui alienare prohibentur. Non decere videtur, ut Clerici uberiorem quaestum, qui per societatem intenditur, appetant etiam in rebus honestis: invalide porro agerent si circa res turpes inirent societatem *L. 57. ff. Pro socio.* Quandoque communionem rerum habent clerici cum aliis, quibus e. g. eadem res testamento legata sit: sed haec sine *societate,* quae nonnisi per mutuum consensum initur.

471. *Decl. 4. p.* **Obligatio socii.** Inita societate statim socius omnis communicare debet res vel operas, quorum coita societas est. Administrat autem societatem is, cui administratio fuerit demandata: a quo, si in ipso societatis contractu demandata sit, sine iustissima causa haec auferri nequit: si nulli mandata, omnibus tacite permissa intelligitur. *Ex L. 53. § Idem Cod. gal. 1859. Ital. 1723.*

472. *Decl. 5. p.* **solvitur** tandem societas 1. completo tempore statuto aut completa negotiatione; 2. mutuo sociorum consensu; 3. morte alicuius socii, nec transit ad haeredem, quia fuit electa persona: attamen non desinit societas circa iam coepta negotia, aut vectigalia aliasve res publicas conductas; 4. morte etiam civili socii; 5. si socius egestate vel infirmitate laborans aut in carcerem coniectus, nequeat praestare quod debet; 6. si res, circa quam versatur pereat *L. 64. ff. h. t.*

473. Nota. Huc refertur 1. contractus **aestimatorius,** quo res aestimata certo pretio traditur vendenda alteri, ut vel eam reddat vel pretium determinatum solvat *L. un. ff. de aestimat.;* 2. contractus **suffragii** sive favoris, quo aliquid datur vel promittitur aulico ut hic negotium apud Principem commendet. *Novel. 8.*

TITULUS XXXVII.

DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE, EMPHYTEUSI ET CENSIBUS.

Summarium. — Locationis et conductionis 1) **substantialia,** 2) **et species innuuntur;** 3) **tum exhibetur a quonam, et** 4) **quae res praesertim Ecclesiasticae locari et conduci possint:** 5) **quaequae inde tam locatori, quam conductori oriatur obligatio,** 6) **et actio;** 7) **tandem de locatione finienda et de sublocationibus aliquid addendum est.**

474. *Decl. 1. p.* **Substantialia** Venditioni et Emptioni subiungimus h. t. quae ipsi ceu proximi habentur contractus quales sunt enuntiati. Porro primus horum est locatio et conductio, quae definitur *contractus consensualis, quo quis pro certa mercede, certae alicuius rei usum vel operas, aut opus illiberale alteri praestat.* Unde patet 1) quod *unus contractus sit,* qui ex parte concedentis dicitur locatio, ex parte recipientis conductio: atque ideo audit *locator,* qui rem utendam tradit, et mercedem accipit, *conductor* vero qui rem utendam accipit et mercedem solvit: conductor insuper dicitur *colonus* si agrum, et *inquilinus* si domum ad habitandum conducat, et publicanus si publica conducat vectigalia: 2) *consensualis* quia uno consensu perficitur; 3) *quo quis pro certa mercede...* exhibet obiectum, circa quod contractus versatur, et unde fluunt 1ª. divisio locationis rerum sc. operarum, et operis, et substantialia sc. I^m. consensus, II^m. rei usus aut opera, vel opus, III^m. merces. *De consensu* patet. *Res* sc. *a*) *omnis* quae est in humano commercio, quaeque etsi vendi nequeat, locari tamen possit, modo aliquem vel fructum praestet e. g. praedia rustica, vel usum ut praedia urbana: exceptis iis, quae usu con-

sumuntur: *b*) haec autem sit *certa* ex *L. 4. 6. de C. E.;* verius propria, quia *nemo plus iuris in alium transferre potest, quam ipse habet.* Ex *l. 7. et 9. pr. h. t.* Opera vero, quae locari potest, debet esse illiberalis et honesta, uti est opera famuli opificis et mercenarii; nam opera liberalis et quae ingenio producitur, locari non potest, quia mercedem non admittit, sed honorarium tantum.

Alterum substantiale est certa *merces seu pretium:* nam si quis gratis det alteri usum, aut usumfructum rei suae, non locare, sed commodare vel donare dicitur *L. 46. ff. Locati et conducti cf. Vinnium Inst. de locatione* § *1.* In locatione quod rependitur nomen mercedis habet, sicut et pensionis cum locantur immobilia. Cum autem pretium, quo rerum aestimatio fit, proprie sit pecunia, haec pro re accepta rependi debet. *Inst. de loc. ab initio;* hinc dicitur merces debet esse in numerata pecunia. Si tamen res locata fructus ex se producit, pars fructuum ad *certam* quantitatem potest esse loco mercedis. Hinc merces debet esse vera, certa et iusta. *Vera, L. 2. ff. h. t.; certa* vel in se, vel relate ad aliud vel ex moribus regionis; *iusta,* sed proprie non ut in emptione venditione, quia locatio et conductio maxime praediorum rusticorum, aleae nonnihil habet.

475. *Decl. 2. p.* **Species.** Alia porro est locatio *rerum sive fruendi,* qua usus rei v. g. aedium, fundi, libri conceditur *L. 9. pr. ff. h. t.* quo reducitur *admodiatio,* contractus *affictus, socida.* Alia *operarum sive faciendi.* Alia est locatio *perpetua,* quae non eo ipso transit in emphyteusin, cum id nullo iure habetur; alia temporalis. Tandem alia expressa, alia tacita, cuius exemplar prostat *L. 13.* § *11. L. 14. ff....*

476. *Decl. 3. p.* **Omnes** autem **locare possunt** qui possunt contrahere, modo vel domini rei sint, vel fructuarii vel administratores: conducere autem quisque potest, qui contrahere non prohibetur, exceptis tutoribus *L. un. C. Ne tutor vel curat.;* et in certis casibus etiam clericis, qui sc. maxime prohibentur conducere laicalia praedia ex causa quaestus *c. 1. Ne Clerici vel Monachi.* – Prohibentur Praelati et Rectores Ecclesiarum res immobiles locare ultra triennium absque sole-

mnitatibus iuris *Extravag. Ambitiosae inter comm. de rebus Eccl. alien.*

477. *Decl. 4. p.* Locari 1°. tum possunt et conduci **quaecumque in commercium** veniunt et usu non consumuntur, adeoque tam mobilia, quam immobilia, tam corporalia quam incorporalia e. g. iura, ususfructus, vectigalia, habitatio, servitutes personales, sed non reales. 2°. Locari etiam possunt **operae** et etiam *opus aliquod. Operae* sunt diuturnum officium et ministerium e. g. Procuratoris, Administratoris villici, Proxenetae. Porro ut operarum locatio licita sit, operae licitae sint oportet, iusta merces, et ut locatio non sit facta ad vitam locatoris, ne quis in servitutem sese dare videatur. = Opus autem dicitur quidquid aliquis faciendum suscipit e. g. domum aedificare, tabulam depingere, vestem reficere. Quod si materiam locator, artificium vero conductor praestat, locationem conductionem esse nemo dubitat: dubitari autem potest an sit potius venditio, cum utrumque praestet conductor. = Ex dictis conductor opus conficere debet integrum, intra constitutum tempus, pretio statuto, etsi postea rerum et operarum pretia creverint.

478. *Decl. 5. p.* I. **Locator** rerum **tenetur** conductori 1°. aperire vitia rei locandae, alioquin ad reparandum damnum obligatur *L. 19. § 1. ff. locat.;* 2°. praestare liberum rei usum *L. c. et L. 15. § 8. ff. h. t.;* 3°. proinde ante tempus conventum non revocare rem locatam et conductorem non expellere *c. 1. L. 3 et 21. C. eod.* nisi improvisa et iusta supervenerit causa e. g. si re sua ex improviso indigere incipiat, vel si haec reparatione indigeat modo in his, pro rata temporis de pensione remittat; si conductor illa abutatur, meretrices, fures in domum conductam introducat, *L. 3. cit. c. 3. h. t.* quo in casu nihil expulso conductori vel inquilino remittere tenetur. 4°. Restituere expensas necessarias et utiles extraordinarias, non autem utiles ordinarias nec voluptarias, quas conductor secum tollere potest; 5°. remittere regulariter pensionem *totam* si conductor absque sua culpa nullos percepit fructus, *partem* pro rata damni dum sensit et notabile damnum, nihil si damnum sit leve. 6°. Notetur tandem quod successor *universalis* teneatur continuare locationem usque ad

praefinitum tempus, si fuerit locatio rerum § *1. Inst. secus* si operarum locatio fuerit.

II. **Conductor** rerum **obligatur** locatori 1°. re conducta uti ut bonus paterfamilias, nec ad alium adhibere usum, quam qui conventus est: id enim natura negotii exigit; 2°. rem conductam non deserere ante finitum conductionis tempus sine iusta causa e. g. ob periculum ruiturae domus conductae, belli vel pestis imminentis: quod si absit iusta causa tenetur ad totam pensionem *L. 15. § ult. L. 27. L. 55. ff. h. t.;* 3°. rem conductam convento tempore in specie restituere *L. 25. C. h. t.;* 4°. Damna locatori illata per suam culpam etiam levem resarcire *L. 9. § 4. 5. L. 11. § 3. ff. eod.* e. g. si domus ob inquilini culpam conflagret; 5°. integram mercedem solvere tempore per conventionem aut loci morem statuto. Conductor autem operarum tenetur item ad solvendam integram mercedem debito tempore v. g. post operam praestitam, vel opus confectum et in casu morae ad usuras, item non recedere a contractu v. g. famulum non dimittere ante finitum locationis tempus absque iusta causa.

479. *Decl. 6. p.* Ex his obligationibus exurgit **actio locati** et **conducti** seu ex locato et conducto: actio locati datur locatori adversus conductorem in ordine ad mercedem et ad alia praestanda, ad quae diximus obligari conductorem; actio conducti autem conductori adversus locatorem, ut sibi rem tradat ad liberum usum, exhibeat operas et alia praestet, ad quae tenetur locator: *ex prin. Inst. L. 10. 17. 34. C. h. t.;* utraque, uti patet, est personalis, rei persecutoria, directa, perpetua et (nisi sit locatio conductio operarum) utrinque transitoria ad haeredes seu haeredibus utriusque competit contra haeredes utriusque.

480. *Decl. 7. p.* Tandem I. **finitur** locatio et conductio 1°. re locata tota pereunte vel evicta locatori *L. 16. § sed si ager ff. h. t.;* 2°. officio iudicis resolvitur, si alter ex contrahentibus legi locationis non paruit *L. 22. § 3. ff. h. t.;* 3°. impleto locationis tempore *L. 11. C. h. t.* modo locator non patiatur in locatione manere conductorem, quia tunc locare denuo intelligitur; II. conductorem rem sibi locatam alteri locare et cedere posse patet *L. 11. C. h. t.;* illud tantum ei

necesse est, ut et ad eumdem usum locet, cedat et aeque idoneo.

Summarium. — Emphyteusis 1) quid sit, 2) quotuplex, 3) quibus, et 4) a quo concedi possit, breviter ostenditur: 5) tum quae obligationes et actiones hinc nascantur, exponendum est paucis: et 6) tandem qui cesset emphyteusis indicandum erit.

481. *Decl. 1. p.* **Notio.** Locationi affinis est Emphyteusis ab εν et φυομαι quasi inserere implantare, et sumpta *a*) *obiective,* est pro ipsa re emphyteutica, quae haereditaria dicitur, si est perpetua; *b*) *effective* est pro iure, quod emphyteutae conceditur; *c*) *formaliter* est pro contractu, quo res immobilis alteri quoad dominium utile, retento directo conceditur sub onere certi canonis statis temporibus domino proprietatis solvendi. Quae, ut discrimen ab aliis contractibus videatur, ita potest describi « *est contractus consensualis, quo res immobilis* cum translatione dominii utilis, retento dominio directo, alteri colenda vel fruenda conceditur vel in perpetuum vel ad certum tempus non modicum, vel ad vitam unius aut plurium sub onere laudemii, pro investitura seu admissione, et certae pensionis realis domino directo, tum in recognitionem dominii directi tum in compensationem fructuum, certis temporibus persolvendae ». Dixi contractus consensualis, quia uno consensu perficitur absque rei traditione et scriptura, bonae fidei non stricti iuris, originem ducens a iure gentium... res immobilis vel ius aequivalens *L. 1. C. de Iure emphyt.* quia mobilis culturam ad fertilitatem non recipit, et potest usu perire vel deteriorari: sub *onere* laudemii dicti a laudatione seu approbatione vel consensu domini aliquem pro emphyteuta acceptantis, quod est certa pecunia *ex Iur. com. L. ult. C. de iure emphyt.* quinquagesima pars pretii, qua aestimatur res emphyteutica tempore concessionis.... et *certae pensionis* consistentis, vel in certa pecunia vel in frumento aliisque rebus fungibilibus ordinarie quotannis domino directo solvendae.

482. *Decl. 2. p.* **Distinguitur** porro 1°. *ex bonis,* quae in emphyteusin dantur, in ecclesiasticam, qua res ad Ecclesiam vel

locum pium pertinens, et laicam, qua res profana sive ad laicum pertinens conceditur; 2°. *Ex personis,* in quas transit, in haereditariam, familiarem, et mixtam, prout in solos haeredes vel descendentes solos, vel in haeredes eosque descendentes transire possit: si ad quoscumque in infinitum haeredes transmittenda sit, dicitur *perpetua;* si ad certum numerum haeredum e. g. 3. vel 4. generationes dicitur non perpetua: si non transit ad haeredes extraneos, sed ad suos tantum, dicitur *ex pacto et providentia,* vel familiaris et gentilitia: et *haereditaria* simpliciter audit, quae ad haeredes quoscumque transeat; 3°. *ex tempore,* quo duratura est, in perpetuam et temporaneam: et haec vel in definitum tempus vel in definitas generationes conceditur. Iamvero si non appareat utra ea sit laica praesumitur perpetua, ecclesiastica ad 3^am^. generationem tantum. Quod si non appareat utrum generatio ab ipso constituente an ab eius filiis iniri debeat, ecclesiastica ab illo, laica ab his initur. *De Luca De Empt. Disc. 15.*

483. *Decl. 3. p.* **Omnibus concedi** potest: 1) qui contrahere et contrahendo se obligare possunt, etiam foemina et communitas cum eiusmodi obligationis sint capaces: 2) emphyteusin ad Ecclesiam reversam possunt a Praelato eius consanguinei accipere, ita tamen ut nec Praelatus, nec alius rei emphyteuticae dominus teneatur, finita e. g. generatione, pro qua emphyteusis concessa fuit, eam dare cognatis ultimae emphyteutae: 3) iis conceditur, qui ut *successores* in emphyteusi haberi debent ex instrumento: in quo si dicatur *pro se et filiis,* etiam filiae succedunt, modo omnes sint legitimi; si *pro se et haeredibus,* succedunt quicumque haeredes etiam extranei.

484. *Decl. 4. p.* **A quo?** Concedi autem potest ab omnibus, qui praeter dominium liberam habent rerum suarum administrationem, speciatim quilibet privatus *L. 1. et 3. C. h. t. Civitates L. 1. § 1. ff. si ager vectigal.* Praelati Ecclesiarum etiam in perpetuum, sed cum iuris solemnitatibus, dum bona Ecclesiae utilia concedunt *c. 5. de reb. Eccl. alien. vel non,* et dum illa primitus dant in emphyteusin *Extravg. Ambitiosae c. fin. de feudis.*

485. *Decl. 5. p.* **Obligationes** inde I. *Domino directo*

enatae, sunt: 1. possessionem rei emphyteuticae cum dominio utili per investituram transferre in accipientem: 2. post translationem liberum illius usum concedere: 3. damna, quae ex vitio rei non manifestato passus est emphyteuta, compensare: 4. non augere laudemium in haereditaria emphyteusi, cum mutatur emphyteuta, nisi aucta sit interea aestimatio rei: 5. non augere canones et praestationes annuas, etsi bonum emphyteuticum sit notabiliter melioratum. § *3 Inst. de locat. L. 25.* § *6. ff. eod. t.*

II. *Emphyteuta autem tenetur a*) in sui ingressu solvere laudemium, si noviter ad possessionem emphyteusis admittatur *L. fin. C. de iure emph. Pichler in h. t. n. 37; b*) arbitrio boni viri re emphyt. uti frui et expensas leviores et ordinarias pro conservatione rei necessarias solvere, quin eas finita emphyt. repetat *L. 2. C. de iure emph.; c*) domino directo quotannis solvere canonem totum, si modicus sit, et in recognitionem tantum dominii directi solvatur, modo res tota emphyteutica non pereat, etsi magnum in ea passus fuerit damnum *L. 1. C. eod. d*) Ius emphyteuticum non vendere aut alio modo alienare, proprietario irrequisito *L. fin. C. eod.*

486. *Decl. 6. p.* Ex his mutuis obligationibus **actio** oritur emphyteuticaria personalis Domino contra emphyteutam, ut praestet ad quae tenetur; emphyteutae contra Dominum ad ea praestanda, ad quae contractus obligat. Insuper datur utrique etiam actio realis adversus quemvis; domino quidem rei vindicatio directa, emphyteutae vindicatio utilis, ratione dominii, quod quisque habet in re empta. Quoad possessionem vero utrique remedia possessoria concessa sunt.

487. *Decl. 7. p.* **Cessat** porro emphyteusis sequentibus modis: 1°. Amittitur *praescriptione* sc. extraordinaria si ipse emphyteuta 30 annis continuis a canonis solutione cessaverit; ordinaria si tertius alius rem vectigalem quasi liberam ceteris paribus acquisiverit. 2°. Rescinditur si emphytheuta rem vectigalem non mediocriter deterioraverit, vel in iure interpellatus, toto biennio canonem non solverit. 3°. Extinguitur rei interitu vel impleto concessionis tempore. (1)

(1) Riguardo all' enfiteusi va ricordato l' articolo 1564 del codice civile italiano. Esso dispone:

Summarium — Emphyteusi *a*) **prope accedit census sumptus non sensu tit.** XXXIX. **lib. 3. Decretal.; sed eo quod sit contractus, quo quis ius percipiendi reditus ex praedio aliquo sibi aut alii in perpetuum reservat vel acquirit. Porro** *b*) **de hoc quaeritur, quibus constet et an redimi possit,** *c*) **quid ex eo constituto consequatur censualista et censuarius, et** *d*) **qui tandem finiatur.**

488. *Decl. 1. p.* **Notio.** Census sensu tit. cit. est pensio aliqua annua, quae ex proventibus ecclesiasticis ab Ecclesiis, monasteriis et aliis locis piis solvitur Superioribus, Praelatis, Patrono vel alteri personae praesertim in recognitionem subiectionis aut etiam ex alio iusto titulo Episcopi auctoritate recognito. Sed de hoc egimus *l. 1. de personis t. de Episcopis.* Communius autem sumitur sensu in propos. definito pro iure sc. quod alicui competit percipiendi annuam pensionem ex

« L'enfiteuta può sempre redimere il fondo enfiteutico mediante il pa-
» gamento di un capitale in danaro corrispondente all'annuo canone sulla base
» dell'interesse legale, od al valore dello stesso canone; se è in derrate,
» sulla base del prezzo medio di queste negli ultimi dieci anni ».

« Le parti possono tuttavia convenire il pagamento di un capitale in-
» feriore a quello sopra accennato. Ove si tratti di enfiteusi concessa a
» tempo determinato e non eccedente i trenta anni, possono anche conve-
» nire il pagamento di un capitale superiore, che non potrà però eccedere
» il quarto di quello sopra stabilito ».

Questo diritto di affrancazione spettante all'enfiteuta, che prevale anche al diritto di devoluzione, il quale compete al direttario in caso di mancato pagamento del canone o di deterioramento del fondo enfiteutico, vale anche per le enfiteusi costituite sotto le passate legislazioni (art. 30 delle disposizioni transitorie del Codice Civile). Ma siccome per le passate legislazioni, il direttario, a differenza delle leggi in vigore (art. 1562 Cod. Civ.) avea diritto, oltre ai canoni, al pagamento del laudemio in caso di passaggio del fondo enfiteutico, così nella liquidazione del prezzo di affrancazione, bisogna tener conto anche del laudemio: infatti l'ultimo capoverso dell'art. 30 delle disposizioni transitorie dispone:

« L'utilista deve altresì pagare al direttario la metà di un laudemio
» nelle enfiteusi perpetue, e tre quarti di laudemio nelle temporanee: il lau-
» demio è fissato secondo i titoli di concessione, e in mancanza di patto
» speciale secondo le leggi, sotto le quali le concessioni furono fatte ».

Per l'affrancamento dei canoni enfiteutici, livelli, censi, decime ed altre prestazioni dovute a corpi morali veggasi la legge 24 Gennaio 1864 N. 1636.

re alterius utili vel fructifera, super qua dicitur fundatus sensus. Ex enunc. propos. qua dicitur in perpetuum *reservat* vel *acquirit* duplex distinguitur census reservativus sc. cum quis in alium transfert rem suam quoad dominium proprietatis et etiam utile, reservata tamen sibi vel alii annua pensione super eadem re: alius consignativus cum emit ius percipiendi reditus ex re aliena. Porro qui censum sibi reservat vel acquirit *censualista,* qui solvit *censuarius* dici solet... Ius percipiendi reditus et non ipsos fructus: nam si in perpetuum ad vitam constituatur, vitalitium proprie audit.

489. *Decl. 2. p.* Uterque census **constat re** et **pretio**. Res (praedium) frugifera esse debet: pretium iustum, quod tale erit, si reditus in reservativo fructibus praedii, in consignativo si licitis pecuniae usuris respondeant, *Less. de iust. et iur. II. 22. 102.* praesertim si ubi contrahitur census huiusmodi emi vendique solent.

Ad quaest. *an redimi queat? Resp.* Cum constitutus fuerit ex iure positivo redimi nequit a *censualista* quoad censuarius pacta servaverit; a censuario autem semper redimi potest.

490. *Decl. 3. p.* **Quid consequatur**. Ex censu constituto consequitur, si reservativus est, plenum rei dominium quovis contrario pacto sublato, transferri perpetuo in censuarium; si consignativus, ius dumtaxat percipiendi fructus in censualistam transfert. Censuarius canonem solvere debet integrum in censu reservativo (qui emphyteusi prope accedit) semper, non item in consignativo, si pars fructuum praedii censualis, insolito, ut in conductione, casu interierint.

491. *Decl. 4. p.* **Finitur** autem census extinctione, resolutione, rescissione. I. *Extinguitur* si censuarius illum redemerit. II. *Resolvitur* officio quidem iudicis. 1°. Si ipse legitime interpellatus canonem toto continuo biennio non solverit; vel 2°. promissas in eo constituendo cautiones non praestet; aut 3°. postea amissas, etsi non sua culpa, non suppleat; III. tandem *rescinditur* si 1°. praedium censuale plus quam inter tres personas postea divisum fuerit ex quacumque causa, aut 2°. censuarius foro cesserit, vel solvendo esse desierit. Insuper census reservativus rescindi poterit, prout quaevis alia, seú emptio et venditio, seu donatio.

TITULUS XXXVIII.

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS.

492. Praen. Contractus aleatorius is, quo incertum lucri quaeritur, aut damni incertum evertitur, pretio certo. Incertus eventus igitur est, super quo per eiusmodi contractus convenitur, et a quo suspenditur id, quod dari vel fieri, vel etiam non dari vel non fieri debet, modo nulla lege prohibeatur. Ex his patet ad iustitiam horum contractuum necessum in primis esse, ut aequa sit utriusque contrahentis conditio h. e. ut spes lucri et metus damni ab utraque contrahentium parte sit idem, omnisque absit fraus. Porro de hisce breviter: et primo quidem de sorte, de ludis et sponsionibus, qui ad lucrum cum primis quaerendum pertinent, tum de adsecuratione et vitalitiis, qui ad damnum cum primis avertendum ineuntur.

Summarium — 1) **Sors** *a) per quam intelligitur res, a cuius fortuita determinatione suspenditur acquisitio rei alterius corporalis vel incorporalis, b)* **triplicem dat contractum sortis sc. electricis, divisoriae, attributricis,** *c)* **et in electionibus canonicis locum habere nequit.** 2) **De ludis, sponsionibus in communi breviter innuitur, qui conveniant cum mutua emptione et venditione.** *Speciatim* 3) **ex ludi contractu** « *quo ludentes inter se paciscuntur ut victori cedat, quod uterque deposuit vel promisit* » **enascitur obligatio modo collusores aequaliter et remotis fraudibus ludant.** 4) **De sponsione, quae definitur** « **contractus quo duo** *de incerto aliquo eventu, aut veritate contendentes, aliquid exponunt ea lege ut ei cedat, qui rem attigerit* » **indicantur conditiones quibus ea liceat.**

493. *Decl. 1. p.* 1^m^. patet scilicet **definitio** ubi determinatio fortuita est, quae non fiat consilio humano. Ad 2^m^. scilicet **species** sortis quod attinet, *sors electrix* est, qua convenitur inter plures quamnam pluribus ex rebus, vel utrum aliquid an nihil habere debeat. Contractus *sortis divisoriae* est, quo facta rei communis divisione, sorti committitur determinatio quamnam *partem quisque* habere debeat. Contractus *sortis at-*

tributrices est, quo convenitur, ut res aliqua indivisibilis, ad quam duo vel plures aequale ius habent, fiat eius, quem sors ostenderit. Quoad 3^m^. dicimus id expresse prohiberi, ut constat *c. Ecclesia vestra 3. de sortilegiis et in L. sacris 47. Cod. de Epis. et Cler. Cf. Pirhing. in l. 5. Decret. tit. 21. n. 8. seqq.*

494. *Decl. 2. p.* Generatim et in communi **ludis et sponsionibus** aliquid deponitur vel promittitur ea lege, ut ei cedat, cui sors contingat. Principium est hos contractus emptioni et venditioni mutuae proxime accedere. Et merito: nam cum emptione venditione conveniunt *a*) in eo, quod emitur spes lucri cum damni periculo *cf. Lugo de Iust. disp. XXXI. 13. 38; b*) cuius emptionis venditionis *res* est alia, i. e. aliquid incertum ultro citroque: *pretium* id, quod deponitur. Inde sequitur non constare eiusmodi contractus: 1. si alter rem deponat aut non suam, aut quae alienari nequeat: quasi pretium desit et conditio, ut possit perdere: 2. si quo iure prohibeantur: 3. si ludus et sponsio fiat absque re et pretio i. e. si unus aut nullatenus obnoxius sit periculo damni, aut minus altero; quia non est *alea* aequalis seu res: 4. si alter fraudibus alterum vicerit, quia utrinque bona fide certandum. Notetur autem ob metum, dolum... minoribus, nuptis non restitutionem in integrum dari, ut in aliis contractibus, *sed repetitionem.*

495. *Decl. 3. p.* **Licitus** est ludus modo 1. *collusores ludant aequaliter* i. e. pari vel quasi pari virtute seu peritia, nisi certent in ludis publicis: quod si unus longe antecellat et *alter ignorat*: licet, modo probabile vere sit ab eo vinci; quod si non, vel *vix probabile* sit ab eo vinci: non licet; quia certare cum adversario id ignorante, *dolus est*: cum *sciente* non est alea, sed promissio ex parte alterius et quasi donatio; 2. *remotis fraudibus,* ut ex dictis patet: non vero calliditate et solertia. Porro calliditates sunt quae ex more regionis et natura ludi vulgo licite habentur ubi luditur, et quae tales non habentur, fraudes sunt.

496. *Decl. 4. p.* **Sponsiones licent** modo 1. eventus, in quem certatur, sit incertus utrique vel reipsa vel saltem opinione sua: 2. ut uterque aequali pignore certet, non absolute, sed pro eventus probabilitate. Quod si eventus, de quo spon-

sores certant, ab ipsis pendeat: tunc vel ab altero tantum, vel ab utroque pendet: si 1^m. ex parte illius, a quo pendet sponsio recidit in ludum et pignus in praemium: si 2^m. tunc recidit in ludum ex parte utriusque.

Denique advertatur graviter prohiberi sponsiones super electione Rom. Pontificis vel Card. S. R. E. *Gregorius XIV. Const. Cogit nos.*

Summarium — Adsecuratio 1) *i. e. « contractus, quo quis alienae rei, vel personae periculum suscepit »* **a) sua constat re et pretio: qui autem se habeat quoad** *b)* **tam res,** *c)* **quam personas, indicatur.** 2) **Species contractus adsecurationis est vitalitium** *i. e. « contractus de annua praestatione, pro sorte in perpetuum data, alicui ad vitam persolvenda »* **cui quid adserendum sit** α) **qua vel emptio venditio est aut** β) **contractus aleatorius, praesertim ubi sors in re soli consistat, breviter exhibetur:** γ) **tandem paucis innuitur esse irredemibilis, quandoque rescindibilis, et modus quo finitur.**

497. *Decl. 1. p.* **Assecuratio sua constat re et pretio.** Nam si adsecuratio gratis initur, est donatio: si vero dato aliquo vel promisso est quasi emptio et venditio. Ergo constat re et pretio. Res est *periculum quod* redimitur: unde opus est, ut extet periculum, quod redimi vult, et adsecurator locuples sit. Pretium vero, quod praemium vocant, est id quod datur vel promittitur ei, qui periculum in se suscipit: etiamsi semel detur seu praestatio sit annua vel menstrua; porro pretium debet esse iustum scilicet aequale periculo; quod pro valore rerum et gravitate periculi, taxat vel lex aut mores, aut arbitrium boni viri. Adsecuratio versari potest 1. circa res, quatenus ita inter nos convenit, ut si quod damnum in meis rebus contigerit, e. g. ob naufragia, incendia... a te promissore sarciatur, atque periculum, si res perierit, praestare debeas; *ex L. 3. C. de naut. foen.;* 2. circa personas, quibus *a)* cavetur de damnis, quae tibi vel alteri e. g. coniugi, liberis, contingere possunt ob mortem vel alium quemcumque casum, puta infirmitatem, adversam fortunam, senectam; vel *b)* cum iter agentibus praestatur transitus per loca e. g. latronum belluarumve periculis exposita.

498. *Decl. 2. p.* **Vitalitium** 1°.) qua emptio et venditio est, *a*) sua re et pretio constare debet; *res* (quae emitur) est ius exigendi praestationem annuam, *pretium* est *sors,* qua hoc ius emitur: *b*) stipulari autem potest tum sibi, tum alii in vivis agenti: *c*) aequalitas inter rem et pretium servetur: unde rite supputandum est, quamdiu possit superesse is, cui pensio praestanda est. Ut id autem rite supputetur, aetas emptoris et valitudo in primis consideranda sunt et bene agnoscantur, ita ut si emptor aegrotum vel seniorem se fingendo venditorem deceperit, contractus a venditore rescindi poterit. 2°. Vitalitium, qua contractus aleatorius, non in certum et definitum tempus, sed ad vitam seu stipulatoris, seu eius, aut tertii, cui stipulatur constitui debet. Scriptura vero opus est, si sors in re *soli,* non autem in re *mobili* consistat. 3°. Inito vitalitio debitor et praestare debet cautiones creditori, quas promisit, eique, ad cuius vitam constitutum fuit, possessiones subinde solvat. 4°. Census vitalitius est *irredimibilis* ex parte creditoris, si debitor fuerit in mora solvendi; ex parte debitoris si forte is, plus aequo eo onerari coeperit. Si debitor promissas cautiones creditori non praestiterit, vel si culpa sua diminutas eas non redintegraverit, vitalitius census rescindi potest, eoque rescisso repetitio *sortis* a debitore *integra,* pensionum a creditore nulla est facienda. 5°. Finitur autem *a*) *morte naturali* eius, ad cuius vitam dumtaxat fuerat constitutus: *b*) praescriptione 30. annorum.

TITULUS XXXIX.

DE QUASI CONTRACTIBUS.

Summarium. — Vero contractui accedit quasi contractus 1) *i. e.: factum honestum ex quo citra conventionem nascitur obligatio* – 2) **Quasi contractus varii censentur, nominatim gestio negotiorum, ad quae sicut suscipienda ita et gerenda conditiones innuuntur;** 3) **tutelae administratio;** 4) **communio rei;** 5) **aditio haereditatis;** 6) **solutio indebiti.**

499. *Decl. 1. p.* **Quasi contractus** *a*) dicitur *factum honestum,* quia si turpe est, ex delicto: *citra conventionem,* quia

si pactum vel tacitum intercessit, obligatio erit ex contractu. Iamvero supra egimus de contractibus, quae ex vero naturali consensu oriuntur; nunc de his, qui constant consensu a lege aequitatis causa ficto *cf. totus tit. Inst. de oblig. quae quasi ex contr. nasc.; b) advertatur* etiam quod in legibus municipalibus aut statutis disponitur, id et de quasi contractibus, si modo eadem ratio vigeat, intelligendum esse *cf. Nicol. Everhardus in topicis legalibus v. a contractibus ad quasi contractus.*

500. *Decl. 2. p.* **Negotiorum gestio** est *quasi contractus, quo quis alterius ignorantis negotium gerendum suscipit sciens prudens.* Ex quibus patet esse potius mandatum interpretativum, et insuper ad suscipiendum necessum esse 1°. ut ignorantis negotium gerat; quia si dominus scit, aut tacet et est mandatum proprie dictum, aut contradicit et gestio statim cessat; 2°. ut sciat se negotium alienum gerere; 3°. ut non sui lucri causa, sed favore Domini et quasi eius nomine negotium gerat. Susceptum autem gerere tenetur ut bonus paterfamilias et consummare, donec Dominus negotii aut illius haeres illud perficere possit, rationes Domino reddere debet. Quod si gestor sui causa, non Domini gessit, resarciri non debet, quod in rem suam versum est. E contra negotii Dominus tenetur res ab eo suo nomine gestas ratas habere, eumque tum liberare ab obligationibus, quas huius rei causa contraxit, tum indemnem praestare, si quid gestor impendit utiliter Domini causa.

501. *Decl. 3. p.* **Tutelae administratio** *a*) est quasi contractus, quo Tutor ad personam et consequenter ad res pupilli fideliter gerendas constitutus obligatur. Quae porro obligatio dici nequit descendere ex vero contractu, qui, cum nihil tractatum sit inter Tutorem et Pupillum, nullatenus intercessit, sed ob publicam utilitatem quidam ex utraque parte consensus fingitur intercessisse: *b*) parit autem actionem (in quam regulariter venit dolus, lata et levis, non autem levissima, culpa tutoris) *directam* pupillo, cui, finita demum tutela, competit contra tutorem, ut administrationis suae rationem reddat; et *contrariam* Tutori, cui competit in adultum iam pupillum de his quae propter tutelam absunt, modo ille ex officio sumptus fecerit vel sit obligatus. Utraque porro actio est perpetua, atque adeo datur haeredi in haeredes horumque

successores. Tutor tam salarium petere, quam lucrum facere ex tutela prohibetur.

502. *Decl. 4. p.* Tertius quasi contractus est **communio rerum**, *a*) qui non ex societate et mutuo consensu, sed ex legato, donatione, vel haereditate pluribus relicta enascitur, et obligat unum alteri sive iudicis officio, sive arbitro accepto, sive per sortem ad res communes dividendas, atque ad personales quasdam praestationes. *b*) Porro duplex haec distinguitur alia *communio familiae*: e. g. inter cohaeredes, ex qua *oritur actio Familiae erciscundae* ad res, quae a defuncto proficiscuntur, dividendas, et ad quasdam personales praestationes e. g. circa bona profectitia liberis praestanda, circa sumptus bona fide in rem haereditariam factos, circa damna ab uno haeredum in communi tolerata; alia *communio rerum singularium* inter eos, scilicet quibus quocumque modo res singulae communiter obvenere e. g. titulo legati, donationis, vel etiam casu. Cuius communionis obligatio duas continet causas rerum scilicet communium divisionem ac nonnullas personales praestationes. Iamvero vel res communis est facile capax divisionis, vel non: si 1^m. partes eius singulis adiudicandae sunt: si 2 . res tota uni adiudicanda, qui invicem alteri certam pecuniam aut aliud aequivalens praestabit. Praestationes autem personales consistunt in sumptibus ab uno factis, fructibus perceptis, damno culpa dato aut speciali inter socios conventione. Hinc oritur actio *communi dividundo* dicta, quae duplex est, *directa* si proprietas rei sit communis, est *utilis* si quod aliud ius commune fuerit e. g. ususfructus, pignus.....

503. *Decl. 5. p.* **Aditio haereditatis** est quasi contractus, quo haeres adiens haereditatem, ad praestanda legata quae a testatore sunt relicta, legatariis obligatur: non ex novo quasi contractu, sed ex antiquo quo defunctus, cuius personam haeres repraesentat, tenebatur.

504. *Decl. 6. p.* **Solutio indebiti** quod scilicet quis per errorem se debere existimans, uti debitum sui liberandi causa alteri solvit et tunc *ex aequitate et ex § 1. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.* fingitur solvens cum altero convenisse de re soluta, si indebita apparuerit, sibi restituenda. Ex qua notione patet 1) requiri ut sit *indebitum* quod scilicet nullo iure sive

naturali, sive positivo debetur: 2) quod ex errore facti solvatur, quia si sciens se non debere, solvit, donare censetur, atque impedit *repetitionem soluti* cuilibet, exceptis minoribus, foeminis, militibus et rusticis, in quibus praesumitur ignorantia iuris.

Porro ex hoc quasi contractu oritur actio, quae *condictio indebiti* audit, scilicet ad repetendum id, quod indebite per errorem solvit. Hac tamen actione repeti nequeunt legata, quae tamquam Ecclesiis aut aliis piis locis relicta exiguntur, quamvis postea constet ea relicta non esse. Nam fingitur haeres, transactionis ac pietatis causa solvere, quam ancipiti litis discrimini se committere velle, quia *L. 4. C. de Leg. Aquil.* § *sed furti 26. Inst. de act.* statutum est, ut haeres, qui rem Ecclesiis aut aliis causis piis legatam esse negat, in duplum condemnetur si legata convincatur: uti etiam actiones *ex L. Aquilia* ex inficiatione damni dati. Hinc ne lis inficiendo crescat, merito censetur quoad legata pia... haeres transigere.

TITULUS XL.

DE CONTRACTIBUS QUI DANT IUS IN RE ALIENA.

505. Praen. Hic titulus agit de pignoribus et aliis cautionibus, de servitutibus, de dominio utili etc. de quibus *cf. Comm. in tit. XXI. de pignoribus... et XX. de feudis...* Hi porro alia quaedam species contractuum sunt, qui nullum etsi dominium transferant, tribuunt tamen aliquod ius in re aliena ut tali. Et quoniam retento dominio proprietatis, illud ius in re aliena varium est prout variat obiectum, quod esse potest res mobilis vel immobilis, possessio ipsius rei traditur, vel res tantum obligatur, vel prout ius ea utendi fruendi et in perpetuum aut in tempus liberum permittitur.

Summarium — 1) **Cautionis,** 2) **pignoris et hypothecae breviter indicata notione et specie,** 3) **inquiritur quaenam res oppignorari possint vel non;** 4) **quinam possint pignus et hypothecas constituere:** 5) **quinam effectus et actiones pignora consequantur.**

506. *Decl. 1. p.* **Notio.** Cautio in genere est *securitas, quae alteri praestatur de solutione debiti* seu est satisfactio, per quam

adversarium securum reddimus. Haec autem: I. *ratione modi* quo praestatur, alia est *simplex*, quae sola promissione fiat; hinc et promissoria audit, alia *fideiussoria* cum constituuntur fideiussores, quae et satisdatio vocatur: alia pignoratitia, quae fit datis pignoribus, alia iuratoria, quae fit praestito iuramento. II. Ratione *causae efficientis* alia est conventionalis seu voluntaria, alia legalis vel necessaria.... III. Ratione *obiecti* alia dicitur *de usufructu*, de qua *c. ult. de Pignorib..*, alia appellatur legatorum, de qua *t. 3. l. 36. ff.*, alia tandem est de damno infecto, de qua *t. 2. l. 39. ff.*

507. *Decl. 2. p.* **Pignus** *obiective* sumptum, est ipsa res quae datur vel obligatur alteri pro securitate; *formaliter*, alii dicerent causaliter, est ipse actus seu contractus quo alteri constituitur in re aliqua ius eam sibi obligatam habendi pro securitate debiti., *L. 1. § 1. ff. de pign. act.*, qui contractus est bonae fidei et iuris gentium; *effective* est reale ius ex dicto contractu ortum creditori in re oppignorata. *Hypotheca* subin confunditur cum pignore, atque inter illud et hanc nominis tantum sonus differt *L. Res hypothecae ff. de Pign.* etsi presse sumpta hypotheca in eo soleat a pignore distingui, quod pignus exigat actualem traditionem rei oppignoratae, hypotheca autem perficitur nuda conventione et res solum obligatur creditori sine actuali traditione rei et translatione possessionis. Non est autem universale discrimen, quod pignus in mobilibus, hypotheca in immobilibus constituantur. Nam et mobilia hypothecari, et immobilia oppignorari possunt.

Distinguitur autem pignus (uti et hypotheca) praesertim *expressum*, quod constituitur vel expresso mutuo partium consensu, vel iussu testatoris, aut decreto iudicis immissionem in bona rei decernentis, de quo *t. de eo qui mittitur: tacitum*, quod ex dispositione legis favore certarum causarum et personarum est introductum absque ullo alio partium pacto vel contractu: sic Fiscus Principis habet hypothecam tacitam in bonis subditorum in ordine ad tributa: civitas in bonis administratoris: uxor in bonis mariti pro assecuranda dote et bonis paraphernalibus: pupilli et minores in bonis tutorum.... Hypotheca distinguitur etiam *generalis* et *specialis*, prout omnia bona, nullo excepto, vel genus quoddam bonorum e. g. omnium

mobilium aut immobilium, totus grex,... creditori obligantur; aut prout quaedam res in specie singularis et determinata praestètur.

508. *Decl. 3. p.* **Oppignorari quae possunt.** *Resp.* 1°) omnes et solae res, quae sunt in commercio humano et alienari non prohibitae sive mobiles sive immobiles, sive corporales sive incorporales *L. 18. § ult. ff. de Pignorat. et l. 9. § 1. ff. h. t.* Hinc 2°) non possunt, quia prohibita alienari *a*) liber homo *L. 12. C. de oblig. et act.; b*) iurisdictio spiritualis, aut iuspatronatus etiam, quia haec non continentur appellatione bonorum, nec pretio aestimabiles sunt fructus inde provenientes; *c*) vasa et supellex sacra; unde si quae datur ex his in casu necessitatis haec non oppignoratio, sed nuda rei detentio est; *d*) res feudales alteri praeterquam domino directo vel cum eius consensu; *e*) res pupillares, res litigiosae, fundi dotales, res fideicommisso subiectae. Heic Pichler ad quaest. *an Praelatus valide oppignoret vel hypothecet* res Ecclesiae mobiles pretiosas vel immobiles sine solemnitatibus *iuris;* respondet *affirmative,* si constituat pignus vel hypothecam generalem.

Notetur autem in pignore constituendo, quod etsi pactionem, condictionem, diem contractus hic recipiat; tamen 1) non licet pactum *antichreticum,* quo creditori conceditur ius re oppignorata utendi fruendi in vicem usurarum *c. 1. 2. et 6. de usur.* quia debitor manet dominus pignoris, et res fructificat Domino: exceptis casibus *capitis 6. de usur., c. 1. de feudis, c. 1. in fin. de usur.;* 2) neque licet *pactum commissorium,* quo convenit inter partes, ut si debitum certo tempore non sit solutum, nec pignus redemptum, totum hoc cedat creditori absque spe recuperationis: quia pignus ordinarie plus valet, quam ipsum debitum.

509. *Decl. 4. p.* **Quis constituet.** *Resp.* Pignus constituere possunt 1. *nomine proprio* quotquot habent rerum suarum administrationem, etiam foemina in debito et re propria *L. 18. § fin. de pign. act. et 12. h. t.;* 2. *nomine* alieno, qui vel a domino, vel a lege hanc facultatem acceperunt: speciatim tutores pupillorum et curatores minorum, servato modo a iure praescripto *L. 16. ff. de pign. act.* procuratores cum mandato generali vel speciali, sicut et negotiorum gestores. 3. Accipere

autem possunt pignus qui contrahere et contrahendo obligari valeant.

510. *Decl. 5. p.* **Effectus** pignoris et hypothecae I. pro creditore sunt ut hic consequatur 1. ius in re sibi oppignorata vel hypothecata, vi cuius illam actione reali persequi potest ad quemcumque devenerit possessorem per *remedia possessoria*, scilicet per *interdictum salvianum et ne vis fiat ei,* et per remedia petitoria. Porro illa dicitur actio *hypothecaria* orta ex iure in re creditori competens ad pignus repetendum, licet a debitore etiam auctoritate iudicis fuisset vendita; 2. ius retinendi pignus donec solvatur totum debitum et ex integro satisfiat *L. 9. § 3. ff. de Pign. act. L. 6. C. de distract. pign.* quia ius pignoris indivisum est pro toto debito; 3. ius praelationis in concursu creditorum pignus vel hypothecam non habentium; 4. ius distrahendi seu vendendi pignus alteri plus offerenti, ut ex pretio sibi satisfiat et residuum restituatur debitori *L. c. ff. et C. de distr. pign.,* modo tamen conventum fuerit ut, debito intra certum tempus non soluto, liceat pignus vendere; quod si non fuerit conventum de distractione pignoris, monendus est prius debitor *L. fin. § 1. C. de iure dominii.*

Sed *creditori* incumbit *obligatio* 1. rem oppignoratam exacta diligentia custodiendi, ita ut teneatur praestare culpam etiam levem, si per hanc pignus periit vel deterioratum sit; 2. abstinendi ab usu pignoris, nisi expresse vel tacite consentiat debitor; 3. restituendi pignus cum fructibus et meliorationibus vix ac fuerit debitum ex integro solutum; demptis tamen expensis in custodiendo vel meliorando pignore factis.

II. Praeter hypothecariam actionem, est *actio pignoratitia* et quidem *directa,* quae datur debitori, eiusque haeredibus ad repetendam a creditore rem oppignoratam cum tota causa, i. e. fructibus, post extinctum debitum: contraria autem datur creditori eiusque haeredibus ad praestandam sibi indemnitatem.

Summarium. — Servitutis I) in genere notio indicatur et divisio in personales et reales. Porro II) personales potiores i. e. ususfructus, usus et habitatio, quid iuris et oneris importent, et qui cessent, innuitur. III) De realibus autem inquiritur 1. quid, et quae praecipuae sint; 2. qui constituantur; 3. quemadmodum eis utendum sit, et 4. quomodo ipsae amittantur. IV) Tum qui intelligendae actiones confessoria et negatoria, quae occasione servitutis competunt, et V) tandem quid in specie de locorum sacrorum servitute tenendum sit, aperitur.

511. *Decl. 1. p.* **Notio - Divisio.** Servitus in genere est «*Ius in re aliena, quo Dominus aliquid pati vel non facere tenetur in suo, ad alterius personae vel praedii utilitatem*». Unde patet *a*) eam non esse dominii partem, sed *ius quoddam* quoad eum, cui debetur, et dicitur *activa* servitus; *onus* vero quoad rem, a qua debetur, et passiva vocatur; et in his res proprie est quae inservit, non persona: *b*) eam, *qua ius* est, consistere in eo, ut quis aliquid facere possit in alieno, aut vetare ne dominus faciat in suo: qua *onus* consistere in eo, ut dominus aliquid pati, aut non facere teneatur in suo: *c*) cum omnis res aut personae seu homini, qua homini serviat, aut rei; servitutes distingui personales et reales aut praediales: *d*) constitui et acquiri posse nonnisi in re aliena vel saltem communi, non vero in propria, quia dominus re sua utitur iure proprietatis non servitutis: *e*) eam tandem numquam praesumi, et, si aperta, est strictae interpretationis, quia iura dominii coercet.

512. *Decl. 2. p.* **Servitus personalis,** qua scilicet res personae servit, est praecipue *ususfructus, usus* et *habitatio,* quae actibus seu ultimae voluntatis seu inter vivos constituuntur, nec non praescriptione ordinaria vel extraordinaria acquiruntur, quaeque omnes sine persona physica vel morali intelligi nequeunt. Porro 1°.) *ususfructus a*) est *ius alienis rebus utendi fruendi prout ipse dominus frueretur, salva earum substantia et forma. b*) *Iura,* nisi eorum voluntas aliud constituerit, sunt I. quod dempto iure disponendi, plene gaudet iure utendi fruendique ut dominus: hinc re fructuaria; II. Statim tradita et accepta, est fructuario ius omnes fructus pendentes et ob-

ventiones suas faciendi; et III. res fructuarias administrandi velut procurator in rem suam: atque IV. adeo etiam dominum prohibere potest ne quid faciat in re fructuaria. *c*) Ad *onera* quod attinet, fructuarius, antequam rei fruitionem ineat, immobilium statum, mobilium vero inventarium suis impensis conficiat, cautionemque praestet, nisi qui usumfructum constituit haec omnia ei remiserit. Usufructu constituto, debet uti re fructuaria *a*) *salva eius* substantia, unde formam, domino rationabiliter invito, nec in melius mutare potest; *b*) more boni patrisfamilias, ideoque sarctam tectam servare uti accepit, ordinariis refectionibus exceptis; *c*) eiusque custodiam praestare, ita ut, si quid advertat nocere proprietario, hunc mature moneat; *d*) vectigalia et onera agnoscere; quae fructibus adhaereant, item stipendia, salaria, alimenta ab ea relicta *c. Ital. 509; e*) litis expensae ad proprietatem, dominum, ad fructus tuendos factae, fructuarium onerant. *f*) Tandem *extinguitur* I. morte fructuarii: II. extante die vel conditione sub qua constitutus fuerat: III. interitu totius rei vel rei principalis, nec reviviscit, ea postea constituta: IV. consolidatione: V. praescriptione vel usucapione.

2°.) *Usus a*) *est ius utendi rebus alienis ad necessitatem,* salva *earum substantia* (Hein. Inst. 425). Habitatio est *usus aedium c. Ital. ex art. 524. b*) Usuarii autem *iura* sunt commoditatem ex re, non fructus, praeter quam praediorum, percipere, pro sua conditione et dignitate, sed nequit usuarius locare, vendere, gratis concedere ius quod habet: *c*) onera item et vectigalia omnia agnoscere debet, si usuarius omnes rei fructus percipit: secus pro rata: *d*) amittitur usus iisdem modis, quibus ususfructus.

513. *Decl. 3. p.* **Servitus realis** est *ius in praedio alieno ad utilitatem alterius praedii:* unde patet *requiri* 1. duo praedia, quorum alterum utilitatem praestet, alterum capiat: 2. proin ut sit ius non hominis, sed praedii dominantis, et *onus* praedii servientis; 3. quod debetur toti fundo. I. Porro *a*) servitutes reales, quatenus *ius; sunt urbanae* vel *rusticae,* prout praedium dominans est urbanum vel rusticum: *urbanae* e. g. stillicidii, prospectus, tigni immittendi, vel proiiciendi, oneris ferendi, altius non tollendi... *rusticae,* e. g. itineris, aquae haustus,

aquaeductus, pascendi, caedendi ligna, cretae eximendae: *b*) quatenus *onus;* si in patiendo consistunt, *affirmativae* e. g. stillicidii, itineris; si in non faciendo, *negativae* dicuntur, e. g. altius non tollendi: *c*) ex modo, quo exercetur, alia est *continua*, quae absque facto nostro exerceri potest e. g. servitus, prospectus, stillicidii... alia discontinua, ut servitus pascendi, itineris.... *d*) moderni distinguunt *apparentes,* quae signo aliquo apparent *exterius*, e. g. servitus stillicidii, luminum... et *non apparentes,* quae hoc signo carent, e. g. servitus altius non tollendi.

II. Ad quaest. *qui constituantur. Resp.* 1. *Hominis voluntate,* ita tamen ut 1°) adsit causa sive utilitas praedii dominantis; 2°) *ex iusto titulo* constituantur actu, scilicet sive ultimae voluntatis sive inter vivos, sub conditione, ex die in diem, et quidem ut nemo acquirere, nisi suo praedio, neque concedere, nisi in suo: 3°) ex destinatione patrisfamilias apparentes tantum et simul continuae. *Resp.* 2. acquiruntur una praescriptione 30. ann. sed solum apparentes et continuae: *Resp.* 3. *lege,* uti patet.

III. Ad *modum* quo utendum sit servitute: *a*) generatim, cui servitus competit ea quoque competunt, sine quibus illa conservari, aut exerceri nequit: tum *b*) uti debet ea, quatenus opus est fundo dominanti, non pro alio, et quidem iuxta concessionis modum cum minori, quod fieri potest fundi servientis detrimento: *c*) si tamen servitus noceat naturaliter fundo servienti, is pati debet: qui autem servitutem debet, nil efficiat quod usum servitutis impediat, minuat, deteriorem faciat; *d*) si quid porro opus sit reficere, ne servitus intereat, neuter cogi potest, non praedium dominans, quod potest renuntiare iuri suo; non praedium serviens, quia huius onus est in patiendo vel in non faciendo.

IV. *Amittuntur* tandem servitutes reales: 1°. renunciatione, resoluto iure imponentis, extante die, vel conditione, sub qua fuerint constitutae, confusione scilicet cum idem utriusque praedii dominus evaserit; 2°. praescriptione 30. annor.; 3°. si res ad eum statum devenerit, ut nullus amplius sit servitutis usus; atque adeo interitu praedii alterutrius; 4°. *non utendo* servitute rustica per 10. annos.

514. *Decl. 4. p.* Occasione servitutis competit **actio confessoria** ei, qui servitutem praetendat, et cui servitutem vindicanti, probatio praetensi iuris et turbationis a reo factae, incumbit; ei, autem qui negat alteri servitutem et asserit libertatem praedii, competit **actio negatoria**, quae onus servitutem probandi in adversarium reiicit, modo constet de dominio praedii, quod liberum esse praetendit. Hinc si quis constitutus sit in quasi possessione servitutis, habet quidem praesumptionem pro se, haec tamen eliditur alia fortiori scilicet praesumptione libertatis: unde qui servitutem praetendens in possessorio victricem tulerit sententiam, urgeri potest ad probandam servitutem ob contrariam et fortiorem libertatis praesumptionem. Hae porro actiones confessoriae et negatoriae, *(ait Zech heic)* omnibus iuribus e. g. Decimis in alieno asserendis aut avertendis applicantur. Tenetur enim illud commune fundamentum, quod fundans se in libertate naturali, contra impedientem negatoria experiatur: fundans autem se in privilegio vel iure singulari atque inde independenti iure prohibendi confessoria experiri debet, ut suum ius praetensum doceat.

515. *Decl. 5. p.* Etsi 1°. praedia rustica Ecclesiarum non tantum ius suum in praedia vicina exercere, sed etiam pati servitutes possint, si illa transeunt ad Ecclesiam cum omnibus oneribus suis: tamen 2°. *nullis locis sacris* servitutem imponi permittunt vel romanae leges « quia *id quod humani iuris esse desiit,* servitutem non recipit » *L. 4. ff. Comm. praed.* Hinc *a*) nullatenus sustinendum, ut transitus per templa pateat omnibus, aquam aut alia onera portantibus: *b*) neque imponi potest templo servitus oneris ferendi e. g. habitare laicos super sacella et altaria, ubi sacra officia celebrantur; magnam enim redolet indecentiam. Nonnumquam servitus quaedam permittitur e. g. servitus fenestrae principi aut Ecclesiae patrono concessae, alicui Ecclesiae imposita; quae contigua est laicis aedibus ut ex conclavi ipsorum per fenestram in muro templi apertam audire conciones vel sacerdotem celebrantem videre liceat *cf. Card. De Luca tom. 3. tract. de servit. disc. 17. n. 4.* Qua in re et ceteris eiusmodi audiri debent omnes, quorum consensus necessarius est, cum de alienandis rebus ec-

clesiasticis agatur: quia species alienationis est impositio servitutis: 3°. *Ad domus religiosas* quod attinet: constitutiones R. P. servitutem imponunt atque inter diversa monasteria concedunt novi operis nuntiationem, ex qua unum monasterium tolerare non tenetur aedificationem alterius intra certum passuum numerum. Hanc N. O. N. a fortiori tribuit Card. de Luca (*l. c. dis. 1. n. 18. et disc. 20. 21.*) monasteriis tam virorum, quam monialium, ne ex laicorum aedificiis recens extruendis prospectus pateat in hortos vel cubicula religiosorum, in primis monialium, ne ipsae aspiciant vel aspiciantur.

Summarium. — Praecipua dominii utilis species erat Feudum, de quo breviter pro historia inquiritur 1. quid et quotuplex sit. 2. Quae res, a quo concedi et recipi in Feudum possit. 3. Quibus modis Feudum acquiratur. 4. Quae inde obligatio et actio consequatur. 5. Quomodo Feudum amittatur.

516. *Decl. 1. p.* **Notio – species**: cum feuda cessarunt, nos pro historia ad tempus referimus, quo vigebant. *Dominium utile* illud, in quo ius utendi fruendi prorsus liberum: proprietas vero restricta est aliquo modo ad alium; *species* dominii utilis plures e. g. *emphytheusis,* de qua supra, contractus *libellarius*, quo praedium conceditur certo pretio et pensione in annos singulos constituta, ea lege, ut conditio tempore rursus numerato certo vel arbitrario pretio contractus renovetur; est etiam species, quae *superficies audit* quando scilicet quis solum non habet, sed *superficiem* dumtaxat vel arcam ad domum construendam, olivetum plantandum... et etiam quando aedes donantur aut venduntur eo pacto; ut dominium in solo retineat donator, venditor. Sed praecipua species est *Feudum,* quod *obiective* est ipsa res in Feudum concessa seu bonum feudale cui opponitur *Allodium* i. e. fundus proprius ad possessorem pleno iure pertinens, a nemine nisi a solo Deo recognoscendus. Fundus in dubio praesumitur allodialis non feudalis. Feudum sumptum *effective* est ius, quod ex concessione feudi tam Domino directo a quo conceditur, quam vassallo seu feudatario, a quo accipitur circa rem feudalem resultat et dicitur ius feudale. Sed formaliter Feudum est contractus con-

sensualis bonae fidei, quo alicui *conceditur res immobilis aut immobili aequivalens cum translatione dominii utilis et sub onere fidelitatis et exhibitionis obsequii et servitii personalis.* Hinc *a*) patet differri ab *emphytheusi*, in qua non fidelitas aut servitia personalia, sed canon annuus promittitur, a *locatione*, in qua non dominium utile, sed solum usus rei conceditur; ab usufructu formali, in quo non dominium utile, sed ius reale utendi fruendi alienis rebus tribuitur. *b*) Patent essentialia i. e. 1. mutua consensio: 2. translatio dominii utilis: 3. rei immobilis, vel huic aequivalens: 4. retento dominio directo: 5. promissa fidelitate ex parte accipientis.

Porro Feudum distinguitur proprium sive rectum et improprium. *Proprium* 1°. *ratione personae concedentis* vel est nobile, seu regale, quod scilicet auctoritate summi Principis cum dignitate regali, et non regale, quod scilicet cum dignitate, quae regali inferior est, conceditur: 2°. *ratione effectus* distinguitur in *haereditarium vel non; 2. Feud. 10. et 50. prin.;* 3°. *ratione accipientis in novum et antiquum;* 4°. *ratione formae* in ligium et non ligium. 5°. *ratione materiae* in ecclesiasticum et saeculare. Species autem improprii sunt feudum foemineum, francum, de camera. Hinc seq.

517. *Decl. 2. p.* 1°. **quae res in feudum concedi** possit *a*) res scilicet immobilis natura vel iure *2. feud. 1. in fin.; b*) non modo res *allodialis* sed et feudalis subin feudari potest. Attamen prohibetur dari in feudum I°. res aliena; II°. neque dari possunt bona Ecclesiae temporalia nisi debitae solemnitates interveniant *1. feud. 6,* aut nisi dari in feudum soleant *c. fin. h. t. et 1. feud. 11.;* III°. et a fortiori dari nequeunt res sacrae, aut spirituales a quocumque humano commercio exemptae.

2°. *A quo concedi in feudum* res possit? *Resp.* a Domino habente liberam suarum rerum administrationem, Clerici de patrimonialibus, mas et foemina, privati et plebei, filiusfam. de castrensibus et quasi castrensibus.

3°. *A quo recipi potest? Resp.* Recipere feudum potest omnis non prohibitus: unde potest Clericus saec., Religiosus sive ante sive post professionem feudum ad ipsum devolvatur, modo non exigat incompatibile servitium etc.

518. *Decl. 3. p.* **Acquiritur feudum** 1) ex pacto cum investitura scilicet contractu feudali, quo Dominus alicui se obligat ad rem suam iure feudi illi concedendam, sive dein id fiat gratis, sive pro pecunia: feudatarius vero ad fidelitatem et servitia; cum *investitura* scilicet traditione sequuta; 2) praescriptione, de qua suo loco; 3) successione, quae quoad feudum regulariter non datur ex testamento vel legato, nisi sit simpliciter haereditarium.

519. *Decl. 4. p.* Ex dictis sequitur I. **obligatio**, qua tenetur *a*) Dominus directus 1. vassallo, praestito fidelitatis iuramento feudum tradere, eumque in vacuam possessionem mittere, concesso dominio utili; 2. praestare evictionem, si rem alienam feudatario id ignoranti, tradidit; 3. huic vicissim servare fidelitatem i. e. cavere ne ipsi, vel eius rebus aut familiae vis inferatur aut periculum struatur; 4. praestare culpam etiam levem, qua illi nocuit *2. Feud. 6. 7. 25. et ex L. 5. § 2. ff. commod. b*) Feudatarius autem 1. Domino promittere etiam cum iuramento si ille exigat, fidelitatem eo tendentem, ut avertat damna in vita, honore et bonis Domino aut huic proxime coniunctis impendentia, eumque consilio et auxilio adiuvet, defendat, secreta non propalet, nihil contra machinetur: 2. praestare servitia iuxta tenorem conventionis et consuetudinem: 3. Dominum uti superiorem agnoscere et coram ipso ceu Iudice in causa feudali respondere: 4. re feudali uti et frui iuxta inita pacta, et prout decet diligentem patremfamilias, hinc damna compensare, quae etiam ei levi culpa sint illata: 5. non alienare feudum irrequisito domino.

II. *Actio feudalis* utrinque oritur, quia est contractus bilateralis atque adeo bonae fidei, tam domino adversus feudatarium, ut praestet ea, quae tenetur, quam feudatario adversus dominum, ut hic suas impleat obligationes. Haec autem actio est personalis, rei persecutoria, utrinque transiens ad haeredes. Competunt etiam interdicta possessoria, et Feudatario rei vindicatio *utilis*, Domino autem *directa* contra quoslibet, prout est de emphyteusi.

520. *Decl. et prob. 5. p.* **Amittitur Feudum** 1. ex *parte rei feudalis* totaliter interitu totali rei, partialiter partiali; 2. ex parte Domini directi, si vel hic decedat sine haerede, vel de-

linquat in Feudatarium delicto tali, quod, si Feudatarius in Dominum committeret, privaretur feudo 2. *Feud. 6. 26. 27. etc.;* 3. ex parte feudatarii, si vel directe in dominum peccet, *Cf. l. Feud.* haec delicta propter quae amittatur feudum; culpa autem haec in dominum feudi dicitur *felloniae*, propter quam feudum dicitur *committi* aut *caducum fieri.*

CAPUT III.

DE ACTIBUS MORTIS CAUSA.

TITULUS XLI.

DE TESTAMENTIS ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

Summarium — Testamenti 1) definitione ac divisione prolatis, 2) recensentur substantialia et solemnia; 3) tum quinam testamentum facere seu instituere haeredem, 4) et quinam testamento capere seu haeredes institui vel substitui; 5) tandem quae testamento relinqui et capi possint.

521. *Decl. 1. p.* Breviter attingimus nunc modos, quibus mortis causa aliquid acquiritur Ecclesiae vel a Clericis ad alios transfertur, de quibus Decretal. *l. 3. tit. XXVI. De Testam. et ultimis voluntatibus.* Ultima voluntas in genere est *gratuita dispositio de bonis in tempus mortis seu post mortem:* quae voluntas cum firmetur, et vim suam obtineat post mortem, qua potestas eam mutandi aufertur, dicitur ultima: « *ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitae supremum exitum* ». Ultimae voluntatis actus sunt testamentum, substitutio directa et indirecta, codicillus, lẽgatum, dònatio mortis causa.

Testamentum est « *voluntatis nostrae iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit* » *L. 1. Qui test. fac. pos.; sententia,* i. e. propositum exterius expressum; *iusta,* i. e. ex iure quoad substantialia et solemnia: sed haec definitio ut distinguat testam. (quod nullum est si haeredem non habet directe institutum *L. 3. ff. de his quae in test. debentur*, § *2. Inst. de fideicom. haered.*) ab aliis actibus ultimae voluntatis vertitur in seq. Testamentum est « *ultima voluntas directam haeredis insti-*

tutionem continens » ubi *institutio* haeredis est subrogatio haeredis in universum ius, quod tempore mortis habuit testator: *directa,* i. e. si haeres sit ita institutus, ut haereditatem immediate ab ipso testatore consequatur sine interventu et ministerio alterius ius suum transmittentis.

Testamentum dividitur I. in *solemne* et *privilegiatum,* illud est, in quo omnes iuris solemnitates servatae sunt; hoc vero est, in quo ex privilegio quaedam iuris solemnitates omissae: cuiusmodi sunt 1. Testamentum pium, seu ad pias causas; 2. Testamentum inter. liberos factum a parentibus; 3. Testamentum militis in expeditione bellica; 4. Testamentum Rustici; 5. Testamentum tempore pestis; 6. Testamentum *publicum,* quod sc. fit coram Principe vel eius deputato, aut eidem offertur; 7. Testamentum iudiciale. II. In *perfectum,* quod validum est etiam iure civili, et in *imperfectum,* quod iuris civilis adsistentiam non habet; III. in testamentum ad causam profanam et in testamentum ad causam piam. Testamentum ad causam piam illud tantum, in quo causa pia haeres instituta est, sive testator sit clericus, sive laicus; nec sufficit, ut sit tantum legatum ad causas pias. Factum porro dicitur ad causam piam testamentum, in quo relinquitur haereditas intuitu Dei ad cultum divinum vel ad alia opera misericordiae ob animae bonum: e. g. relicta Ecclesiae, monasterio, seminario, religioso conservatorio puellarum.

522. *Decl. 2. p.* Ex dictis **substantialia** omnium Testamentorum sunt 1. ut testator haeredem vel legatarium ipsemet, nec 2. prorsus incertum 3. testamento in ipso designet *L. 32. 68. ff. de haer. inst.* **Solemnia** autem variant, prout Testamenta ordinaria sunt vel specialia, ordinaria vero prout publica vel secreta; specialia seu privilegiata, quae fiunt tempore pestis, vel in mari, aut in bello; quorum omnium communia solemnia sunt 1°. ut testamentum in scriptis fiat: sine scriptis in foro exteriori nullum, ex *C. Gall. a. 969. et Ital. 774.* secus ac *C. Austr.* et ius com. quae et *nuncupativa* testam. recipiunt: 2°. ut scripturae dies apponatur: 3°. si plures testamentum facere velint, ut singula seorsim fiant, diversis tabulis seu pagellis, saltem diversis eiusdem pagellae partibus: secus irrita *C. Ital. 761. Gal. 986. Aust. 583.* Insuper 4°. te-

stamenta ordinaria egent notario et regulariter quatuor testibus: exceptis olographis.

Olographa etsi nulla egeant solemnitate proprie dicta, tamen oportet ut testator 1°. testamentum sua manu perscripserit totum 2°. adscripta die, expressis mense et anno: 3°. ut illud *post hae: omnia subscripserit,* appositis nomine et cognomine.

In Ditione Pontificia, et tum in aliis regionibus, mos invaluerat condendi testamentum coram parocho et duobus testibus quoad causas tam pias, quam profanas; et Alex. III. *c. Cum esses 10. de Testam.* firma esse decrevit Testamenta ad causas profanas: et deinde *c. Relatum eod.* idem servandum iubet speciatim *super relictis* Ecclesiae. Dixi, et *tum in aliis regionibus,* quia, *(ut testatur Vinn. ad Inst. in § 4. n. 3. de Testam. Ordin. et QQ. II. 2.)* iam inde, posthabito iure communi, ceu tunc moris erat, testamenta huiusmodi rata habita sunt fere ubique locorum. At nunc, quamvis iuridico valore in foro civili destituta habeantur eiusmodi testamenta ad *causas profanas,* tamen testamenta *ad causas pias* semper valida esse *debent* etiam nunc in utroque foro civili et canonico; quia etiam nunc regula communis esse debet « *in iis, quae spectant ad spiritualia aut ad animarum bonum in utroque foro servandum esse ius canonicum* ». Certe eiusmodi testamenta ad causas pias valent pro foro Ecclesiae tam interno quam externo: quidquid adversentur leges civiles, quae efficere numquam poterunt, quominus in foro Ecclesiae eiusmodi testamenta sint privilegiata. Quod autem hoc privilegium in testamentis ad causas pias non agnoscant societates civiles, id apostasiae et rebellioni vel ex toto vel ex parte erga Christi Ecclesiam debetur.

523. *Decl. 3. p.* Activam Testamenti factionem habent, seu **instituere possunt**, qui facultate gaudent de rebus suis disponendi, nisi a iure prohibeantur. Prohibentur autem *Iure naturali* infans, amens, ebrius. *Iure civili* surdus et mutus simul a nativitate § *3. Inst.;* prodigus, cui a iudice bonorum administratio sit interdicta.... *A Iure autem can.* prohibentur etiam ad pias causas testari 1°. *ob delictum,* usurarii manifesti excommunicati propter haeresim, et percussores Cardinalium

S. R. E. quia de eo disponerent, quod fisco aut Ecclesiae restituendum est: 2°. *ob patriam potestatem* filiifamilias absque consensu patris de bonis, in quibus patri competit proprietas vel ususfructus, e. g. bona profectitia: testarentur enim de alienis vel in praeiudicium alicuius, *c. 5. de Test. et c. 4. de sepul. in 6;* 3°. *ob statum monachalem* Religiosi professi etiam Praelati et Abbatissae, quia nil proprium habent, etsi habitum et religionem dimiserint.

524. *Decl. 4. p.* **Qui haeredes institui possint?** *Testamentum capere possunt seu passivam testamenti factionem habent* omnes; etiam personae morales modo iure coierint, imo etsi nondum coierint, si relictum sit *cum iure coierint;* exceptis semper 1°. incapacibus et indignis. Incapax dicitur, qui non extat eo temporis momento, quo defertur haereditas, sive nondum conceptus sive iam mortuus fuerit: indignus, qui defunctum affecit aliqua iniuria atroci, nisi forte iniuriam passus in ius successionis eum restituit verbis expressis publico aliquo instrumento, saltem tabulis testamentariis: incapax prohibetur cuiusvis haereditate et quidem ipso iure, indignus eius tantum, cui fecit iniuriam; privatur autem officio iudicis, quia est poena. 2°. His accensendi videntur capitis damnati, vel in opus publicum perpetuo dati. 3°. Insuper non omnes ab omnibus capere possunt. A testatore ex *Cod. Ital. Gall.* nil capere possunt: I. Tutores eius ante redditas et comprobatas ultimas rationes administratae tutelae, exceptis adscendentibus, descendentibus, fratribus, coniuge: II. qui testamento testis interfuit vel testamentum scripsit, ni forte secretum fuerit, et testator manu sua vel oretenus coram notario et testibus, cum obsignatur, comprobavit quod illi reliquit: III. filii illegitimi a patre vel matre *naturales* praeter legitimam, spurii praeter alimenta: IV. Coniugi binubo non licet plus coniugi relinquere, quam ex priori matrimonio procreatis liberis, queis minus reliquit.

Porro ei, qui nullos successores necessarios habet, integrum est omnia prorsus bona sua, cui malit, liberaliter dare actibus tam inter vivos, quam ultimae voluntatis. At si necessarios habet, legitima his relinquenda. Necessarii porro sunt seu institui debent I. omnes liberi (his praemortuis, nepotes)

sive moriente patre sub eius potestate constituti sive emancipati; II. adscendentes; III. filii illegitimi. *Legitima* vero est portio portionis ab intestato debitae, sc. ex lege relinquenda sine ullo prorsus onere seu gravamine, vel die, vel conditione, vel modo: *ab intestato*, i. e. eius partis, quae haeredi necessario obtigisset ab intestato. Et quidem filiis etiam adoptivis semis, adscendentibus (illis deficientibus) triens; illegitimis (rite agnitis) si extant liberi, vel adscendentes, dimidium, secus duae eius partis, quae legitimis computatis, sibi legitimis obtigisset *c. Ital. a. 807. 816. Iure communi Quatuor aut infra dant natis* (legitimis) *iura trientem. Sed quinque aut supra dant natis iura semissem. Novel. 118.*

Fieri potest ut haeredis institutioni addatur *substitutio, quae dicitur secundi vel ulterioris haeredis institutio:* si substitutus vocatur in locum primi deficientis substitutio vulgaris seu directa est, v. g. Titius haeres esto, et si Titius haeres non erit, Caius haeres esto. Si post primum *vocatur,* dicitur fideicommissaria, *obliqua, indirecta: e. g. Titius haeres esto eique post mortem suam Caium substituo.* Illa alterutrum dicit haeredem, haec utrumque: usu autem iuris substitutio simpliciter dicta intelligitur vulgaris, quae in dubiis praesumitur. Et cum utraque sit vera institutio, patet eos tantum substituere aut substitui posse, quos vidimus posse instituere vel institui haeredes, ita ut substitutus succedat in omne ius omnesque obligationes instituti, nisi aliud testator iusserit. Hinc vulgaris substitutio est secundi vel ulterioris haeredis institutio in locum primi deficientis; si sc. primus aut noluerit aut non potuerit haeres esse.

525. *Decl. 5. p.* De bonis **quae testamento capi possint** breve est dicere 1. Non teneri testatorem instituere haeredem omnium prorsus bonorum suorum. 2. Haec porro sint bona testatoris et quae ab hoc possunt alienari: unde in re aliena nemo potest institui...

Summarium. — **Ut testamentum suum producat effectum, I) oportet infirmatum non fuerit 1. mutatione voluntatis 2. agnatione posthumi, 3. deficientibus his, quibus testamentum relictum fuerit. Cum autem testamentum perfectum, iustum, nec infirmatum esse constat, II) servandum est, nec ordinario et regulariter mutari potest, nisi a Summi Principis auctoritate. III) Ne defuncti autem voluntas intereat, datum est cuique relinquere executores testamentarios; porro hic solum exhibetur quinam et quomodo esse possint executores testamentarii.**

526. *Decl. 1. p.* **Infirmari testamentum** potest 1°. mutatione voluntatis, quae ambulatoria semper usque ad vitae extremum, si revocet testamentum expresse vel tacite, etsi iuratus promiserit se non mutaturum. Porro *expresse* non revocatur, nisi alio testamento iure facto, aut instrumento coram notario et quatuor idoneis testibus, nec per procuratorem confecto, idque libere nec metu coactus, nec errore inductus. *Tacite* revocat, olographum consulto delens, secretum a notario avocans, novum priori contrarium rite condens. 2°. Infirmatur seu *rumpitur* testamentum *agnatione posthumi*, sc. si testatori, cui tempore, quo condebatur testamentum liberi non erant, nascantur liberi (licet tunc iam forte concepti) seu filii seu nepotes; vel si prius natum, imo et agnitum legitimet vel adoptet *(L. 8. de iniust. rupt. ff.)*. Idem valet si ignorabat sibi liberos esse tum, cum conderet testamentum; 3°. denique infirmatur seu *caducum* fit testamentum vel testamento relictum, si defecerit is, cui aliquid relictum est, i. e. si ea repudiaverit, vel non potuerit acceptare, quia vivo adhuc testatore vel pendente conditione, ipse decessit, aut quia postea indignus factus est. *L. 6. § pen. ff. eod.*

527. *Decl. 2. p.* **servandum testamentum**. Voluntates testatorum instar legum sunt, queis derogare soli Principi licet *L. 5. ff. de administ. rer. ad civit.* Hinc mirum non est si ipsae leges tuendas suscipiunt ultimas voluntates, *quia publice* expedit suprema hominum iudicia exitum habere *L. 5. ff. Quemad. testam. aper.* Unde commutari nequit, nec in melius, nisi ex causa iusta et necessaria; et quidem in causis profanis ab eo,

qui Reipublicae praeest; in causis piis a Rom. Pontifice et ab Ordinariis tamquam Sedis Apost. delegatis. *De Luca ad Conc. Trid. disc. 21.*

528. *Decl. 3. p.* **Executor testamentarius** is est, cui voluntas defuncti exequenda committitur. Executores alii Testamentarii, quia a testatore, alii legitimi quia a lege, alii dativi, quia a magistratu constituuntur. Possunt esse executores tam mares quam foeminae, laici et Clerici, imo et Religiosi cum licentia superioris: modo hi omnes excesserint 17. aet. annum. Horum officium in mandatum recidit, quod nemo suscipere cogitur. Si quis autem hoc munus suscepit, tenetur: 1°. iustam defuncti voluntatem tueri: 2°. curare ut legata impleantur. Hinc *a*) mobilia obsignanda curabit: *b*) inventarium conficere, *c*) rerum mobilium administratione defungi potest, si eam testator ipsi permiserit. Executores quoad testamentum et legata ad pias causas iure can. subsunt locorum Ordinariis, qui substituere executori testamentario legitimo vel dativo alium non possunt, nisi illi non acceptanti vel ex iusta causa renuncianti aut remoto. Porro munus Executoris finitur, eo impleto vel dimisso, vel dempto ex iusta causa, vel morte. Si executor susceptum officium suum toto anno (a monitione eius computando) neglexerit, illud ad Ordinarium devolvitur.

Summarium — Alii ultimae vol. actus praecipui sunt 1) Codicillus, 2) Fideicommissum, 3) legatum, 4) donatio mortis causa: quorum breviter indicanda sunt notio, requisita, et quid, a quo, quibus per eosdem actus relinqui possit.

529. *Decl. 1. p.* **Codicillus** I. est *ultima vol. minus solemnis defuncti de eo, quod is post mortem de rebus suis fieri vult absque directa haeredis institutione;* quibus ultimis verbis praesertim a Testamento differt. II. *Requisita* porro sunt 1. praesentia quinque testium, qui etiam foeminae esse possunt *L. 20. § 6. ff. qui test. fac poss.;* 2. unitas actus; 3. subscriptio testium, si Codicillus scriptus sit *L. fin. § fin. C. de Codicil.* III. *Modus* autem, quo fieri potest, est vel scripto vel voce *L. fin. c.* ante aut post conditum testamentum; si ante, et per

subsequens testamentum Codicillus confirmabitur aut revocabitur; si post, serviet ad explicandum, addendum, supplendum, qui modus dicitur *testato:* vel *intestato* fieri potest iuxta § *1. Inst. de Codicil. cf. L. 20.* § *1. ff. qui test. facere poss.* ubi Codicillus fit subsidiarie, adiecta testamento codicillari clausula.

530. *Decl. 2. p.* **Fideicommissum** est *Relictum alicui ea lege, ut alteri restituatur.* Is, cui relinquitur, *gravatus* seu *haeres fiduciarius;* is cui restituendum est, *haeres fideicommissarius* dici solet. Fideicommissum *universale* est vel particulare prout tota haereditas vel certa eius quota restituenda est: *particulare* prout exequatur legatis. Porro ex S. C. Trebelliano haeres fiduciarius fideicommissario sive haeredi per fideicommissum universale substituto non tenetur restituere omnia, sed potest sibi detrahere quartam partem bonorum testatoris, quae tempore restitutionis faciendae, deductis expensis funeris et aere alieno, residua sunt § *5. Inst. de fideicom. haered.* quam quartam Trebellian. etiam una cum legitima deducere potest haeres necessarius fideicommisso universali gravatus *c. Raynutius 16. et Raynald. 18. h. t.* Sed per modernas leges civiles fideicommissa, quae extabant eversa sunt, tum vetita.

531. *Decl. 3. p.* **Legatum** I. est *ultima voluntas quam defunctus rem singularem alicui liberaliter relinquit ab haerede praestandam,* sc. quoad possessionem, quam propria auctoritate legatarius sub poena amissionis legati capere nequit. II. Legatum uti testamentum, *diducitur* in *profanum* et *pium;* illud est quod laico vel clerico tamquam laico vel personae morali ex causa profana relinquitur; hoc est quod relinquitur clerico uti Ecclesiae ministro, vel ipsi Ecclesiae aut causae piae, ad cuius valorem nulla requiritur solemnitas, sed sufficit ut de voluntate testatoris quocumque modo constet. III. Unde sequitur validum esse legatum pium 1°. quod factum fuit coram parocho et duobus testibus vel saltem duobus testibus; 2°. quod factum fuit nudis verbis, modo sufficienter constet de testatoris voluntate; 3°. quod factum fuit in testamento profano etiam invalido ob defectum solemnitatum iuris civilis, modo adsint requisita ex iure naturae et gentium; 4°. quod factum fuit in testamento cuius haeres noluerit aut non potuerit haereditatem adire, ideo quia legatum pium etiam abs-

que testamento et ab intestato consistit *c. 10. et 11. de test. Reiff. de testam.* (1). IV. Legari possunt res omnes, quae sunt in hominum commercio, corporales aut incorporales e. g. usufructus et piscationes, sive praesentes sive futurae e. g. messis futuri anni, species in genere et in individuo, ipsa etiam res haeredis § 4. *Inst. de legat.;* imo et res aliena, modo id sciverit defunctus; si nescivit esse alienam, non valet, nisi personae coniunctae aut piae causae relictum sit. V. Pluribus modis fieri potest legatum, sc. pure ad diem ex die, sub conditione, sub demonstratione, causa et modo: *pure,* cum a nulla circumstantia et eventu pendet, cuius statim post mortem testatoris *dies cedit et venit,* i. e. debetur et exigi poterit, ita ut cito executioni mandetur, vel saltem intrasem estre a die mortis testatoris, *cf. Amostazzo de causis piis l. 1. c. 12,* ad summum intra annum si agatur de magno opere, e. g. monasterio construendo, nisi testator aliud definierit, quo anno transacto, Episcopus fit executor. Ad *diem,* si dies addatur uti terminus ad quem durat legatum. *Ex die,* si hic additur ceu terminus a quo legatum: sed de his iam ubi de act. in gen. VI. Legare

(1) A tutti questi favori concessi dalla legge della Chiesa agli atti di ultima volontà *ad causas pias* fanno doloroso contrasto le disposizioni del vigente Codice Civile Italiano.

Art. 831. « Le disposizioni per l'anima e a favore dell'anima espresse » genericamente sono nulle ».

Art. 832. « Le disposizioni a favore dei poveri, od altre simili espresse » genericamente senza che sia determinato l'uso, l'opera pia, o il pubblico » istituto in cui favore sieno fatte, o quando la persona incaricata dal te- » statore di determinarlo non possa o non voglia accettare l' incarico, » s'intendono fatte in favore dei poveri del luogo del domicilio del testa- » tore al tempo della sua morte, e sono devolute all'istituto locale di ca- » rità ».

Art. 833. « Sono nulle le disposizioni ordinate al fine di istituire o » dotare benefizi semplici, capellanie laicali ed altre simili fondazioni ».

Aggiungasi che i corpi morali (tanto civili ecclesiastici) conservati non possono accettare alcuna eredità senza l'autorizzazione del Governo (artic. 932 Cod. Civ.; legge 5 Giugno 1850).

Nella materia si possono consultare: **Scaduto,** *Corso di dir. eccles.* vol. I. n. 210. e segg., **Filomusi-Guelfi,** *Validità di lascita a favore di persone in enti determinati con l'onere di erogazione a suffragio dell' anima del disponente* (*Rivista Ital. per le scienze giuridiche,* vol. pag. 17 e segg.).

omnes possunt qui testamentum condere valent. VII. Relinqui potest omnibus, qui possunt esse haeredes, sed non solis. VIII. Deducto aere alieno, expensis funeris, et legatis privilegiatis, ex beneficio legis falcidiae potest haeres quartam partem bonorum in morte repertorum detrahere sibique retinere.

532. *Decl. 4. p.* **Donatio mortis causa** I) fit ex imminentis mortis motivo, vel quandoque futurae intuitu, et est species ultimae voluntatis; II) mortis causa donare, qui testari potest *L. 15. ff. de mort. caus. donat.* Filiusfamilias de adventitiis donare potest tam inter vivos, quam mortis causa, consentiente patre *c. penult. v. quamvis de sepult. in 6;* III) res omnes, quae legari, donari etiam mortis causa possunt. *Arg.* § *1. Inst. de donat.* IV) Ceterum hodierno iure legatum complectitur donationem causa mortis: qui enim causa mortis donat, ita donat ut tantum post mortem suam donatio valeat.

TITULUS XLII.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

Summarium. — Tradita *a)* **notione successionis ab intestato, et in capita vel in stirpes, indicataque causa successionis,** *b)* **paucis recensentur qui, et quo ordine succedant, et speciatim** *c)* **quis succedat clericis.**

533. *Decl. 1. p.* **Notio**. *Successio ab intestato,* qua opponitur successioni ex Testamento, *est acquisitio haereditatis extra casum Testamenti et ultimae voluntatis,* seu quando defunctus decessit *intestatus.* Decedit *intestatus,* qui aut omnino Testamentum non fecit aut imperfectum, vel iniustum, vel postea infirmatum. Unde mortuo intestato, locus est successioni legitimae, i. e. ex *legibus,* per quas defertur ex coniectura pietatis, *consanguineis,* quos defunctus magis dilexisse censetur. Porro successio alia est *in capita,* alia in *stirpem* vel *stirpes:* in capita habetur dum proprio iure acquiritur haereditas, atque ea in portiones viritim dividitur seu in tot partes, quot sunt personae et capita aequaliter. Dum vero unus vel plures succedunt, nulla multitudinis personarum ratione habita, loco et ex iure alterius, quem repraesentant (v. g. cum liberi

parentis loco succedunt avo relinquenti suos alios filios, ita ut sive multi sive pauci sint, eam omnes simul haereditariam portionem accipiant, quam acciperet pater, quem repraesentant), *tunc successio in stirpes* habetur. Duplex autem est *causa* huius legitimae successionis: altera est ius cognationis, iuxta quod tres sunt ordines descendentium, qui excludunt omnes alios, adscendentium et collateralium: altera est civilis aliqua ratio, qua, deficientibus supradictis omnibus, patrimonium defuncti iure praetorio defertur coniugi, ex iure sc. romano.

534. *Decl. 2. p.* **Qui, quo ordine succedant.** I. Soli descendentes succedunt ab intestato ante omnes alios, nempe parentibus liberi, naturales et legitimi simul in capita: sive vero liberi superstites ulli non sint, succedunt nepotes et neptes, et hi quidem si descendant ex una tantum stirpe, etiam in capita: si vero ex pluribus liberis, etiam in stirpes. Quod si unus vel plures ex liberis extent superstites, alius vero aut plures essent demortui, relictis tamen liberis, hi liberi et respectu defuncti, cuius de successione agitur, nepotes, succedunt tantum in stirpes. *Novel. 118. c. 1; § 6. Inst. de haered. quae ab intest.; L. 2. C. de suis et legit. haered.* II. Ordine descendentium deficiente, succedunt ab intestato adscendentes legitimi utriusque sexus, e. g. avus et avia acquis portionibus, etsi vel omnia vel plura bona provenerint ab uno parentum, v. g. a linea paterna *Novel. 118. c. 2,* ita tamen ut proximior remotiorem, e. g. mater avum, semper excludat, atque etiam ut ab adscendentibus excludantur collaterales omnes, exceptis fratribus germanis et sororibus defuncti, qui cum adscendentibus proximis in capita admittuntur. III. Adscendentibus non extantibus, succedunt collaterales propinquiores, i. e. *a*) fratres germani et sorores, exclusis consanguineis et uterinis tam fratribus, quam sororibus: si tamen ex altero praedefuncto germano fratre vel sorore liberi adsint, hi succedunt in stirpes cum germanis defuncti; *b*) si fratrum liberi *soli* adsint, succedunt patruo in capita, et excludunt fratres unilaterales *L. 2. § 2. ff. de suis et leg. haered. c*) His omnibus deficientibus, succedunt fratres consanguinei vel uterini vel utrique: atque etiam *d*) his horumque liberis deficientibus, succedunt sine discrimine reliqui propinquiores consanguinei. *e*) Tandem

nullis ex dictis ordinibus extantibus, succedit coniux superstes sive uxor sive maritus, excluso fisco; qui *f)* tunc solum succedit, si omnes dicti, etiam uxor, deficiant, etsi in nulla legitime instituta communitate vixerit defunctus.

535. *Decl. 3. p.* 1) **Clericis** habentibus bona patrimonialia, quasi patrimonialia, parcimonialia aut industrialia succedunt consanguinei proximi. In beneficialibus congruae substentationi superfluis Ecclesia, ubi beneficio gaudebant, uti et in patrimonialibus, si nullos habeant consanguineos *c. 1. h. t.; c. 1. et fin. de pecul. Cler.; c. 12. de testam.*, nisi obstet consuetudo vel Camera Apostolica, aut ius spolii in Episcopo. 2) **Religiosis Professis** non tam succedit, quam retinet monasterium bona et iura, de quibus ante Professionem aliter non disposuerunt *auth. Ingressi C. de SS. Eccl. can. 7. 9. Ca. 19. q. 3.; c. 2. de testam.* 3) Novitiis succedunt proximi consanguinei, excluso monasterio.

CAPUT IV.

DE MODO ACQUIRENDI CUM RES NON EST ALIENA.

TITULUS XLIII.

DE PRAESCRIPTIONIBUS.

Summarium. — *a)* **Notione et specie praescriptionis breviter indicata,** *b)* **exponitur huius finis, effectus,** *c)* **nec non personae quae praescribere valeant, aut contra quas praescribi possit.**

536. *Decl. 1. p.* **Notio.** Fieri potest ut dictis modis acquirendi vel alienandi bona Ecclesiarum accedat modus per *usucapionem* et *praescriptionem. Usucapio* prout distinguebatur a praescriptione est *adeptio dominii* per possessionem temporis lege definiti *L. 3. de usucap. et praescr.* et vicissim praescriptio est *exceptio qua actionem aliquid petentis submovemus*, eo quod iure suo, suo tempore usus non sit *L. 3. C. de praescr.* Exceptio, quia exceptio praescriptionem significat, et praescribere est exceptionem opponere *L. 25. § ult. de iudiciis et L. 91. de*

solution. At cum hodie usucapionis a praescriptione differentiae sublatae sint *L. un. C. de Usucap. transfor.* praescriptio definiri potest *acquisitio dominii vel alieni iuris peremptio per continuationem possessionis tempore et modo a legibus definito.* « Exprimitur acquisitio iuris novi adversus alterum per praescriptionem, v. g. *hanc rem, servitutem, usumfructum praescripsi;* peremptio vero seu extinctio iuris alterius per praescriptionem sic: *obligationi, actioni, servituti praescripsi* ».

Hinc **dividitur** praescriptio 1. *ratione effectus* in *positivam,* qua uni acquiritur ius et alteri aufertur, et *negativam* seu privativam, qua quidem ius contra aliquem praescribitur, extinguitur, quin ullum inde transeat proprie et positive in praescribentem, sed liberatio potius et immunitas aliqua acquiritur. 2. *Ratione temporis* in ordinariam seu *brevem, et longi temporis,* quae sc. tempore ordinario completur triennio pro mobilibus, decennio aut vicennio pro immobilibus: si ultra dictum tempus procedit, dicitur *extraordinaria* seu *longissimi temporis; immemorialis* autem est si nullus hominum actu existentium sciat initium possessionis ad hanc praescriptionem requisitae.

537. *Decl. 2. p.* Ex iure gentium est **origo** praescr., et **finis** seu I) fundamentum est 1. ne rerum dominia incerta et confusa maneant; 2. ut finem seu terminum tandem lites habeant *pr. Inst. h. t. L. ult. in pr. D. pro suo;* 3. ne rerum possessores timore perpetuo exagitentur *L. 7. C. de praescr. 30. vel. 40. an.;* 4. ut eorum negligentia puniatur, qui res suas ita exponunt, et aliorum industria excitetur *L. 2. C. de annal. except. et c. 5. h. t.;* II) Hinc **effectus** *omnis* legitimae praescr. est, 1. acquisitio pleni et irrevocabilis dominii rei praescriptae, aut ablatio iuris ab altero, nec non liberatio ab obligatione: secus non tolleretur incertitudo dominiorum, non consuleretur possessorum securitati, nec litibus perpetuis obviaretur; 2. transfertur autem dominium sive utile sive directum: nam *L. 4. C. de praesc. 30. vel 40. an.* de dominio simpliciter agit; 3. unde, prout habet et *tot. tit. ff. et C. de condict. indeb.* tamquam indebite datam sibi revindicare potest is, qui ipsam rem praescriptam domino pristino reddidit, se putans ad id obligatum. *Princ. Inst. de usucap.*

538. *Decl. 3. p.* **Personae,** quae possunt praescribere seu

subiectum activum sunt quotquot capaces existant possessionis et dominii: hinc pupillus etiam sine auctoritate tutoris praescriptionem continuare et complere potest *L. 4. § 2. ff. h. t.* Unde praescribere nequeunt qui iuris realis vel personalis, vel possessionis suo nomine capaces non sunt; et vicissim contra illas non currit praescriptio, qui iure activo reali vel personali carent, aut impediuntur agere, seu tueri illud ius impedimento iuris: atque adeo praescriptionem inchoare nequeunt infantes, amentes, furiosi, neque religiosi in particulari... etc.

Summarium. — Iure can. ad legitimam praescriptionem requisita sunt quae vulgari versu continentur: 1. Sit res apta; 2. fides bona; 3. sit titulus quoque iustus. 4. Possideas iuste completo tempore legis.

539. *Decl. 1. p.* **Res apta.** Cum praescriptio sit dominii acquisitio, praescribi non possunt, *a*) quae vel natura rei vel iuris dispositione stare nequeunt sub alicuius possessione vel dominio. Porro *natura rei,* liber homo, res sanctae, religiosae, sacrae, ad cultum Dei immediate deputatae: *b*) quae sunt de iure naturali, quaeque inducunt ad peccatum: *c*) quae dependent a potestate ordinis vel solo privilegio Apostolico, *c. 4. et 11. de Consuet.,* nullatenus praescribi possunt. Insuper praescribi nequeunt *d*) *res publicis usibus deputatae,* vel alia res communis ante divisionem, quia haereditatem non suo sed omnium aliorum nomine possidet, nec *res mere facultativae,* quia meri facti et nihil iuris possunt: *e*) nec ea, quae spiritualia iura sunt, in laicorum favorem *arg. c. 7. de Praescr.,* quia laici generatim incapaces sunt iuris spiritualis.

Ex iure autem positivo prohibentur praescribi 1°.) quae spectant ad fines dioeceseos ac parochiarum, si fines legitima probatione vel alia indubitata fide constiterit eccles. ordinatione esse statutos *c. 4. de Parochiis, can. 5. 7. Ca. 16. q. 3;* 2°.) quae spectant ad obedientiam et visitationem, cum praescriptio est extinctiva, ita ut nulli debeantur; non vero cum est tantum translativa de uno in alium Praelatum. Ratio 1ⁱ. est quia nemo potest esse acephalus i. e. sine capite, cui obe-

diat: ratio 2ⁱ. quia libertas et exemptio ab alicuius iurisdictione licite obtineri potest *c. 15. et 18. h. t.*

540. *Decl. 2. p.* **Bona fides** datur, cum quis per errorem facti prudenter iudicat, sive credit, rem a se possessam esse suam e. g. cum putat rem sibi venditam habere eum dominum, qui vendidit, quamvis huius non sit. Porro bonam fidem requiri, eamque continuam toto possessionis tempore patet ex *c. 20. 5. 17. et fin. h. t. de Praescr.* et *c. 2. de Reg. Iur. in 6.* Dixi *per errorem facti.* Nam dum bona fides sit iudicium, quo quis *prudenter* et *inculpabiliter* iudicat, rem, quam possidet esse suam, aut se non agere contra ius alterius rem possidendo, vel aliquid agendo aut omittendo, non admittitur error seu ignorantia iuris, quae generatim culpabilis est. Ignorantia facti non obest bonae fidei *L. 4. ff. de iur. et fact. ign.* nec obest ignorantia invincibilis iuris dubii; quia ius dubium, ius nullum. Dixi tamen ignorantiam iuris clari obesse in praescriptione *ordinaria L. 4. c. et L. 31. ff. de usurp.* nisi res sit de militibus et minorennibus.

541. *Decl. 3. p.* Requiritur **titulus iustus** i. e. *per se* habilis ad rei dominium de uno in alium transferendum e. g. donatio, emptio, permutatio, legatum etc. Unde titulus est causa et fundamentum iustae possessionis, de quo possessor habere non potest bonam fidem, cum nequeat credere se habere ius possidendi, nisi credat se habere titulum, unde hoc ius oriatur. Qui titulus si sit verus et legitimus, rei dominium statim transfert, et si sit tantum 1°.) coloratus, i. e. causa ex se habilis, sed ex occulto impedimento non habens valorem (e. g. quia donatio facta ab eo, qui se putabat dominum, cum non esset); vel 2°.) *praesumptus*, cum possessor non potest allegare specialem titulum, qualis est emptio donatio, legatum,.. quia e. g. ob temporis diuturnitatem non meminit an rem, quam possedit hactenus, acceperit olim ex emptione donatione,... ob hoc ipsum tempus diurnum praesumitur titulum praecessisse, 3°. vel *putativus* seu *existimatus,* cum quis inculpabiliter putat se rem habere ex causa habili, quae reipsa nec vere nec apparenter praecessit e. g. si haeres inter res haereditarias possideat rem alienam, quam b. f. testatoris fuisse iudicat: hi tres tituli praebent ius praescribendi. Iamvero

quod aliquis iustus titulus requiratur, uti est titulus coloratus aut apparens vel existimatus, patet ex *c. 17. de praescr. et L. 11. ff. pro emptore, L. 5. pro suo;* et quidem ad duplicem finem necessarius scilicet ad vitium malae fidei purgandum, et ad praescriptionem breviori tempore complendam.

542. *Decl. 4. p.* **Possessio iusta et continuata tempore legitimo:** *iusta h. e.* habens iustum titulum: quae porro conditio duo involvit *possessionem et tempus,* quo illa duret necesse est. Possessio est *detentio rei vacuae in commercio existentis cum animo eam sibi habendi:* quae in rebus corporalibus *possessio,* in incorporalibus *quasi possessio* dicitur, et cum in facto materiali tantum consistit, *naturaliter,* et si habeat adiunctum animum sibi habendi *civilis* audit. Possessio vel quasi possessio tum naturalis tum civilis requiritur in inchoanda praescriptione quacumque, quia possessio est fundamentum praescriptionis et sine possessione praescriptio non currit, non procedit, sicut etiam non procedere, non currere dicitur, cum desit aliquod aliud requisitum, e. g. bona fides vel titulus, vel aliud ita ut praescriptio inchoari nequeat *c. 3. de R. I. in 6:* in continuanda vero et complenda praescriptione sufficit possessio, vel quasi possessio tantum civilis, quia praescribens possidere per alium potest e. g. procuratorem, usufructuarium. Debet autem possessio esse *continua* i. e. toto praescriptionis tempore numquam interrupta, neque naturaliter neque civiliter. *Naturaliter* interrumpitur, cum aliqua ex conditionibus praescriptioni necessariis desit e. g. si cesset bona fides, et praescribens novit rem esse alienam, vel titulum deesse; *civiliter* cum praescribens in iudicium citatur ut rem possessam dimittat, si cadat lite. Quod si in iudicio victoriam obtineat, aut lis per transactionem terminetur, possessio non censetur interrupta. Nec solum interrumpi sed *dormire* contingit praescriptio, si scilicet ob superveniens impedim. suspendatur cum fuerit legitime inchoata, ita ut denuo procedat si postea impedimentum cesset, atque adeo subtracto tempore medio, quo praescriptio dormivit, tempus anterius cum posteriori coniungatur ad complendam praescriptionem. Dormire iure censetur praescriptio *a*) cum fervet bellum, vel hostilitas, cum agendi non detur libertas: *b*) cum Ecclesia suo est viduata pastore, quia natu-

rali suo defensore caret *c. 1. 4. 15. de Praescr.* sicut si Episcopus sit inutilis: *c*) cum Ecclesiae Praelatus aut Rector fuerit aut in haeresim lapsus, vel excommunicatus, vel suspensus, aut captus ab hostibus, aut in exilium pulsus, quia tunc quasi vacare censetur Ecclesia *Gloss. in cit. can. 13*: *d*) cum Praelatus vel rector, qui bona Ecclesiae male alienavit, adhuc vivit, quia non praesumitur facile factum suum velle revocare *arg. can. 10. Ca. 16. q. 3. ibique Gloss.*: *e*) si agatur de Ecclesia Romana tempore schismatis, dormit praescriptio, atque id ob privilegium *c. 14. de Praescript.*

Tempus tandem sufficiens ad praescriptionem perficiendam varium est prout rerum praescribendarum natura et circumstantiae variae sunt. Communius tamen admittuntur sqq. *Regula I.* Res mobiles praescribuntur triennio, modo adsit bona fides et iustus titulus, qui si desit, ad ipsam rem mobilem praescribendam requiruntur 30. an., et si agatur contra Ecclesiam maxime in re mobili pretiosa, 40. an. *c. 8. de Praes. Regula II.* Res immobiles privatorum cum bona fide et iusto titulo praescribuntur 10. an. inter praesentes, et 20. inter absentes: praesentes, si in eadem provincia; secus, sunt absentes; si partim praesentes sint, partim absentes, anni praesentiae duplicantur. Etiam hic si desit iustus titulus, 30. exiguntur anni. Praescriptio huius reg. dicitur *longi temporis*, i. e. 10. annorum. *Regula III.* Omnes res et actiones inter privatos cum bona fide praescribuntur 30. an.; et haec praescriptio dicitur *longissimi temporis* non distinguens inter praesentes et absentes, quo casu regulariter, scilicet si praescribenti nullum ius commune vel contraria praesumptio adversetur, post adeo diuturnum tempus, titulus praesumitur *c. 1. de Praescript. Regula IV.* Praescriptio contra Ecclesiam in genere in rebus immobilibus et iuribus completur tantum spatio 40. an. *c. 8. de Praescr.* coll. cum *c. 4. 6. 9. eod.* contra Ecclesiam, non Ecclesiae contra privatos, quo in casu Ecclesia iuvatur ordinaria praescriptione, *Ecclesiam* non Romanam; quia *Regula V.* contra Romanam 100. exiguntur anni. *C. 1. de Praescr. in 6.*

Nota. Praescriptio non tantum dicitur *non currere, dormire, interrumpi,* ut supra explicavimus, sed et *rescindi* cum conceditur restitutio in integrum: sed cum haec dari in genere possit contra actus, quos tota hac sect. exhibuimus hinc breve,

CAPUT V, ET TITULUS XLIV.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

Summarium — Tradita 1. notione et recensitis conditionibus Restitutionis in integrum 2. dicimus eam petendam esse penes iudicem competentem rei, contra quem petitur, citata parte adversa et causa cognita, nisi causa sit notoria, intra debitum tempus: 3. tum quibus ea concedenda sit, 4. et quos pariat effectus, indicabimus.

543. *Decl. 1. p.* **Notio. Conditiones.** Restitutio in integrum *formaliter* ac in genere sumpta est repositio in pristinum statum: *causaliter* et *specifice* est remedium extraordinarium a praetore introductum, quo laesi ex aequitate et iusta causa per officium iudicis reponuntur in statum, in quo fuerunt ante laesionem *l. 1. Decretal. t. 41.* Dixi *extraordinarium* quia datur, cum deficiat ordinarium, fitque nonnumquam per ipsas leges; et merito in acquisitione vel alienatione rerum facile laedi possit Ecclesia, cui nonnisi per hoc remedium obviam iri possit; quod et de privatis dicendum: e. g. si quis conspiratione adversariorum testibus pecunia corruptis, oppressus sit, si nova instrumenta se invenisse dicat, quibus nunc solis usurus sit, postquam adversarius praestito iuramento absolutus fuerat; si quis ultra dimidium laesus sit *L. 2. C. de rescind. vend.* remedium restit. in integ. quandoque a Principe quandoque a Praetore datur. De ea restitutione nos hic agimus, quam Praetores contra ius civile strictum, aequitatis causa, dare solebant: haec porro quatenus a Praetore petitur est redintegrandae rei *vel causae actio;* qua datur, est *causae, iure stricto amissae, ob laesionem redintegratio. Ratione negotiorum* alia *iudicialis* alia *extraiudicialis est:* ratione personarum alia maioribus alia minoribus competens. Hinc patent conditiones seu requisita: 1°. ut negotium ipso iure sit validum: 2°. ut probetur laesio notabilis: 3°. ut non supersit remedium civile ordinarium: qua in re adverte exceptionem pro minoribus, ut hi possint eligere hoc extraordinarium prae ordinario si illud pinguius et facilius sibi videatur *L. 2. C. de Resc. vend.*

ubi probanda est laesio ultra dimidium: 4°. ut fiat causae cognitio.

Et cum iusta causa esse debeat, recensentur quae iustae Praetori videbantur, scilicet *metus, dolus, aetas, absentia, alienatio iudicii mutandi causa, capitis diminutio.* 1ª. *Metus gravis* iniuste incussus quando stricto iure actus esset validus, dat locum restitutioni *L. 1. quod metus causa gestum erit, ratum non habebo ff.* 2ª. *Dolus malus* quando scilicet et quibus ex causa doli detur actio, vel re adhuc integra, concedatur exceptio, patet *ex L. 1. § 1. ff. de dolo malo*: 3ª. patet; 4ª. *absentia in loco domicilii,* reipublicae causa, ob metum aut necessitatem sine dolo sufficienter probata et cognita inducit restitutionem in integrum maioribus absentibus contra praesentes... 5. *Alienatio iudicii mutandi causa:* nam *L. 1. ff. de alien. iud. mut. causa* omnibus modis proconsul id agit, ne cuius deterior causa fiat ex alieno facto: (hinc disposuit) ut si quis alienando rem alium nobis adversarium suo loco substituerit, idque data opera in fraudem nostram fecerit, tanti nobis in factum actione teneatur, quanti nostra intersit alium adversarium nos non habuisse.

544. *Decl. 2. p.* **penes quem petenda,** 1ᵐ. patet ex *c. 8. de for. comp.* ubi actor debet sequi forum rei praesertim ubi actio realis locum non habet: qui iudex sive ordinarius sive delegatus, modo non attentet adversus sententiam superioris, restituere valeat *L. 18. ff. de min.:* 2ᵐ. patet ex *L. fin. ff. h. t.* Item 3ᵐ. in *L. ult. C. de temp. in integ. rest.; c. 1. in 6; et Clem. un. h. t.*

545. *Decl. 3. p.* **Quibus conceditur.** Beneficium Rest. in integ. *regulariter* conceditur 1. *minoribus* utriusque sexus *ex L. 1. 6. seqq. L. 31. seqq. ff. de minor. L. 1. 2. 7. 8. ff. h. t.;* 2. horum haeredibus et successoribus *ex L. 6. ff. eod. L. 17. § 5. ff. de minor.;* 3. modo probent notabilem laesionem *ex L. 3. 4. 8. ff. h. t.* quam passi sunt ex negotio civili, valido, ex se rescindibili ob aetatis infirmitatem, vel aliorum nequitiam, curatorumve negligentiam: *ex L. 1. C. si adversus delictum, ex L. 16. § 3. ff. de minor.*

Instar minorum 1. Ecclesiae i. e. omnia loca pia et religiosa, puta Collegia Clericorum, Monasteria, Hospitalia ab Episcopo erecta, confraternitates, Restitutionis in integr. beneficio gaudent

c. 1. et seq. h. t. et c. 1. eod. in 6. quia earum res etiam curari debent aliena industria et administratione, sicut res minorum; 2. item gaudent aliqui maiorennes ex iusta causa; *ex L. 1. ff. ex quibus causis maiores,* ubi Ulp. addit clausul. generali: *item si qua alia mihi iusta causa esse videbitur, in integrum restituam.*

546. *Decl. 4. p.* **Effectus** restitutionis in integ. *a) petitae* est suspendere executionem contractus vel sententiae *L. un. C. de in integ. rest.* nisi praesumatur malitiosa restitutionis petitio *c. 6. h. t.; b) obtentae* est ut omnia redintegrentur atque in statum pristinum reducantur *L. 24. § 4. ff. de min.,* unde laesus rem suam recuperet, quin laedens b. f. aliquid amittat *c. 1. h. t. L. 27. et 29. ff. de min. L. 22. C. de R. V.*

Scholion de causis piis in genere et in specie. Nomine causae piae sumptae 1) *largissime* significatur causa favorabilis pietatem et humanitatem continens e. g. ultimae voluntates, quae necessario exequendae sunt: 2) *large* est dispositio de iure favorabilis ad causam publicam concernens: 3) *stricte* censetur quando intuitu pietatis et propter Dei amorem aliquid conceditur e. g. cum legatum pauperibus vel Ecclesiae relinquatur: quo sensu definitur « causa pia est, quando aliquid conceditur intuitu Dei ad cultum divinum vel alia opera misericordiae ob animae bonum ». Cf. Amostazo *De causis piis.* Nos heic causas pias sumimus stricte, imo strictius, quatenus sunt fundationes ecclesiasticae. De aliis enim causis piis in genere et in specie hucusque egimus.

Summarium. Praestituta 1) notione causae piae in genere, qua idem significatur ac fundatio, inquiritur 2) in eius naturam: 3) in acceptationem: 4) in adimpletionem: 5) in cessationem: 6) in absolutionem a praeteritis omissionibus.

Decl. 1. p. Ad **notionem** piae causae ait (Aichner § 143), seu fundationis ecclesiasticae simpliciter talis haec quatuor pertinent: α) bona, β) ad certum finem ecclesiasticum perpetuo assignata; γ) persona fictitia, seu idealis in qua tum dominium tum finis piae causae haerere censetur: δ) *persona physica* seu singularis, (una vel plures) quae onera fundationis sustinet et eiusdem commoda percipit. Ad pias causas pertinent simplices fundationes e. g. pro missis celebrandis, pro missionibus, Cappellaniae, beneficia fundata etc. In his omnibus proprietas bonorum pertinet ad ipsam fundationem seu piam causam in abstracto spectatam, quae proin subiectum est iuris seu persona iuridica, quae omnino distingui debet a personis, in quas emolumenta fundationis redundant, quae sunt et dicuntur elementa

fundationis passiva. Porro ad pias causas pertinent religiosa instituta sive ad cultum divinum, sive ad indigentium et miserabilium solatium, sive denique ad iuventutis bonum destinata.

Unde patet quod piae causae et legata pia pro iis relicta quoad directionem, defensionem, administrationem ac dispositionem uni Episcopo subiiciantur. Nam id exigit causarum piarum natura ut in

Decl. 2^m. p. **Natura** seu **definitio** fundationis est « *Attributio boni temporalis facta alicui Instituto ecclesiastico sive donatione inter vivos, sive per testamentum sub conditione operis spiritualis in perpetuum vel in diuturnum tempus praefinitum adimplendi* » Barghilliat. Quaenam porro opera spiritualia sint, pro quibus fit talis attributio, definit *titulus fundationis:* fundatori enim ius competit eas apponendi conditiones quas ipse putaverit, modo honestae sint nullique iuri repugnantes. Quod si missae, uti plerumque fit, celebratio sit illud opus, ad quod fit attributio, regulariter non tantum celebratio sed et applicatio missae ad mentem fundatoris sit facienda : quod arg. *a*) ex *reg. 45. Iur. in 6:* Inspicimus in obscuris quod sit verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit ; *b*) ex pluribus S. C. C. decisionibus. Dixi *regulariter* quia applicatio non est facienda, si habeantur in contrarium praesumptiones gravissimae quod sc. fundator contentus sit tantum missae celebratione liberam relinquendo eiusdem applicationem. *S. C. C. 22. maii 1875. et 20. Maii 1882.*

Ex dictis patet, ut valeat fundatio pia, non requiri per se gubernii saecularis consensum, atque adeo in ultimis voluntatibus ad causas pias necesse non est, ut civilis iuris solemnitates serventur. Vidimus enim supra sufficere, ut de pia dispositione quomodocumque constet per argumenta iuris naturalis *c. Relatum, De Testam. S. C. C. in Ariminen. 13. Sept. 1854; in Hortana 29 Februar. 1855; S. Poenit. 23. Iun. 1844. Cf. et Trid. sess. 22. c. 8. de Ref.* ubi Ecclesia declaratur independens a potestate civili in omnibus, quae suae subsunt iurisd. uti causae piae.

Decl. 3. p. Requiritur 1. consensus seu **acceptatio** administratorum Instituti, cui res sub onere donatur : fundatio enim instar contractus habetur, ad quem profecto utriusque contrahentis consensus requiritur. Quod etiam obtinet si fundatio fiat per actus inter vivos : imo magis tunc, quia cum donec fuerit acceptata, revocari possit, sicut quaelibet aliae donationes, et cum hae nullae sint si donator interea obierit, ut fundatio valeat, *quamprimum* acceptanda est. - *Requiritur* 2. **consensus** Episcopi vel Praelati Regularis pro fundatione in gratiam communitatis religiosae facta, ne loca ecclesiastica saecularia vel regularia fundationibus graventur, quibus satisfacere deinceps non possunt, praesertim ne insufficientes sint redditus iuxta morem cuiusque civitatis vel provinciae ita ut oneribus adiectis postea non respondeant S. C. C. Decr. *Nuper a Congr.* auctor. Urbani VIII. et Innoc. XII. *ed. 23. Nov. 1697.* Cf. Trid. *Sess. 22. c. 8. de Ref. et Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. ult.* ubi meminit *a*) munus sacri pastoris invigilandi quanta potest cura, ut in sua dioecesi pia legata debitae executioni mandentur, praescriptae celebrentur missae, eaedemque iuxta piorum fundatorum voluntatem applicentur: *b*) ius per statutum generale declarandi fundationes non-

nisi sub certis conditionibus acceptandas esse, ad quas conditiones sese conformare praesumitur conditor testamenti. Haec autem Episcopi licentia seu consensus, licet non sit necessarius ad validitatem fundationis quia decretum Urbani VIII. clausula irritante munitum non est, prout S. C. C. declaravit; tamen Episcopus fundationem *rescindere potest*. Cfr. *Lucidi de Visit. SS. Lim. c. 7. art. 3.* ubi *S. C. Episc. et Reg.* acceptationem cuiusdam legati a deputato loci pii sine Episcopi consensu factam, *nullatenus comprobandam* esse respondit.

Decl. 4. p. Quâ fundationes adimplendae sint, statuit cit. Decr. *Nuper a Congr.* scil. 1) ut sub gravi, et sub onere restitutionis (si secus fiat) *tot missae celebrentur,* quot ad rationem attributae eleemosynae fuerint praescriptae ab eo, qui eleemosynam tribuit; 2) ne rectores Eccl. eleemosynas manuales et quotidianas pro missis celebrandis recipiant, nisi oneribus antea impositis per varias fundationes satisfecerint, vel intra tempus satis modicum satisfacere valeant, modo tribuens eleemosynam pro longiori tempore non consentiat: 3) ut rectores conficiant semperque in loco patenti retineant tabellam onerum perpetuorum et temporalium: unde duo constituantur libri, in quorum altero singula onera perpetua, in altero Missae manuales referantur una cum nomine et subscriptione eorum, qui celebrarunt: 4) ut pecunia, seu bona mobilia Ecclesiis tam saecularibus, quam regularibus data cum onere perpetuo missas celebrandi, ab his, ad quos pertinet, quamprimum *investiantur in bonis immobilibus fructiferis,* uti sunt praedia rusticana, sive immobilia urbana. Quod si stabilia bona non reperiantur, vel si civilis magistratus bona data Ecclesiis aliter investiri non patitur, nisi in *emptione censuum publicorum* sc. reddituum ab aerario publico constitutorum, ne res pereat, ad hoc medium recurrendum est. Tandem si dicta bona alienari contigerit, convertendum protinus est pretium in alios fundos stabiles et frugiferos cum expressa mentione oneris missarum a fundatore impositi.

Decl. 5. p. **Cessant** onera fundationum *penitus* 1. si fundus pereat aut redditus ad executionem piorum operum destinatus amittatur, nisi ex causa culpabili amissio iuris temporalis eveniat: 2. attamen *sola praescriptione* non cessant, si in perpetuum facta sit fundatio, licet per diurnum tempus neglecta fuerit oneris adimpletio. Iure enim naturae non currit praescriptio contra non valentem agere *S. C. C. 20 Dec. 1879.*

Ex parte cessant per dictam imminutionem onerum seu reductionem, quae nonnisi a Sede Apostolica fieri potest iusta de causa, quae esse solet reddituum decrementum, qui fuerant pro onerum implemento assignati, vel eleemosynae pro missa augumentum *Bened. XIV. De Syn. l. c. n. 28. C. Trid. Sess. 25. c. 4. de Ref. Urb. VIII. decr.* Dixi *nonnisi a Sede Apost.* prout decretum c. *Urb. VIII.* statuit afficiens onera quoque nondum acceptata, ita ut neque in ipso limine fundationis liceat Episcopis reductionem peragere antequam legata agnoscantur et acceptentur, si redditus in eorum implementum assignatos impares deprehenderit, nisi *testator ipse* hanc facultatem tribuisse noscatur. Solet tamen a S. Sede concedi Episcopis et Praelatis Regularibus Indultum, quo onera fundationum iustis de causis valeant tam ante quam post acceptationem reducere si legatum *taxative* con-

ceptum sit, non vero *demonstrative*. Dicitur legatum concipi *taxative* cum fundator incipit dispositionem ab adsignatione fundi et subinde addit impositionem oneris: *demonstrative* vero conceptum dicitur cum incipit ille dispositionem ab impositione oneris et subinde fundum adsignat iuxta praxim S. C. C. cum dictum Indultum Episcopis concedit, uti refert Bened. XIV. *de Syn. l. c. n. 32.* Porro si taxative conceptum sit, deveniri potest ad reductionem ut innui; si vero demonstrative tunc haeredes prius cogendi sunt ad perpetuam dicti oneris manutentionem et ad supplendam summam deficientem quoad fieri potest, antequam onera ipsa reducantur.

Si autem pius testator iubeat, inquit *Bened. XIV. l. c. n. 33,* suum haeredem dari legatario non fundi reditus, sed fundum ipsum, ut ex fructibus inde obvenientibus missarum celebrandarum stipendia desumat, ad nihil ultra cogitur haeres quam ad ipsum fundum seu bona legata extradenda.... Quod si progrediente tempore traditi fundi reditus imminuantur ad legatarium pertinet, omisso haerede apud legitimum superiorem instare pro oneris reductione; ad eamque obtinendam, docere tum de obveniente sibi damno, tum de redituum imminutione, cui ipse propria culpa causam non dederit; tum denique ostendere integrum sibi non esse urgere haeredem, ut praestet id, quod deesse compertum est ad hoc ut piae testatoris voluntati cumulate satisfiat.

Advertatur tandem quod, cum dispositio simul et missarum onera et eleemosynarum distributionem aliave pia opera comprehendit, et ob redituum tenuitatem necessarium sit ad aliquam impositorum onerum reductionem devenire, *reducenda sunt potius reliqua opera* non autem missarum numerus, modo tamen facultates ex indulto apostolico concessae ad omnia pia legata protendantur. *Bened. XIV. l. c. n. 23.* Item si in missis reductio fiat, oportet reducere ritum et solemnitatem non vero numerum missarum, quantum fieri potest S. C. C. apud *Bened. XIV. l. c. n. 34.*

Decl. 6. p. **Condonatio et absolutio** a *praeteritis omissionibus* reservata item est R. Pontifici. Dicitur condonatio et absolutio illa reductio, quae ad praeteritum tempus refertur subindicans omissam sacrorum celebrationem. Fit autem condonatio ex *rationabili causa,* ita ut si quis sub malitiosa vel irrationabili spe absolutionis consequendae missarum celebrationem omittere praesumpserit, huic *gratia nullimode suffragatur.* Hinc S. C. C. indulget si absque legatarii culpa omissa sunt sacra, nec ceteroquin supersit tantus reditus ut omissionibus praeteritis suppleri valeat. S. C. C. *27 Apr. 1805; 29 Ian. 1825 apud Lucidi l. c. c. 7. n. 86. et seqq.* = In casu igitur, quo redditus pares non sint neglectis oneribus sustinendis, causam absolutionis concedendae legitima est paupertas, praesertim si de fundatorum consanguineis agatur: quia tunc praesumitur testatores haud voluisse consanguineos oneribus obstringere, quibus impares essent *Lucidi l. c. n. 90.* Neque ad hoc expectanda est paupertas extrema aut absolute gravis; sed sufficit relative gravis paupertas, qua laborat is, cuius bona minime sufficiunt tuendae conditioni, qua natus, aut dignitati, qua reperiatur *S. C. C. 21 Iun. 1879 penes Act. S. Sedis tom. 12. pag. 615.* ~ In concedenda ab-

solutione *S. C. C. (9 Iul. 1825 penes Lucidi l. c.)* imponit pro salutari poenitentia certum missarum numerum.

Concessa denique sanatoria, vel missarum reductione iam obtenta, si sacerdos dives evadat, aut redditus augeantur vel recuperentur, vim amitteret gratia si sub conditione concessa fuerit, vel si redditus recuperati solo missarum celebrandarum aut huiusmodi titulo darentur = secus dicendum in aliis casibus: quia tunc non obstante cessatione causae gratia perdurare videtur iuxta *reg. 73. Iur. in 6:* Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.

Summarium. — Praeter dictas moderationes circa defunctorum ultimas dispositiones est generatim commutatio defunctorum ultimae voluntatis, quae ex iure communi *a*) nonnisi Sedi Apostolicae est reservata *b*) quae iusta tantum de causa ultimae voluntatis commutationem facere potest; Episcopi *c*) voluntatem testatoris tantum interpretari non commutare proprie valent.

Decl. et prob. 1°. *Urb. VIII. et Innoc. XII. cit. decr. de celebr. missar.* interdicit Episcopis ne missarum onera audeant mutare, sed hac de re ad Sedem Apost. recurrere debent: ita ut si secus fiat « commutationem eiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contingat, omnino nullas et inanes decernit ». = 2°. DD. auctoritas hoc exclusivum ius esse Rom. Sedis edocentium uni R. Pontifici competere ius defunctorum pias voluntates commutandi. Cf. caeteros inter Fargna *de Iurep. p. V. can. 11. cas. 4. n. 2.* = 3°. est auctoritas S. Rotae romanae et S. C. C. prout videre est resol. cit. apud *Lucidi l. c. n. 71. et seqq.* = Verum quidem est in *Conc. Trid. sess. 22. c. 6. de Ref.* statui: « In commutationibus ultimarum voluntatum, quae nonnisi ex iusta et necessaria causa fieri debent, Episcopi tamquam Delegati Sedis Apostolicae summarie et extraiudicialiter cognoscant, nihil in precibus tacita veritate vel suggesta falsitate fuisse narratum priusquam commutationes praedictae executioni demandentur »; sed haec verba inspicienti patebit hoc ibidem poni quod preces pro voluntate commutanda fuerint iam oblatae, eaeque porro non Episcopis, sed S. Sedi; ast S. Sedes priusquam ad commutationem exequendam deveniat, illud in antecessum requirit ut Episcopi summarie et extraiudicialiter de causae iustitia et necessitate cognoscant.

Decl. 2. p. Id patet ex *Trid. sess. 22. c. 6. De Ref.* Defunctorum enim voluntates sancte servandae sunt ex iure divino seu naturali et humano ipseque R. Pontifex non solet conditionibus in fundatione adiectis per suam potestatem supremam contraire, nisi legitimae adsint et necessariae causae praesertim si agatur de iure tertii. Cf. *Fargna l. c.* ubi plures enumerat casus. Fagn. *ad cap. Ceterum De Rescript. n. 18. 26.* – De Rubeis *Dec. 217. p. IX. t. 1. Rec.* ubi ait « sacrosanctum atque inviolabile est hoc iuris axioma, quod numquam in dubio praesumendum, principem in alterius damnum vel praeiudicium disponere voluisse » quod a fortiori tenendum est de iure quaesito non tollendo ab animabus in Purgatorio detentis.

Decl. 3. p. Interpretari valent Episcopi dictas pias voluntates, quia ex *Conc. Trid. sess. 22. c. 8. de Ref.* Episcopi omnium piarum dispositionum executores et iudices licet extraiudicialiter *Trid. l. c. c. 6.* sunt. = Quod si legata pia nullatenus possunt applicari ad usum a testatore intentum, ne caduca sint, Episcopus, ait s. Ligorius et plures alii, per epicheiam interpretari voluntatem testatores, eaque in alium usum applicare *s. Ligor. l. 3. n. 931.* potest. « Omnia quae ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt », ipsi (Episcopi) ex officio suo iuxta sacrorum canonum statuta *cognoscant* et *exequantur* » Trid. l. c. c. 8.

INDEX

LIBRI SECUNDI

SEU

DE REBUS ECCLESIASTICIS

PRAENOTANDUM. — In quo ratio transitus a libro primo in praesentem indicatur; tum quid veniat nomine rei ecclesiasticae: n. 1-3, p. 1.

TITULUS I.

DE RERUM ECCLESIASTICARUM DIVISIONE.

Licet rerum ecclesiasticarum divisio 1) in sacras, sanctas, et religiosas probabilis sit, et civili iuri conformior, tamen 2) aptior videtur summa **divisio in res spirituales et temporales:** n. 3–4, p. 5.

PARS PRIMA

DE REBUS ECCLESIAE SPIRITUALIBUS

TITULUS II.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Prop. 1. **Nomine** et **definitione** prolatis sacramentorum distinguuntur **tria essentialia** sacramentis in se spectatis, scilicet signum visibile, quod duplex est, materia et forma, res invisibilis a signo visibili significata, quae in omnibus est gratia sanctificans.... divina institutio. n. 5–8, p. 10.

Corollarium I. — Inde sequitur Christum D. esse *immediatum auctorem sacramentorum* determinantem materiam et formam; II. ita ut nullum sit sacramentum mutata ea re visibili, cui Christus D. virtutem producendi gratiam attribuit: n. 9–10, p. 14.

Prop. 2. **Divisio** sacramentorum N. Leg. *ratione* a) *necessitatis* et *ratione* b) *effectus*: n. 11–12, p. 17.

Doctrina circa **iterationem** sacramentorum... n. 12–15, p. 18.

Prop. 3. Praeter elementa essentialia, *quatuor recensentur adhuc ad valorem* n. 16–18, p. 24.

Prop. 4. De **ministro** sacramentorum: n. 19, p. 24.
Prop. 5. De **subiecto** sacramentorum: n. 20, p. 26.
Prop. 6. Circa **intentionem** necessariam ad valorem: n. 21-22, p. 27.
Prop. 7. **Applicatio materiae** *et formae: tum numerus sacramentorum:* n. 23-24, p. 28.
Prop. 8. De **ritibus servandis:** n. 25, p. 29.

TITULUS III.

DE BAPTISMO.

1. De Baptismi natura, effectibus et institutione: n. 26–28, p. 30.
2. De Materia, Forma, et Ministro Baptismi: n. 29–31, p. 33.
3. De Legibus disciplinaribus circa baptismum: 32-34, p. 35.
4. De subiecto baptismi: n. 35–37, p. 36.

TITULUS IV.

DE CONFIRMATIONE.

1. Notio, Institutio, Materia et Forma: n. 38–41, p. 41.
2. Minister, Ritus, Subiectum, Patrini: n. 42–45, p. 45.

TITULUS V.

DE SS. EUCHARISTIA.

§ 1. DE EUCHARISTIA UTI EST SACRAMENTUM.

I. Definitio, Materia, Forma: n. 46–48, p. 47.
II. De Ministro, Subiecto et Custodia SS. Eucharistiae: n. 49–51, p. 49.

§ 2. DE SS. EUCHARISTIA UTI EST SACRIFICIUM.

I. Notio, Minister, Species, Effectus: n. 52-55, p. 54.
II. Leges circa modum, tempus, locum, numerum, eleemosynam Missae: n. 56–60, p. 57.

TITULUS VI.

DE POENITENTIAE SACRAMENTO.

1. Natura, Materia et Forma, Effectus Poenitentiae: n. 61–66, p. 61.
2. De Ministro et Subiecto sacramenti Poenitentiae, ubi de iurisdictione et approbatione confessarii, de reservatione casuum, de sigillo sacramentali: n. 67–72, p. 66.

TITULUS VII.

DE EXTREMA UNCTIONE.

I. Notio, Institutio, Effectus Extremae Unctionis: n. 73-75, p. 73.
II. De Materia et Forma Extremae Unctionis: n. 76-77, p. 74.
III. De Ministro et Subiecto Extremae Unctionis: n. 78-79, p. 76.

TITULUS VIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

I. Definitio, Divisio, Institutio, Effectus: n. 80-82, p. 77.
II. Materia, Forma, Minister, Subiectum: n. 83-86, p. 79.

TITULUS IX.

DE MATRIMONIO.

SECTIO I.

DE SPONSALIBUS.

I. Notio sponsalium, Divisio, Subiectum, Requisita: n. 87-90, p. 84.
II. Consensus, Effectus, Solutio sponsalium: n. 91-93, p. 86.

SECTIO II.

DE MATRIMONIO IPSO ET EIUS IMPEDIMENTIS.

CAPUT I.

DE MATRIMONIO IPSO.

1. Notio et Divisio: n. 94-95, p. 92.
2. De Matrimonio qua sacramentum est: varia asserta et Corollaria: n. 96-105, p. 96.
3. Effectus matrimonii inde patent: n. 106, p. 99.

CAPUT II.

ART. 1. DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IN GENERE.

Quid sit impedimentum, quotuplex, quis ferre possit, quî tollantur impedimenta, quinam impedimentis teneantur: enumerantur impedimenta dirimentia et impedientia: n. 107-110, p. 101.

*

ART. 2. DE IMPEDIMENTIS IN SPECIE.

A. DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

I. De Impedimentis dirimentibus ex defectu consensus.

§ 1. DE IMPEDIMENTO ERRORIS. Notio et vis: n. 111, p. 103.

I. De errore **personae**. Quid, quotuplex error, qui dirimat matr., quo iure; error circa qualitatem generatim non vitiat; *quaer.* an vitiet error circa ipsum ius in corpus, circa insolubilitatem et validitatem matr.: n. 112-115, p. 104.

II. De errore circa **conditionem**. 1. Quae sit servitutis conditio et 2. quatenus dirimat matrimonium: n. 116-118, p. 106.

§ 2. DE IMPEDIMENTO VIS ET METUS. Qualis metus et quo iure dirimat matrimonium: n. 119, p. 108.

§ 3. DE IMPEDIMENTO RAPTUS. Quid et qualis dirimat matrimonium: n. 120, p. 110.

§ 4. DE CONDITIONIBUS APPOSITIS MATRIMONIO SEU QUID, QUOTUPLEX CONDITIO. Quid sit modus, causa, demonstratio: n. 121, p. 112.

Quando conditio apposita dirimat matrimonium vel non: n. 122-129, p. 114.

II. De Impedimentis dirimentibus ex defectu formae
SEU § 5. DE IMPEDIMENTO CLANDESTINITATIS.

Quid sit haec forma et quaenam eius vis. Quis parochus, quinam testes, et quamnam assistentiam praestare tenentur: n. 130-132, p. 120.

Varii casus, in quibus promulgatum est vel non cap. *Tametsi*. Regulae ad dignoscendum quinam teneantur vel non: n. 133-135, p. 123.

III. De Impedimento dirimente ex defectu idoneitatis absolutae ex parte corporis.

§ 6. DE IMPEDIMENTO AETATIS. Quaenam aetas requiritur ad sponsalia, quaenam ad matrimonium; quî cesset impedimentum aetatis: n. 136-139, p. 126.

§ 7. DE IMPEDIMENTO IMPOTENTIAE COEUNDI. Notio et divisio, quaenam impotentia dirimat matr.; causae impotentiae; an obligatio eas removendi. Quid agendum si iam contracto matrimonio superveniat certitudo vel dubium de impotentia: n. 140-143, p. 129.

IV. De Impedimentis dirimentibus ex defectu idoneitatis absolutae ex parte animi.

§ 8. DE IMPEDIMENTO ORDINIS SACRI. Quaer. qua est impedimentum dirimens in Ecclesia latina, tum in Ecclesia graeca, de dispensatione ab hoc impedimento, de poenis: n. 144-147, p. 134.

§ 9. DE IMPEDIMENTO PROFESSIONIS SOLEMNIS CASTITATIS. Tradita 1) notione, exhibetur 2) existentia iuridica, 3) quis dispensare valeat, 4) quas poenas incurrat voto solemni ligatus, si attentet matrimonium: n. 148-151, p. 137.

§ 10. DE IMPEDIMENTO LIGAMINIS. De huius impedimenti natura, speciebus, iuridica existentia, de effectibus, de poenis, et tandem de cessatione et dispensatione ab hoc impedimento: n. 151–155, p. 139.

V. De Impedimentis dirimentibus ex defectu idoneitatis relativae.

§ 11. DE IMPEDIMENTO CONSANGUINITATIS. PRAENOT. in quo de arbore genealogica, gradibus, linea, stipite consanguinitatis: n. 155-156, p. 142.

Notione ac divisione cognationis naturalis breviter indicata, quaer. an dirimat, quatenus et quo iure in linea recta, obliqua, an et quatenus dispensetur in consanguinitate: n. 158-161, p. 145.

§ 12. DE IMPEDIMENTO EX COGNATIONE LEGALI. In quonam consistit et qualis ambitus huius impedimenti: n. 162–164, p. 147.

§ 13. DE IMPEDIMENTO EX COGNATIONE SPIRITUALI. Notio, quo iure, inter quas personas dirimat matrimonium, sub quibus requisitis, quinam munus patrini obire possunt vel non. Quî cesset spiritualis cognatio: n. 165-169, p. 148.

§ 14. DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS. Notio, varietas affinitatis, an et quousque dirimat ex copula illicita, an et quousque ex copula licita; quae poenae: n. 170-175, p. 151.

§ 15. DE IMPEDIMENTO PUBLICAE HONESTATIS. Notio, quousque se porrigat, quo iure existat: n. 176–178, p. 154.

§ 16. DE IMPEDIMENTO CRIMINIS. Quid, quotuplex impedimentum criminis, quinam hoc impedimento ligentur, quî dispensetur: n. 179–182, p. 157.

§ 17. DE IMPEDIMENTO DISPARITATIS CULTUS. Origo iuridica, limites huius impedimenti et quomodo hoc cesset: n. 183–185, p. 160.

B. DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIUM IMPEDIENTIBUS.

Recensentur et breviter exponuntur impedimenta hisce versibus contenta. *Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum, Mixtaque religio, si proclamatio desit:* n. 186–196, p. 162.

ART. 3. DE DISPENSATIONE IMPEDIMENTORUM.

In quibus causis *R. Pontifex* dispensationem concedit circa impedimenta impedientia et dirimentia, et quaenam causae sint sufficientes dispensationi: n. 197–199, p. 168.

Quoad I. **petitionem** *quaer. a)* cui et a quo; *b)* qua forma facienda petitio est: quaeque in ea sint exprimenda. II. Quoad **concessionem:** sub qua forma et clausulis concessio fit; et III. quî sit dispensatio **executioni** mandanda: n. 200–202, p. 172.

Episcopi possunt in quibusdam impedimentis dispensare potestate ordinaria, in quibusdam aliis potestate delegata: n. 203–204, p. 179.

ART. 4. DE CELEBRATIONE NUPTIARUM.

Contractis sponsalibus, praesertim immediate ante nuptias separatio sponsorum urgenda est, nec non sacramentorum susceptio; indicantur nonnulla testimonia afferenda; tandem quo ritu nuptiae sint celebrandae: n. 205–208, p. 181.

ART. 5. DE MATRIMONII REVALIDATIONE.

PRAENOT. n. 209, p. 183.

§. 1. *De revalidatione ordinaria matrimonii irriti ex defectu consensus, aut formae trid. aut ex personarum inhabilitate:* n. 209–216, p. 184.

§ 2. *Revalidationis matrimonii per sanationem in radice notio; potestas in R. P.; conditiones, effectus; qui petenda et executioni mandanda:* n. 217–223, p. 190.

SECTIO III.

DE MODIS SOLVENDI SEU

TITULUS X.

DE DIVORTIIS.

De divortio pleno. Tradita notione et specie duplici indicata divortii, breviter exponuntur causae et requisita divortii pleni, tum

quoad matrimonium in infidelitate contractum, tum quoad matrimonium fidelium: n. 224-228, p. 197.

De divortio semipleno. Divortii semipleni causae plures recensentur, ex quibus illud exigitur vel permittitur in perpetuum vel ad tempus, quoad thorum vel cohabitationem post vel ante sententiam iudicis: n. 229, p. 201.

TITULUS XI.

DE SACRAMENTALIBUS.

Potestas in Ecclesia instituendi sacramentalia, quorum *praecipua* recensentur et *effectus* quidam notantur: n. 230-236, p. 202.

TITULUS XII.

DE POENITENTIIS DE REMISSIONIBUS.

Quid veniat nomine **poenitentiae** et **remissionis**. Quid, quotuplex **indulgentia**, a quo proceditur, sub quibus conditionibus praesertim **Iubilaeum**: n. 237-242, p. 207.

TITULUS XIII.

DE IURE LITURGICO.

Amplissimo sensu sumitur hic **liturgia**, quae asseritur fuisse **ab initio** quoad substantiam, varia quoad accidentia; post Pium V. ius liturgicum Sedi Apostolicae fuit reservatum: n. 243-247, p. 214.

In scholio explicatur reg. **lex credendi lege supplicandi statuitur**: Rom. Pontifex exercet supremum ius liturgicum etiam per S. C. R.: **usus linguae latinae** in liturgia: n. 248-251, p. 217, ubi duplex nota: p. 218-221.

De officio divino: n. 252-255, p. 220.

De libris liturgicis: n. 256, p. 224.

De observatione dierum festorum: n. 257-262, p. 226.

De ieiunio, cuius varia species indicatur et auctor, tum subiectum tali lege obligatum: n. 263-267, p. 231.

TITULUS XIV.

DE VOTO ET IURAMENTO.

Voti notio, divisio, requisita, effectus, cessatio, commutatio: n. 268-272, p. 235.

Iuramentum quid sit, an liceat, sub quibus conditionibus: n. 273-275, p. 239.

Item effectus, cessatio: n. 276–279, p. 242.

TITULUS XV.

DE ECCLESIIS.

1. **De ecclesiis aedificandis** et 2. **reparandis**: n. 280–286, p. 245.

3. **De Ecclesiis consecrandis**: n. 287 290, p. 250.

4. **De pollutis Ecclesiis** et **Altaribus reconciliandis**: n. 291-296, p. 252.

5. **De Immunitate Ecclesiarum**: n. 297–303, p. 255.

TITULUS XVI.

DE CAPPELLIS ET ORATORIIS.

Quid sint, qui differant oratoria publica a privatis, quotuplex oratorium publicum; quae conditiones, ut ibi missa celebretur: n. 304-308, p. 259.

TITULUS XVII.

DE SACRIS UTENSILIBUS.

Quid s. utensilia, quae species, quî benedicantur et consecrentur, materia unde utensilia: n. 309–314, p. 263.

TITULUS XVIII.

DE SACRIS IMAGINIBUS ET RELIQUIIS.

Quid sint s. imagines. De **ritu canonizationis** et beatificationis Sanctorum: n. 315-321, p. 267. Leges Ecclesiae **circa reliquias** Sanctorum, eorumque **imagines**: n. 323–325, p. 274.

PARS SECUNDA

DE REBUS ECCLESIAE TEMPORALIBUS.

SECTIO I.

BONA ECCLESIARUM, ECCLESIASTICORUM ET PIORUM LOCORUM.

TITULUS XIX.

DE DECIMIS, PRIMITIIS ET OBLATIONIBUS.

Oblationum dictarum in sua specie affertur definitio, divisio, et quibus et a quonam eaedem praestandae: n. 327-329, p. 276.

Speciatim de **Missae stipendio** inquiritur quale ius taxandi, recipiendi et ius lucrandi: n. 330-331, p. 284.

TITULUS XX.

DE PECULIO CLERICORUM.

Quid sit peculium clericorum, quotuplex, et quorum bonorum clerici sint domini: n. 332-334, p. 288.

TITULUS XXI.

DE BENEFICIIS.

1. Beneficiorum origo, natura, divisiones: n. 335-337, p. 291.

2. De vacatione, collatione, possessione Beneficiorum: n. 339-345, p. 299.

3. De prohibita beneficiorum multiplicitate: n. 346-349, p. 308.

4. De unione et incorporatione beneficiorum triplici: n. 350-352, p. 312.

5. Disiunctio, Divisio, Dismembratio beneficiorum: n. 353-355, p. 316.

TITULUS XXII.

DE COMMENDIS.

Notio, species, iura, quî possint beneficiis aequiparari commendae: n. 356-361, p. 318.

TITULUS XXIII.

DE PENSIONIBUS.

Quid sit pensio, quotuplex, onera et cessatio ipsius: n. 362-364, p. 323.

TITULUS XXIV.

DE MONASTERIIS.

Quid, quotuplex Monasterium, quî, a quo, sub quibus conditionibus erigatur, an dictae leges afficiant Monialium collegia et Congregationis saecularium Clericorum domos: n. 365-367, p. 326.

De **clausura** et **iure administrandi bona temporalia**: n. 368-370, p. 331.

Appendix **de Tertiariis saecularibus**: n. 371, p. 335.

TITULUS XXV.

DE SEMINARIIS CLERICORUM.

De erectione, dotatione, regimine seminariorum: n. 372-375, p. 337.

TITULUS XXVI.

DE HOSPITALIBUS ET LOCIS PIIS.

Notio hospitalium et locorum piorum. Quis *iurisdictione* gaudeat in hospitalia et loca pia. De *privilegiis* locorum piorum: n. 376-378, p. 341.

Confraternitatum laicorum erectio, sodalium adscriptio, regimen, conditiones ad fruendum privilegiis; n. 380-383, p. 345.

TITULUS XXVII.

DE SEPULTURIS ET COEMETERIIS.

Quid sepultura. Notae historicae quoad sepulturam. Quotuplex sepultura. Ius sepulturae est spirituale. Quinam donandi, quinam privandi sint tali iure. *Poenae in violantes ius sepulturae. Iura parochi quoad funera:* n. 384-390, p. 349. **De Crematione** n. 391, p. 356.

TITULUS XXVIII.

DE REBUS ECCLESIAE FIDELITER ADMINISTRANDIS.

Ius administrandi bona competit Ecclesiae, quo potiuntur Papa et Episcopi: quatenus administrent inferiores Episcopo: n. 392-395, p. 358.

TITULUS XXIX.

DE REBUS ECCLESIAE NON ALIENANDIS.

Quid veniat sub alienatione rerum ecclesiasticarum. Quatenus alienatio et sub quibus poenis prohibeatur: n. 396-401, p. 364.

SECTIO II.

DE ACTIBUS QUIBUS BONA ECCLESIASTICA ACQUIRI VEL ALIENARI POSSUNT.

CAPUT I.

DE ACTIBUS IN GENERE.

TITULUS XXX.

DE ACTIBUS INEUNDIS.

Attendenda sunt 1) *substantialia* i. e. res certa, causa finalis, voluntas seria absque errore, metu: n. 403-406, p. 371.

2) *accidentalia,* quae *conditio, dies, modus* dicuntur: n. 407-409, p. 375.

3) *solemnia* praesertim in publicis actibus seu instrumentis: n. 410-411, p. 379.

TITULUS XXXI.

DE OBLIGATIONIBUS EX ACTIBUS IAM INITIS, NOMINATIM DE SOLUTIONIBUS.

Ex actu rite inito obligatio quae sit in dando, in faciendo, suo tempore, cui urgendae additur poena et arrha: n. 412, p. 381.

Quid late solutio, acceptilatio, confusio, compensatio, novatio, delegatio, rei interitus. Stricte sumpta cum sit redditio rei debitae *quaer.* quis solvere teneatur, quid, quibus, quo ordine, tempore, loco, effectu: n. 413-414, p. 382.

CAPUT II.

DE PACTIS ET CONTRACTIBUS.

ART. 1. DE CONTRACTIBUS IN GENERE SEU

TITULUS XXXII.

DE PACTIS ET CONTRACTIBUS.

PRAENOTANDUM. *Notio pacti* generice et specifice sumpti *partitio;* quis pacisci, et quibus de rebus possit: n. 415-419, p. 386.

Contractus quotuplex spectato modo, re, obligatione: n. 420-421, p. 390.

In contractibus innominatis quis possit poenitere, quis debeat praestare culpam: n. 422-423, p. 393.

Ad contractus valorem per se vel quoad tertios qualis consensus, quae solemnia necessaria sint, quae obligatio inde: n. 424-426, p. 394.

ART. 2. DE CONTRACTIBUS IN SPECIE

qui sive mere liberales, sive cum aliquali sint reciproca obligatione.

TITULUS XXXIII.

DE DONATIONIBUS.

Quid sit donatio realis et verbalis, inter vivos et mortis causa, reciproca et remuneratoria, quis, quas res, quomodo, sub quibus effectibus donare potest: n. 427-430, p. 396.

TITULUS XXXIV.

DE COMMODATO, PRECARIO, MUTUO, DEPOSITO, MANDATO, FIDEIUSSIONE.

Commodati notio, requisita, quis potest commodare, et quae inde obligatio, actio: n. 431-433, p. 399.

Precarii natura requisita, vis et modus: n. 434-435, p. 401.

Mutui substantialia et naturalia, quoad filiosfam., religiosos, Ecclesias: n. 436-438, p. 402.

Depositum quid, quotuplex, quae inde obligatio et actio: n. 439-442, p. 404.

Mandati notio, divisio, obligatio, actio, cessatio: n. 443-448, p. 405.

Fideiussionis notio, divisio, quis fideiubere possit, pro quibus ad quemnam effectum: tum quae remedia competunt fideiussoribus, et quî cesset fideiussio: n. 449-453, p. 407.

ART. 3. DE CONTRACTIBUS ONEROSIS IN SPECIE.

PRAENOT. Quid contractus onerosus, quid evictio: n. 454-455, p. 410.

TITULUS XXXV.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

Quid, quotuplex emptio-venditio, qualis consensus esse debeat, quae res emi ac vendi valeant, sub quonam pretio: n. 456-461, p. 412.

Quae ex emptione-venditione obligationes et actiones: n. 462-463, p. 414.

TITULUS XXXVI.

DE RERUM PERMUTATIONE, CAMBIIS, SOCIETATE.

Rerum Permutationis notio, actio, obiectum permutabile. *Cambii* porro indicatur natura, species, personae intervenientes in ipso: n. 464-467, p. 416.

Contractus societatis notio, species, quas inter personas coiri possit, quae inde obligatio, et tandem quî solvatur: n. 468-473, p. 418.

TITULUS XXXVII.

DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE, EMPHYTEUSI ET CENSIBUS.

Locationis natura, substantialia, species, quis quasve res locare potest; quaeque inde obligatio, actio; quinam modus eam finiendi: n. 474-480, p. 420.

Emphytheusis quid, quotuplex, quibus et a quo concedi potest, quae inde obligationes, actiones, modi cessandi: n. 481-487, p. 424.

Census quid, quibus constet, an redimibilis, quae inde consectaria, quî finiatur: n. 488-491, p. 427.

TITULUS XXXVIII.

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS.

Quid *sors*, quotuplex. Quid *ludi*, *sponsiones*, quae inde obligationes: n. 492-496, p. 429.

Quid, quotuplici elemento constet *assecuratio;* quid *vitalitium*, an redimibile: n. 497-498, p. 431.

TITULUS XXXIX.

DE QUASI CONTRACTIBUS.

Quid sit quasi contractus, nominatim *negotiorum gestio, tutelae administratio, communio rei, aditio haereditatis, solutio indebiti;* n. 499-504, p. 432.

TITULUS XL.

DE CONTRACTIBUS QUI DANT IUS IN RE ALIENA.

Cautionis, pignoris, hypothecae notio, requisita ; quinam possint pignus et hypothecas constituere, quibus in rebus, et quinam inde effectus et actiones: n. 505-510, p. 435.

Servitutis in genere notio, divisio; *personales,* quid iuris et oneris importent, quî cessent; *reales,* quid et quae praecipuae sint, quî constituantur et eis utendum, quî amittantur. Actio confessoria, negatoria, quid *de servitute locorum sacrorum:* n. 511-515, p. 439.

Feudum quid, quotuplex, quae res, a quo concedi et recipi in feudum possit, quibus modis feudum acquiratur, quae inde obligatio et actio, quî feudum amittatur: n. 516-520, p. 443.

CAPUT III.

DE ACTIBUS MORTIS CAUSA.

TITULUS XLI.

DE TESTAMENTIS ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

Testamentum quid, quotuplex, eius *essentialia* et *solemnia,* quinam instituere vel institui haeredes, aut his substitui possint, quae valeant relinqui vel capi testamento: n. 521–525, p. 446.

Testamentum *perfectum, iustum, nec infirmatum,* servandum est, nec ordinario et regulariter mutari potest, nisi summi principis auctoritate. Quinam et quomodo esse possint executores testamentarii, quos relinquere integrum est testatori: n. 526-528, p. 451.

Alii ultimae voluntatis actus praecipui scilicet *Codicillus, Fideicommissum, Legatum, Donatio mortis causa ;* quorum exhibetur notio, requisita; quid, a quo, quibus per eosdem actus relinqui possit: n. 529–532, p. 452.

TITULUS XLII.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

Notio successionis ab intestato et in capita vel in stirpes; causa huius successionis; qui et quo ordine succedant, speciatim quis succedat Clericis: n. 533–535, p. 455.

CAPUT IV.

DE MODO ACQUIRENDI CUM RES NON EST ALIENA, i. e.

TITULUS XLIII.

DE PRAESCRIPTIONIBUS.

Praescriptionis notio, species, finis et effectus; personae quae praescribere valeant, aut contra quas praescribi possit: n. 536–538, p. 457.

Requisita ad praescribendum ex iure canon. continentur vers. *Sit* 1) *res apta,* 2) *fides bona,* 3) *sit titulus quoque iustus,* 4) *Possideas iuste completo tempore legis:* n. 539–542, p. 459.

CAPUT V.

SEU

TITULUS XLIV.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

Restitutionis in integrum notio, penes quem petenda, quibus concedatur, quos pariat effectus: n. 543–546, p. 463.

Scholion. Causae piae notio, acceptatio, adimpletio, cessatio. **Commutatio voluntatis** defunctorum reservata Apost. Sedi. p. 466.

FRANCISCUS M. CARINI

Praepositus Provinciae Romanae S. I.

Cum opus, cui titulus « Praelectiones Iuris Canonici, quas in schola Institutionum Canonicarum habebat P. Marianus De Luca S. I. nunc Textus Decretalium Professor..... *Liber de Rebus ecclesiasticis* » aliqui eiusdem societatis Theologi, quibus id commisimus, recognoverint, et in lucem edi posse probaverint, facultatem damus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo societatis nostrae munitas dedimus.

Romae die sacro Cathedrae Romanae S. Petri, anno 1898.

P. Franciscus M. Carini
Praep. Prov. Romanae S. I.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarcha Antioch. Vicesg.